(Biblioteca Digital) Edita Archivo de la Región de Murcia

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

R. 685
R.9792

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,

AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

Vetus & nova Ecclesiæ disciplina & mutationum causæ enarrantur

A DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS

PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

TOMUS PRIMUS.

Instituto Nacional de Enseñanza Media
MURCIA

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
MDCCXCIII.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, *Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Nulli sacerdotum liceat sacros Canones ignorare.

Cælestinus Papa ep. III. cap. 1.

Canones Nicæni *spiritu Dei conditi & totius mundi reverentia consecrati.*

Leo M. ep. LXXXIV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

PRÆFATIO.

Ad cupidam sacrorum Canonum juventutem,

AUCTOR.

§. I. In tanta librorum copia, qua sacri Canones, non secus ac aliquæ facultates, a multis sæculis obruuntur, novæ tandem *juris canonici institutiones* evulgantur, quibus res canonica stilo fusiori, variis passim observationibus & nonnullis insertis quæstionibus, enarratur. Ita opus vel ipsa inscriptione damnari videtur. Scilicet institutionum hæ sunt leges, ut elementa artium & propriarum vocum explicationes contineant, & prima quasi lineamenta in studiosorum animis insculpant, quibus ad prolixiores & difficiliores libros præparentur. Et quidem meliores ecclesiastici scriptores & ante & post renatas literas ex harum legum forma institutiones ediderunt, veluti Antonius Cucchus: Paulus Lancellottus, Franciscus de Roye & Claudius Fleuryus, quamvis non omnes pari methodo, ac felicitate, nec eodem rerum delectu. Etenim Cucchus & Lancellottus vix ultra Decretales excurrunt, nec rebus criticis eorum ætate admodum excultis, multa ex turbidis fontibus hauserunt. Sed opus Fleuryanum perfectissimum est, veterem & novam in præcipuis articulis exhibens Ecclesiæ disciplinam: nec pretio carent suo Francisci de Roye institutiones, quamvis aliquando laborent confusione.

§. II. Positas a sapientibus institutionum leges fortasse infregi, sed ita finis, qui ad opus elucubrandum impulit, postulare videbatur. Nempe non nuda sacrorum Canonum præcepta tradere institui, sed suis

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

originibus & monumentis illustrata, quæ si non exacte, saltem quodammodo distincte rem canonicam exhiberent, ut in ipso veluti exordio cupida juventus Canonum mentem introspiciat. Nec defuerunt causæ, quæ tale opus suaserunt. Jactura in primis quædam videbatur, canonicam disciplinam carere uberioribus institutionibus, quibus reliquæ fere facultates sunt instructæ. Ipsæ quoque practicæ disciplinæ, utpote quæ res quotidianas continent, pleniorem orationis apparatum desiderant, quam quæ puras continent intellectiones; diuturna enim docendi experientia didici, præcepta sacrorum Canonum & legum civilium, nisi historiarum & eruditionis lumine adornentur, qua facilitate a tironibus percipiuntur, eadem cito avolare. Præterea studiis juventutis videbatur consulendum, quæ, ut mos est, vix auditis primis legum elementis, ad forum procurrit: & ita non abs re erat, elementa ampliora tradere, ut ætatis vitia saltem hac ratione emendarentur. Ita, si licet hoc opus meum, qualecunque sit, cum virorum doctissimorum institutionibus conferre, *majores institutiones* auderem inscribere: in quam sententiam me adduxit Antonius Cucchus, vir alioquin non ineptus, qui canonicas institutiones dedit duplici opere, brevi uno, altero majoris molis, eaque *minorum* & *majorum institutionum* titulo donavit.

§. III. Quo igitur opus fini responderet, necesse fuit veterem & novam Ecclesiæ disciplinam & mutationum causas enarrare: quæ methodus in rebus practicis tractandis videtur magis accommodata. Ipse Justinianus in plerisque institutionum capitibus juris originem & progressum diligenter expendit, & sensim ad sua tempora deducit. Magis id observandum erat in jure canonico, cujus sanctitas & majestas in anti-

qui-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quitate splendescit, *nec unius assis æstimaverim decretalistas*, inquit graviter Franciscus de Roye (*a*). Et vetus sane disciplina præterquam quod puritate & candore suo animos percellit, demonstratque quæ fuerint Ecclesiæ tempora feliciora; id quoque habet commodi, quod ad abusuum emendationem plurimum conducit. Neque enim per omnia verum est, antiquos Canones cum honore esse sepultos, ut passim viri inepti dictitant. Quamvis enim verum sit, Canones de rebus indifferentibus impune posse mutari, Canones certe de moribus stabunt æternum. Et profecto male de Ecclesia meriti sunt, quotquot posthabitis Evangelio & sacris Canonibus novas in res morales invexerunt doctrinas, quibus ipsas leges sanctiores enervarunt. Stent pro sua majestate morum leges, & ad peccata nostra eluenda potius ex animo ad Deum confugiamus, quam ea adhibitis sophismatibus excusemus. Quid quod multos ex recentioribus Canonibus potius tolerat, quam præcipit Ecclesia, feliciora tempora exspectans, quibus saniores regulas reducat? *Et ita longe majus consentaneum est*, inquit Fleuryus (*b*), *pro regula sectari, quod Ecclesiæ placuit, & per duodecim sæcula observatum est, quam quod quinque posterioribus sæculis Ecclesia toleravit, atque emendare satagit.*

§. IV. Jam vero in nova, quam proponimus, Ecclesiæ disciplina, cave exspectes *praxim*, ut vocant, *beneficiariam*. Nomine enim novæ disciplinæ regulas Ecclesiæ posteriores & mores provinciarum, minime vero formulas beneficiarias & forenses intelligimus. Et

(*a*) Præf. ad instit. jur. can.
(*b*) Præf. ad instit. jur. can. §. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Et certe male studiis sacrorum Canonum & jurisprudentiæ consuluerunt, qui pro solidis Canonum & legum principiis formulas forenses crepant; artem de pane lucrando se tradere improvidis adolescentibus inculcantes. Utinam vero sibi persuaderet cupida legum juventus, pejores sibi non posse dari magistros, quam qui posthabita Canonum & legum interpretatione, rerum usum tantopere extollunt: minus enim utrunque forum rabulis abundaret, & haberent Ecclesia & respublica viros aptiores ad ecclesiastica & publica munera sustinenda. Et vero si judice Cicerone is jurisconsulti nomen meretur, *qui respondendo, agendo, judicandoque sit idoneus* (*a*), quid quæso commune habent meræ formulæ forenses cum canonistis & jurisconsultis? Itaque hoc opere canonistam instituere intendens, novam quidem proposui disciplinam, at minime formulas judiciarias; pro certo habens rerum usum ab iis, qui solidioribus rei canonicæ & civilis principiis sunt imbuti, nullo negotio posse suppleri. Interim quod spectat ad mores hujus regni peculiares piaculum esse judicavi eos non exhibere; & præsertim pacta conventa inter Benedictum XIV. & Carolum olim augustissimum Regem nostrum, quibus in multis articulis regitur præsens nostrarum Ecclesiarum disciplina.

§. V. Porro dum novam disciplinam & mutationum causas enarro, passim historici personam sustineo: & ita non est, quod quempiam moveat, quod rei ecclesiasticæ vicem indoleam, aut vitia Clericorum acri stilo videar perstringere. Certe coævi historici & viri doctissimi, eadem facta describentes, stilo utuntur

(*a*) Cic. de Orat. lib. 1. cap. 46.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tur duriore: & in recensendis rebus minus rectis potius veluti calamo excidunt, quam consulto adhibentur verba asperiora. Præterea vitia sunt hominum, non officiorum; nec quod vitia perstringantur, id quidquam sacris regulis & officiis detrahit, quin potius officiorum & regularum extollit majestatem: semperque optimis quibusque necessarium visum, vitia vivis coloribus describi, nihilque etiam in re ecclesiastica dissimulari (*a*), ut inde deterriti homines, bene moratam vitam instituant. Interim erga sacra ministeria & Ecclesiæ moderatores, in primis Romanum Pontificem, qui vicem B. Petri in Ecclesia sustinet (ut Sacerdotem decebat), summam exhibui venerationem. Et quod in aliquibus articulis novæ veterem præfero disciplinam, id non ea ratione factum est, quasi res novas in Ecclesia moliar, sed quod difficile admodum est non amare pulchriora. Privatorum certe est pacis & concordiæ nutrire consilia, & omnia referre ad Dei providentiam qui æterna ratione Ecclesiam moderatur suam, & certe passurus non fuisset novam disciplinam induci, si hæc ad Ecclesiæ gubernationem minus sufficeret.

§. VI. Jam vero singulis veteris & novæ disciplinæ articulis historiæ & antiquitatis lumen affudi, quæ aptas sacrorum Canonum & mutationum rationes & causas suppeditarum alias rite & recte commentemur. Quis nescit, leges civiles & sacros Canones diu male habitos, quod interpretes necessariis historiæ, linguarum, critices, chronologiæ præsidiis erant destituti? Observat vir summus Jac. Cujacius (*b*), nullos doc-

(*a*) Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 6.
(*b*) Ad cap. 10. ex. de sent. & re judic.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

doctores esse ineptiores, quam qui in jus pontificium ante renatas literas scripserunt, idque quod vitio ætatis ecclesiasticas antiquitates ignorarent. Unde *glossas*, *summas* & *apparatus* suos potius tricis forensibus, quam disciplinæ illustrandæ & moribus componendis impenderunt: quo factum, ut omnino barbari & jejuni sint, nec ab eorum lectione meliores discedamus. Ita non injuria sæculo decimoquinto auctor *hierarchiæ subcælestis* observavit, in Ecclesia Græca esse multos *canonistas*, nullos vero *decretalistas*, in Ecclesia vero latina multos esse *decretalistas*, nullos *canonistas* (*a*). Sed expulsa tandem barbarie, studia ecclesiasticarum antiquitatum in occidente resumpta sunt, & tanta felicitate exculta, ut fere nihil de pristinis moribus cognoscendum supersit. Et hinc latini præclarissimos in Canones & Decretales ediderunt commentarios: qua in re adeo processimus, ut in eodem stadio currentes Græcos, ipsos etiam Zonaram Aristenum & Balsamonem, longe retro reliquerimus. Interim ego non luxuriantem eruditionem congessi, nec rebus criticis adeo indulsi, ut semper suppositiones & interpolationes ingeminarem, sed quatenus opus videbatur, & subjecta materia postulabat.

§. VII. Non uno loco novas observationes & interpretationes attuli, aut ab aliis tantum indicatas plenius illustravi. Fortasse ante me alii eadem protulerunt: at ingenue fateor, me aliorum scrinia non expilasse: quin summi pudoris esse judico eos, unde profecimus, non sine promerita laude commemorare. Solicitior sæpe fui de investiganda in ipsis autographis veritate, quam de aliorum opinionibus pernoscendis. In-

(*a*) Ap. P. de Marca lib. 3. de C. S. & I. cap. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Interim non dubito, multas ex regulis meis meras esse conjecturas, veluti est interpretatio formulæ adjurandi Episcopos *per coronam*, quam ex forma presbyterii alias recte explicasse opinabar (*a*), nunc vero eam primus tantum non confodiam. Sed suppositio cujusdam fragmenti, quod sub nomine Hieronymi *ad quendam suum Levitam* decreto suo Gratianus inseruit (*b*), omnino videtur admittenda (*c*). Et gaudeo profecto una id mecum sentire Nuntium Posium & Alexandrum Kalæphatum viros in re canonica & ecclesiasticis antiquitatibus attritos, qui ea de re a me consulti, tandem de fragmenti suppositione ex regulis artis pronuntiarunt.

§. VIII. Pro humana conditione fit, ut homines quamvis summa eruditione & judicio præditi, sæpe errent, præsertim in conscribendis libris, qui ex factorum numero & varietate coalescunt, quales hæ sunt institutiones. Unde tenuitatis meæ ipse satis conscius certe sum, me passim hallucinari, nec omnia eo ordine & ἀκριβείᾳ proponere, quæ satis omnibus faciant. Tantum oro atque obtestor, ut qui me errantem offendent, non statim censoriam virgam exserant, sed potius faciant ex regula humanitatis, ne dicam christianæ philosophiæ, quæ errantes potius in viam reducere jubet, quam elato supercilio de aliorum erroribus triumphare. Non illi promptius me monebunt errantem, quam ego monentes sequar, & gratias insuper agam. Non quod non præsto etiam sim censoribus asperis morigerari, sed quod opus non est asperitate, ubi sufficit humanitas, & quod majori admonitorum gloriæ ce-

(*a*) V. inf. part. I. cap. 32. §. 8.
(*b*) Can. VII. c. 12. q. 1.
(*c*) V. inf. part. I. cap. 32. §. 9.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

cedere potest, si, ut inter bonos bene agere oportet, errantem reduxerint in viam.

§. IX. Universum opus in tres partes partitus sum pro triplici juris objecto, personis nempe, rebus & judiciis, qua partitione nihil aptius ad jus in artem redigendum. Ipse Gratianus etiam in tres partes decretum tribuit suum, quamvis partium ordinem immutet. Et qui institutiones suas in quatuor partes tribuerunt, eo ipso quo Justinianum voluerunt æmulari, parum de recto ordine videntur cogitasse. Exhibet prima pars, quam modo in publicum emittimus, personas ecclesiasticas, earumque officia, mores & instituta, ea tamen moderatione, ut quæ potius ad res & judicia spectabant, paucis indicarentur: quin multas personas consulto omisi recensere, veluti pœnitentiarios, œconomos, vicarios generales, quod deinceps in singulis materiis commodius describentur. Ne vero tractatus de sacris ordinationibus a personis ecclesiasticis sejunctus esset, quidquid ad ordinationes pertinet simul contuli, ut uno tempore personæ ecclesiasticæ, & ritus, quibus sacrorum addicuntur ministerio, cognoscantur. Reliquæ duæ partes brevi consequentur: interim hujus primæ partis capitum adjeci recensionem, ad operis calcem rerum indicem daturus.

IN-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

INDEX

CAPITUM PRIMÆ PARTIS

TOMI I.

PROLEGOMENA.

CAP. I. *De natura & origine juris canonici.* PAG. 1
CAP. II. *Proponuntur juris canonici divisiones.* 8
CAP. III. *De Principum legibus circa res ecclesiasticas.* 20
CAP. IV. *De jure canonico veteri & codicibus quibus continetur.* 25
CAP. V. *De jure canonico novo ejusque codicibus.* 35
CAP. VI. *De jure canonico novissimo.* 53
CAP. VII. *De vario sacrorum Canonum ingenio & nullis regulis pro eorum studio recte instituendo.* 57

PARS I. TOMUS I.

De personis ecclesiasticis.

CAP. I. *De Ecclesia.* 64
CAP. II. *De variis christianorum ordinibus.* 80
CAP. III. *De ecclesiastica hierarchia.* 88
CAP. IV. *De externa Ecclesiæ politia.* 98
CAP. V. *De Episcopis eorumque in regenda Ecclesia potestate.* 106
CAP. VI. *De Episcoporum officiis.* 114
CAP. VII. *De visitatione diœcesis.* 122
CAP. VIII. *De metropolitanis.* 130
CAP. IX. *De auctoritate & usu pallii.* 135
CAP. X. *De Patriarchis.* 142
CAP. XI. *De Romano Pontifice.* 154
CAP. XII. *De Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.* 164
CAP. XIII. *De ecclesiasticis legatis.* 170

CAP.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

CAP. XIV. *De Coadjutoribus.* 181
CAP. XV. *De Chorepiscopis.* 182
CAP. XVI. *De Presbyteris, Archipresbyteris & Parochis.* 186
CAP. XVII. *De Diaconis, Archidiaconis & Diaconisis.* 190
CAP. XVIII. *De Hypodiaconis, Clericis inferioribus & attonsis.* 198
CAP. XIX. *De Canonicis.* 205
CAP. XX. *De irregularitatibus.* 220

INS-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

De natura & origine juris canonici.

Christus Ecclesiam fundat.

§. I. Postquam genus humanum, propter primi hominis labem a spe beatitudinis dejectum, peccati laqueis obstrictum diu jacuisset, temporis impleta plenitudine, toties promissus patribus in Prophetis, ad perditos homines in jus beatitudinis revocandos, Christus Jesus e sinu Patris advenit. Qui ut tantæ rei satisfaceret, nostram indutus humanitatem, Ecclesiam sibi collegit & fundavit, quam exemplo & prædicatione sua instructam stare voluit æternum. Quod ita profecto fieri oportebat, ut redemptionis beneficium omnes complecteretur. Huic autem a se fundatæ Ecclesiæ non solum Christus ipse vivens leges dedit, verum etiam per Apostolos, quibus ad opus perficiendum immisit post mortem suam Spiritum sanctum, quo interno numine Apostoli erecti & afflati Ecclesiam per universum mundum dilatarunt.

Ecclesia proprium regimen habet.

§. II. Quum vero Ecclesia ex multitudine credentium constet, & societatis natura talis sit, ut necessario certum regimen requirat, quo stet & conservetur; Jesus Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, promissum de Ecclesia æternum duratura veluti adimplens, perpetuum in ea regimen constituit, cui ejus regendæ potestatem, & eorum omnium, quæ ad ejus conservationem spectare viderentur, pleno jure concessit. Qua super re non est ambigendum, quum conceptissima sint sacrarum scripturarum testimonia, quibus Apostolis eorumque successoribus regimen Ecclesiæ demandatur (*a*).

Objectum potestatis ecclesiasticæ.

§. III. Hæc autem potestas Ecclesiæ regendæ Apostolis & eorum successoribus per Christum concredita, circa tria versatur, *Doctrinam*, *Mo-*

(*a*) Jo. XX. 21. Act. XX. 28.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Mores, Disciplinam. Doctrina ea omnia complectitur, quæ Christus & Apostoli credenda proposuerunt, quæque scriptis & traditione pervenerunt ad nos usque. Mores sunt actiones christianorum, quæ ad sanctissimam doctrinam componi debent. Et disciplinæ nomine non solum veniunt ritus liturgici, & externa politia, qua fit, ut in Ecclesia ordinem quemdam habeamus; verum etiam quicquid spectat ad cleri censuram & bonorum ecclesiasticorum administrationem. In hæc tria non eodem modo se exerit Ecclesiæ potestas; doctrinam enim & morum regulas custodit & in dubiis explicat; pro locorum vero & temporis adjunctis disponit disciplinam. Triplex hoc potestatis ecclesiasticæ objectum ad duo summa capita πίστιν, & πολιτείαν, *fidem*, & *politiam* refert Chrysostomus (*a*), complectiturque sub *politia* mores & disciplinam. Sed quum utraque partitio eodem redeat, quibus loquendi formulis utaris, parum refert, modo sentiens cum Chrysostomo, sub *politia* & mores & disciplinam complectaris: quod & nos brevitatis causa subinde faciemus.

Notio Canonis *evolvitur.*

§. IV. Statuta omnia, quibus fides, & politia comprehensa, & constabilita est, primis temporibus modesto *Canonis* nomine nuncupavit Ecclesia. Est Canon Græca vox, quæ origine sua artificum instrumentum ad lineas dirigendas significat. Hinc translata ad omnia, quæ vel tanquam regula haberi possunt, vel ordine quodam fiunt (*b*). Inde est, quod librum illum, quo criteria veritatis, seu regulas de rebus recte judicandis Epicurus exposuit, idem ipse *Canonem*, & Cicero quasi delapsam de cælo *regulam* appellarit. Nec alia ratione annua pensitatio auri, annonæ aliarumque præstationum, quæ Imperatoribus præstabantur, *Canonis* nomine venit in legibus Romanis, quam quod constanti & ordinata ratione penderentur. Potiori jure *Canonis* vocem in rem suam vertit Ecclesia ad fidei & politiæ regulas significandas, idque Apostoli præeunte auctoritate (*c*). Scilicet est Ecclesia domus Dei viventis, cujus ex Deo est ædificatio, & architecti sunt sacri pastores. Quo vero ædificium illud ministerio verbi recte procedat & perficiatur, opus est certa regula, ad quam architecti opus suum exigant, ne a justo ordine deflectat ædificatio. Regula autem illa est doctrina evangelica, & ex doctrina promanans politia.

Necessitas novarum regularum in Ecclesia.

§. V. Utramque hanc regulam primis Ecclesiæ temporibus fere tantum libri novi & veteris testamenti complectebantur: unde factum ut *canonici* dicerentur. Verum temporis lapsu necessitas ipsa ab Ecclesia extorsit, ut libris canonicis alias superadderet leges. Quum in fide & mo-

(*a*) Lib. IV. de Sacerd. 5.
(*b*) Doviat. I. præn. 1.
(*c*) Ad Galat. VI. 16.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

moribus subinde christiani a recta regula deflectere cœpissent, & in dies auctus Ecclesiæ status novo ritus & augustiorem postularet politiam; ad abusus corrigendos & politiam ordinandam novæ regulæ conditæ sunt. Scilicet quemadmodum in republica, præter legem naturalem, civilibus opus fuit, quæ præcepta juris naturalis uberius explicarent, & conculcata metu pœnarum revocarent in usum; ita pariter, præter divinam legem, opus habuit Ecclesia novas condere regulas, quibus eam contra refractarios iterum proponeret, & subinde ritus definiret, quibus liturgica explicarentur, præsertim quum in Evangelio pauci admodum ritus præscripti essent, integra hac provincia Ecclesiæ relicta potestati. Atque hæc nova præcepta, præsertim quæ spectant ad politiam, materiam juris canonici proprie sic dicti suppeditarunt.

Distinctio dogmatum, & politiæ.

§. VI. Quamvis autem primis sæculis Canonis nomine & fides & politia veniebant, tamen postquam Concilia quarto sæculo frequentata sunt, ea duo seorsim tractavit Ecclesia; quod pluribus demonstrat Franciscus Florens (*a*). Cujus rei causa diversum fidei, & politiæ ingenium videtur fuisse. Fides nempe una regula continetur eaque *immobili & irreformabili*, ut loquitur Tertulianus; disciplina pro locorum & temporum adjunctis variatur. Hanc rerum distinctionem vocabulorum distinctio subsecuta est. Etenim fides τῶις διατυπώσεσι *descriptionibus* & symbolis, quin etiam decretis & anathematismis adversus hæreticos; politia vero *Canonibus* statuta & explicata est. Hinc Concilii Nicæni Patres in ep. ad Ægyptios δογματίζειν *dogmata definire*, & κανονίζειν *Canones condere* tanquam diversa proponunt. Sed solemnis isthæc nominum distinctio non semper obtinuit.

Quæ distinctio ordinis causa facta est.

§. VII. Verum enimvero separatio illa dogmatum & Canonum ordinis & distinctionis majoris Causa videtur instituta, nam proprie loquendo a dogmatis Canones non alia ratione differunt, quam ea, qua principia a conclusionibus distant suis. Sane morum præcepta a doctrina consequuntur, & disciplina eo spectat omnis, ut doctrina in praxim deducatur. *Canones*, inquit perspecte Joannes Gersonius (*b*), *si bene inspiciamus, non sunt, nisi conclusiones elicitæ, vel illatæ ex principiis theologicis, id est Evangelio, & aliis libris canonicis per illos, quibus dicit Christus, qui vos audit, me audit.* Inde est, quod olim distinctio non fuit theologorum & canonistarum, quamvis Ecclesia seorsim in Conciliis de doctrina & politia tractaret. Quum vero disciplinæ & morum præcepta in dies crevissent, & dogmata fidei subinde ex ortis controversiis evasissent intricatiora; doctrinæ tractationem a politia ecclesias-

(*a*) Diss. de orig. jur. can. part. I.
(*b*) In recomendat. licentiand. in decret.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

siastici scriptores etiam distinxerunt: atque ita theologiæ studium in duas abiit facultates, quarum una, quæ doctrinam complectitur, *theologiæ*, altera, cui cessit politia, *juris canonici* nomen sibi vindicavit. His autem inductis limitibus, cave putes, interdictis possessoriis theologos & canonistas experiri posse, si quandoque invicem turbetur possessio. Nam theologia & jus canonicum mutuo sibi lumen mutuantur, &, nisi utraque conjuncta, in alterutra facultate non proficiemus.

Finis Canonum salus Ecclesiæ.

§. VIII. Jam legum omnium ecclesiasticarum finis esse omnino debet salus Ecclesiæ, ut in hac causa etiam aptari possit antiquissima lex decemvirorum, *salus populi suprema lex esto.* Scilicet leges omnes nihil aliud sunt quam medium, quo qui in societatem coalescunt, finem societati propositum intendunt obtinere, qui finis salutem constituit societatum. Quo igitur tendere debent leges ecclesiasticæ finis Ecclesiarum spectandus est. Coalescunt homines in Ecclesiam ob finem spiritualem, ut pravis cordis extirpatis inclinationibus, novum hominem & veluti cælestem naturam induant. Ita Ecclesiæ salus in interna hominum conversione posita est, quæ quamvis mediis spiritualibus impetretur & solius Dei beneficio, cujus est dare *velle* & *perficere*; non tamen excludit externam *manuductionem*, quin potius eam omnino requirit; quod, ut alia omnia deessent, demonstrant media sensibilia, quibus gratiam suam Christus attexuit. Hanc igitur cordium conversionem Canonibus suis spectare debet Ecclesia, iisque christianorum actiones ad Evangelii normam componere, & externos instituere ritus, qui ad internam tendant salutem & ad unitatem Ecclesiæ procurandam.

Definitio juris canonici.

§. IX. Jam jus canonicum, quod alias *ecclesiasticum* & *pontificium* dicitur, est *facultas, quæ regulas tradit ad rectam disciplinæ ecclesiasticæ, & ad morum inter christianos constitutionem, idque ad Ecclesiæ salutem consequendam.* Definitio isthæc integram juris canonici naturam exprimit, sed quatenus antiquis & ex parte etiam novis continetur collectionibus. Scilicet exorto in Ecclesia regno judiciali, regulæ permultæ prodierunt, quæ nec ad disciplinam ordinandam, nec ad mores christianorum componendos quidquam faciunt, sed solemnem judiciorum ordinem eorumque formulas præscribunt. Has certe definitio nostra non comprehendit, nec ampliorem juris canonici descriptionem putamus concinnandam, qua includantur etiam regulæ judiciorum per Pontifices propositæ; quum eas ab jure canonico tanquam fugitivas consideremus, quamvis bonam magnamque partem conficiant Decretalium.

Origo sacrorum Canonum a moribus.

§. X. Quamvis autem cum Ecclesia cœperit jus Canonum condendo,

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

dorum, per tria tamen priora sæcula paucæ admodum videntur subortæ occasiones Canonum scribendorum. Juris canonici proprie sic dicti origo a moribus & consuetudinibus cœpit, & sero tandem successerunt scripti Canones. In singulis civitatibus, si excipias leges fundamentales, quæ ab initio expressa procedunt voluntate, mores sunt legibus scriptis antiquiores, quæ serius constitui solent, quum procax libertas civitatem incipit corrumpere. Quamdiu homines in simplici subsistunt vita, ut esse solet in primis societatum originibus, plus valent boni mores, quam apud alias gentes leges scriptæ, quæ tum demum subsequuntur, quum vitia sensim pullulantia antiquam expellunt simplicitatem. Quod pluribus persequitur Thomasius (*a*). Communem hanc societatum naturam etiam subiit Ecclesia. Primorum christianorum sancta & integra vita, & in rebus simplicitas vix occasionem dedit, Evangelio alias superaddere leges, quæ illud identidem inculcarent. Etenim recens Christi & Apostolorum memoria & opinio de jam jam instanti die domini, quæ ea tempestate erat receptissima (*b*), satis omnino erant ad christianos in officio & simplicitate, in qua nati erant, retinendos. Quum vero in Ecclesia omnia ordine & decenter sint peragenda, quod Apostolus monuerat (*c*); paulatim factis induci cœperunt regulæ quædam ad ordinem & decorum explicandum, quæ continuo usu in leges abierunt. His certe consuetudinibus regebatur Ecclesia, quo tempore inter Cyprianum & Stephanum Papam de baptismo hæreticorum exardebat controversia, ut testatur B. Augustinus (*d*). Quum vero lapsu temporis christiani cœpissent ab antiqua sanctitate desciscere, quod præsertim factum est pace per Constantinum Ecclesiæ data, Canones scribi cœperunt. Atque ita certæ originis Canones pauci admodum sunt quarto sæculo antiquiores.

Canones & constitutiones Apostolorum *apocryphi*.

§. XI. Ab his antiquis Ecclesiarum moribus nati profecto sunt Canones *apostolici* vulgo dicti & *constitutiones apostolicæ*. Utrumque hoc opus Apostolorum non esse, nec etiam divi Clementis, cui etiam tribuuntur, hodie est conclamatum. Sane (I) hæc opera nec Apostolis, nec divo Clementi, eorum successori, tribuerunt Eusebius & Hieronymus, qui Apostolorum opera diligenter percensent, nec quisquam alius, qui Canonem librorum sacrorum consignavit. Deinde (II) res quædam iis continentur, quæ longe post Apostolos evenerunt. Ut ecce, Concilia metropolitarum annua & distinctionem bonorum Ecclesiæ ab iis, quæ Episcoporum erant, exhibent apostolici Canones (*e*): quæ duo longe post Apostolos invaluerunt. Mentionem quoque faciunt constitutiones hæ-

(*a*) Dissert. de contentione morum cum jure scripto cap. II.
(*b*) Tertull. lib. II. de cult. fem. cap. 9.
(*c*) 1. Cor. XIV. 40.
(*d*) Lib. II. de bapt. cont. Donat. 2.
(*e*) Can. XXXVIII. & XL.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

hæreticorum Marci, Basilidis & Saturnini, quos ex Irenæo (*a*) & Eusebio (*b*) scimus post Apostolorum mortem exortos esse: & præterea non minus in constitutionibus, quam Canonibus apostolicis occurrunt minores ordines, quos ætas Apostolorum ignoravit. Sed (III) ea ratio rem omnem conficit, quod nec Canones, nec constitutiones apostolicas laudarint unquam Patres in controversiis per tria priora sæcula magna animorum contentione ventilatis; etsi iis abunde haberent, quod sententias defenderent suas. Exstat inter apostolicos Canones unus, quo aperte decernitur, pascha more judaico non esse XIV. luna celebrandum (*c*): contra cum Judæis pascha celebrandum consignatum erat in constitutionibus tempore Epiphanii (*d*), quamvis hodie contraria omnia contineant. Iidem Canones baptismum ab hæreticis datum rejiciunt (*e*): quod idem faciunt constitutiones (*f*). Quis vero nescit, hæc duo universam Ecclesiam primis sæculis agitasse: nec unquam ab una, aut altera parte ad Canones & constitutiones apostolicas fuisse provocatum? Si vero reponatur, hæc argumenta maximam partem esse negativa, non negabo; sed talia esse subjungam, quæ demonstrant, hujusmodi fetus Apostolorum Ecclesiam antiquam latuisse. Unde igitur emerserunt? Qui sciri potest, universa tacente antiquitate, eorum auctores esse Apostolos? Plura in hanc sententiam congesserunt Beveregius (*g*), Cotelerius (*h*), N. Alexander (*i*) aliique.

Historia Canonum Apostolorum.

§. XII. Quamvis autem Apostolorum & B. Clementis nomen sic dicti apostolici Canones mentiantur, non est tamen ambigendum iis materiam suppeditasse antiquas Ecclesiarum consuetudines & decreta Synodorum primis sæculis celebratarum. Et sane iis comprehensa disciplina tertio & quarto sæculis maximam partem, præsertim apud orientales, obtinebat. Verum non unius, sed multorum privata opera paulatim collecti videntur, idque ex eo non obscure demonstratur, quod nullum servant ordinem, Canones ad eandem rem spectantes diversis locis reperiuntur, & dantur nonnulli sibi invicem contrarii: quæ omnia Dupinus observavit (*k*). Et quamvis nihil de eorum collectoribus liceat adfirmare, non tamen ante quintum sæculum videntur colligi cœpisse. Eos certe, si exstarent, codici Canonum, quo usa est Synodus Chalcedonensis, ejus auctores inseruissent, imo primo codicis loco posuissent, velut antiquissimi temporis vetustate venerabile monumen-

(*a*) Lib. III. adv. hæres. cap. 3.
(*b*) Lib. IV. H. E. cap. 6.
(*c*) Can. VIII.
(*d*) Hær. LXX.
(*e*) Can. XLVI. XLVII.
(*f*) Lib. VI. cap. 15.
(*g*) In Pand. can.
(*h*) Not. in Clement.
(*i*) Diss. XVIII. & XIX. in I. sæc.
(*k*) Biblioth. eccles. tom. I.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mentum. Sub finem sæculi V. priores tantum L. Canones a Dionysio Exiguo in latinum translati & a pluribus tanquam apocryphi habiti, apud orientales cogniti erant: quod Baronius & Usserius observarunt. Nec enim si tum temporis omnes apud orientales superessent, aliqua idonea fuisset causa, cur L. prioribus latinitate donatis, reliquos XXXV. Dionysius omitteret. Et quanquam id consulto a Dionysio factum opinetur Petrus de Marca (*a*), ut Concilii Romani decretum sub Gelasio (*b*), quo ad apocrypha rejecti sunt Canones apostolici, in XXXV. omissis locum haberet; tamen ut mittam ejus decreti fidem omnino sublestam esse, quod Beveregius, Pearsonius & novissime Espenius (*c*) pluribus adstruunt, fidus antiquorum monumentorum interpres Dionysius certe tantum non sibi sumsisset, generales constitutiones ita restringere, ut earum sanctiones maximam partem evanescerent. Sed tempore Joannis Scholastici, qui medio sæculo sexto floruit, omnes LXXXV. collecti erant, quos omnes ex antiquiore codice in suam Canonum conjecit collectionem. Ab hoc tempore constanter Græci omnes LXXXV. Canones tanquam ab Apostolis conditos receperunt. Sed in Ecclesiam Romanam tantum L. priores primus intulit Dionysius, quos temporis lapsu una cum codice Dionysiano reliquæ occidentales Ecclesiæ, quatenus admitti poterant, receperunt.

Apostolici Canones Synodum Nicænam non præcesserunt.

§. XIII. Atque hæc prima origo & sata Canonum apostolicorum nobis videntur fuisse. At ex opposito doctissimi gravissimique viri Albaspinæus, Petrus de Marca, Beveregius aliique ipsam Nicænam Synodum syllogen Canonum apostolicorum contendunt præcessisse. Provocant ad Nicænam, Antiochenam aliasque antiquas Synodos, quæ sæpe *antiquas regulas* confirmant (*d*), & vero etiam ad quarti sæculi scriptores Alexandrum Alexandrinum (*e*), Athanasium (*f*), Constantinum M. apud Eusebium (*g*) aliosque, qui *Canones apostolicos* violatos, servatosve memorant. Verum hæc tanti non sunt, quæ valeant demonstrare, collectionem canonum apostolicorum sub initium quarti sæculi exstitisse, siquidem veteribus mos fuit non minus regulas scriptas, quam moribus receptas, quin ipsa apostolica præcepta *Canonis* nomine appellare: quod convenit ingenio consuetudinum, quæ regulam præceptumque in Ecclesia servandum constituunt. Unde nihil vetat, Conciliorum Canones & Patrum sententias ad antiquas illas regulas moribus receptas referre, præsertim quando scimus, antiqua Concilia ex moribus plerumque Canones mutuasse suos. Quin summa vetat ratio, ut dicamus

(*a*) Lib. III. de C. S. & I. cap. 2. n. 7.
(*b*) Can. III. D. 15.
(*c*) Com. in Can. jur. vet. diss. de Can. apost. §. 6. post. edit.
(*d*) Conc. Nicæn. can. V. X. XV. Concil. Antioch. can. IX. XXI. XXIII.
(*e*) Ep. ad Alexand. Constantinop. ap. Theod. lib. I. cap. 4.
(*f*) Ep. ad orthod.
(*g*) Lib. III. de vit. Const. cap. 59.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mus Synodos & Patres, ad antiquas regulas provocantes, ad sic dictos apostolicos Canones spectasse. Scilicet non semper ac in antiquis monumentis confirmantur & laudantur antiquæ regulæ, ex adverso respondent apostolici Canones eandem doctrinam continentes, ut Canones Nicænus XIII. & Ancyranus XXI. & Alexandri Alexandrini & Athanasii mox indicata loca, cum Canonibus apostolicis collata satis superque demonstrant (*a*). Unde vel novos effingere oportet Canones apostolicos, ad quos referri possint omnes in antiquis monumentis relatæ regulæ, vel dicamus oportet, sub nomine antiquarum regularum Synodos & Patres, antiquas Ecclesiarum intellexisse consuetudines.

Tempus quo prodierunt apostolicæ constitutiones.

§. XIV. Quantum vero spectat ad constitutiones apostolicas, minus intricata videtur inquisitio de tempore, quo prodierunt: nam quum de iis prius loquatur Epiphanius, satis probabiliter dici potest, quarto demum sæculo opera cujusdam privati auctoris prodiisse. In eas conjecit auctor disciplinam, quæ quarto sæculo præsertim vigebat in Ecclesiis orientalibus, ita ut libri constitutionum apostolicarum purum putum exhibeant quarti sæculi Ecclesiæ Græcæ ritualem: quod diserte scribit Epiphanius (*b*), additque nihil a fide alienum, aut Ecclesiæ administrationi contrarium in iis fuisse comprehensum. Hinc si quæ hodie prostant sub nomine Apostolorum constitutiones, multis locis recte fidei adversentur, dicere necesse est, eas subinde ab hæreticis, ut suos tuerentur errores, fuisse corruptas & interpolatas. Quod indicat, librum hunc eo tempore magnæ fuisse auctoritatis.

CAPUT II.

Proponuntur juris canonici divisiones.

Jus ecclesiasticum aut divinum *est*, *aut* humanum.

§. I. Jus, quo christiana regitur Ecclesia aut divinum est, aut humanum. Hinc in Conciliis duo codices poni solebant, quibus utrumque illud jus continebatur, Evangelium nempe & Canonum codex: & passim in Conciliis occurrunt illæ solemnes formulæ: *propositis in medio sacris & inviolatis Evangelii codicibus*: *Proferatur codex Canonum*: *Legantur Canones*. Nempe quum controversiæ omnes in Conciliis agitatæ fidem & politiam spectarent, ad eas terminandas necessario ad sacram Scripturam & Canones erat recurrendum.

Jus

(*a*) Basnag. tom. II. annal. ad an. 300. §. 15. seqq., N. Alexander diss. XVIII. in I. sæc., Quesnel. de la discipline de l' eglise tom. II. pag. 27.
(*b*) Hær. LXX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Jus divinum *est a Deo.*

§. II. Jus *divinum* a Deo profectum est vel lumine rectæ rationis, aut speciali voluntate, quam hominibus signo externo manifestavit. Unde in *naturale* & *positivum* dispesci solet. Comprehensum est autem utrumque maximam partem libris veteris & novi testamenti, quamvis naturale prius per rectam rationem innotuerit. Ea enim fuit Dei O. M. adversus homines benevolentia, ut præcepta naturalia, quæ prava institutione ab animis hominum quasi deleta erant, iterum iis per expressam voluntatem inculcaret. Sed non omne, quod libris veteris testamenti comprehensum est, id ex æquo christianam obligat Ecclesiam. Scilicet præter præcepta moralia, permulta ad judicia & cæremonias spectantia iis libris continentur, quorum illa, quum sint ipsum jus naturale, nec unquam mutata sunt, nec mutari possunt; hæc vero quia erant reipublicæ & ingenio Hebræorum aptata, & subinde christianam Ecclesiam præfigurabant, Evangelii lumine exorto evanuerunt (*a*). Quod si nonnulla judicialia præcepta Hebræorum arripuit Ecclesia, ea potius propter Ecclesiæ auctoritatem vim legis habent, quam vi primævæ institutionis. Novum vero testamentum judicialia non complectitur, sed tantum moralia & cæremonialia, quo nomine etiam Sacramenta comprehenduntur. Non enim quidquam cum republica commune suam Ecclesiam Christus habere voluit.

Jus humanum *constitutum est Ecclesiæ auctoritate.*

§. III. Jus humanum ecclesiasticum est, quod Apostolis vita defunctis pro recta morum & disciplinæ conformatione vel expresse constituit, vel usu ipso induxit Ecclesia. Scilicet quum Apostoli plura circa disciplinam deinceps constituenda reliquissent, & subinde inventi essent, qui positas regulas transilirent, necesse habuit Ecclesia novis latis Canonibus erroribus occurrere & incœptum disciplinæ opus perficere. Fons autem præcipuus, unde emanavit jus humanum, est Dei verbum, seu jus divinum, maxime novi testamenti. Ecclesiæ enim partes sunt, ut jus divinum in usum deducatur. Atque hoc jus humanum ecclesiasticum, quod ex libris sanctis per legitimam potestatem maximam partem dimanavit, proprie sic dictum *jus canonicum* constituit.

Jus canonicum dividitur in scriptum & non scriptum.

§. IV. Jam jus canonicum, non secus ac jus civile Romanum, dividitur in *scriptum*, & *non scriptum*. Scriptum, quod etiam *constitutionis* nomine venit, expressa legislatoris voluntate constituitur, quamvis non scribatur. Non scriptum, quod etiam *consuetudinis* nomine venit, moribus est inductum christianorum, quamvis inde scriptis fuerit deman-

(*a*) Aug. ep. XIX., Hieronym. ep. XI.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mandatum. Itaque scripti & non scripti juris appellationes ab eo, quod frequentius accidit, non ab *intrinseca* utriusque juris differentia desumptæ sunt. Scriptura enim potius modus est, quo leges palam fiunt & futuro tempori demandantur, quam pars legis *intrinseca*. Æquivalet scriptura, dum leges scribuntur, carminibus, quibus olim suas leges Germanos conservasse scribit Tacitus (*a*); aut majorum traditionibus, quibus mores & observantias suas conservabant Judæi. Cæterum hæc omnia vera sunt, si distincte singulas juris species proponere velimus. Nam antiqui Patres in his distinguendis non adeo fuerunt religiosi, ut consuetudines & traditiones expressa voluntate inductas non confunderent, ut exemplo esse potest Basilius (*b*), non bene a Gratiano relatus (*c*). Cujus confusionis causa fuisse videtur, quod tam tradita, quam moribus inducta majorum relationibus & usu ad posteros devenerunt.

Jus canonicum scriptum est tripartitum.

§. V. Jus canonicum scriptum est tripartitum, hoc est collectum ex *Canonibus Conciliorum*, *constitutionibus Pontificum*, & *dictis sanctorum Patrum*. Quam partitionem Leo Papa IV. diserte confirmat (*d*), atque hunc ordinem servat, ut sanctorum Conciliorum Canones præferat, inde Decretales epistolas subjiciat, & tertio demum Patrum dicta proponat. Omnia generali *Canonis* nomine recte nuncupantur, sed majoris distinctionis causa generale nomen restrictum fuit ad regulas Conciliorum, inditis propriis nominibus reliquis duabus speciebus.

Origo Conciliorum est ab Apostolis.

§. VI. Ut vero ordine de singulis agamus, nomine *Conciliorum* intelligimus conventus catholicorum Antistitum ad tractandum de rebus ecclesiasticis rite convocatorum. Quos conventus, quod ex diversis locis in eandem viam locumque Antistites coeunt, Græci συνόδους dixerunt. Usus vero Conciliorum in Ecclesia est celeberrimus, & inde usque ab Ecclesiæ nascenti exordio invaluit, idque propter Christi promissionem de ejus præsentia, ubi duo, vel tres de ejus nomine cogerentur. Quum exorta esset tempore Apostolorum contentio, num gentes, quæ ad Christum convertebantur, legalibus veteris legis tenerentur; non aliter quam in omnium concione eam Apostoli terminarunt. (*e*) Quo prælucente exemplo in gravioribus negotiis definiendis, semper ac licuit, Concilia indixit Ecclesia.

Quæ

(*a*) De mor. Germ. init.
(*b*) De Spir. sanct. cap. XXVII.
(*c*) Can. V. D. 11.
(*d*) Can. I. D. 20.
(*e*) Actor. XV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Quæ sint Concilia generalia.

§. VII. Jam Concilia vel sunt *generalia*, quæ Græcis οἰκουμενικαὶ συνόδοι dicuntur; vel *particularia* & *localia*, Græcis τοπικὰ & μερικὰ nuncupata. Universalia sunt, ad quæ omnes totius christiani orbis Antistites convocantur, quibusque, ne sint corpus capite truncatum, Pontifex Romanus aut per se, aut per suos legatos præest. Ita repræsentant Ecclesiam universam. Et quamvis re ipsa non omnes Episcopi conveniant, non ideo tamen minus generalia reputantur; sufficit enim generalis convocatio, quæ fit literis *encyclicis*, seu circularibus missis ad metropolitanos, ut reliquis Episcopis conventum indicant. Illud vero in primis agendum, ut, quoad fieri potest, omnes majorum gentium orthodoxi Patriarchæ vel per se, vel per legatos suos, vel saltem missis literis, adsint.

Variæ Conciliorum particularium species.

§. VIII. Concilia particularia non unius sunt generis pro vario eorum, qui ea agitant, numero. Ad tres ordinarias species reducuntur; alia enim sunt *diœcesana*, alia *provincialia*, alia *episcopalia*. Diœcesana sunt, quæ a Patriarcha ex omnibus eidem subjectis metropolitis & Episcopis celebrantur; a *diœcesi* vero sumpserunt nomen, quæ olim plurium provinciarum tractus comprehendebat, eratque prorsus idem cum patriarchatu. Species Synodorum patriarchalium sunt *nationalia*, quæ ab unius nationis Episcopis celebrantur, & aliquando in antiquis monumentis *plenaria* dicuntur, respectu habito Synodorum provincialium sic proprie dictarum: cujus generis sunt permulta ex Africanis, Gallicanis & Hispaniensibus Conciliis. Provincilia Concilia Episcopi provinciæ sub metropolita: & episcopalia demum unius episcopatus Clerici sub Episcopo componunt. Speciem Conciliorum particularium, sed non admodum frequentem, constituunt plurium nationum Synodi, qualis Arelatensis I. sub Silvestro, Sardicensis sub Julio, aliæque nonnullæ, ad quas soli occidentis Episcopi convenerunt.

Concilia provincialia jure suo Canones condunt.

§. IX. Jam Concilia omnia particularia jure suo Canones condere posse, veteres non dubitarunt. Auctoritas enim Canonum condendorum pendet ab Ecclesiæ regimine, quod Episcopis Christus demandavit. Hinc in antiquis monumentis passim prostant exempla Canonum conditorum non solum in provincialibus, sed etiam in episcopalibus Conciliis (*a*). Sed successu temporis auctoritas isthæc Conciliorum particularium, & præsertim provincialium admodum restricta fuit, ut nempe, nisi de adsensu Pontificis Romani, in iis Canones non conderentur: quod contigit occasione falsarum Decretalium, quæ IX. sæculo

(*a*) Marca lib. VI. de C. S. & I. cap. 14. n. 12.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

lo Ecclesiam infecerunt. Pluries in iis inculcatum erat, *non oporteret præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Qua generali sententia sub nomine primorum Pontificum prolata, auctoritas Synodorum particularium nutare cœpit, quamvis nemo ante Ivonem & Gratianum expresse docuerit, nulla esse Concilia provincialia inconsulta sede Romana celebrata. Et Gratianus quidem quum ea de re contraria fragmenta in suam rhapsodiam conjecisset (*a*), quo de more suo ea in concordiam revocaret, eo evasit, ut Conciliis provincialibus exsecutionem tantum Canonum tribueret, non vero eorundem condendorum potestatem (*b*). In usu statim isthæc sententia versa est, & inde factum, ut sæculis XII. XIII. & XIV. vix ulla fuerint Concilia celebrata, quibus non præsederint legati sedis apostolicæ, quorum auctoritate Canones concipiebantur. Per Patres tandem Tridentinos antiqua libertas revocata est, nullaque injecta necessitate adsensus sedis apostolicæ, datum fuit metropolitis singulis trienniis Synodos provinciales pleno jure celebrare (*c*). Inde mandato Sixti V. S. Congr. Concilii metropolitis significavit, ut Synodos provinciales minime publicarent, nisi prius per sedem apostolicam probarentur (*d*).

Non omnium Canonum eadem est potestas.

§. X. Illud vero certissimum est, non omnes in Synodis conditos Canones ejusdem esse auctoritatis, idque propter variam Conciliorum potestatem. Potestas Synodorum œcumenicarum per universam se extendit Ecclesiam; particularium vero certis finibus, amplioribus aut strictioribus includitur, pro vario jure Episcoporum eas celebrantium. Hinc œcumenici Canones origine sua universam obligant Ecclesiam, particulares particularium Ecclesiarum limites non excedunt. Quumque majori potestati minor cedat, *si discors sententia invenitur in gestis Conciliorum, illius Concilii magis teneri sententia debet, cujus aut antiquior, aut potior exstat auctoritas*: quæ regula sub nomine Isidori Hispalensis proponitur apud Gratianum (*e*). Quod si Canones particularium Synodorum majori auctoritate probentur, aut etiam in codices Canonum, quibus aliæ utuntur Ecclesiæ, referantur; tum limitata eorum potestas ulterius producitur; adeo ut interdum etiam Ecclesiam obligent universam. Ita per totam Ecclesiam obligare cœperunt Canones quinque Conciliorum particularium quarto sæculo in oriente celebratorum, quod per Concilium Chalcedonense probati fuerint; & Canones Africani etiam ubique valuerunt, vel quod in Canonum codices conjecti sint, vel quod auctoritate Conciliorum fuerint probati. Sed de Conciliis plura suis locis.

Sum-

(*a*) D. XVII. & XVIII.
(*b*) Pr. cit D. XVIII.
(*c*) Ses. XXIV. de ref. cap. 2.
(*d*) V. Espen dist. XVIII. Gratiani.
(*e*) Can. XXVIII. D. 50.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Summus Pontifex jus habet Canonum condendorum.

§. XI. Venio nunc ad Pontificum *constitutiones*, quæ pariter legis vim & potestatem habent in Ecclesia. Jus enim illud Petro datum & in Pontifices Romanos transfusum, pascendi oves & agnos, & fratres confirmandi, certe privilegium complectitur Canonum condendorum. Quam prærogativam inde usque a primis sæculis Pontifices exercuisse annales ecclesiastici testantur. Quin tanta est eminentia Romanæ sedis, ut aliquando definierit, quod ipsæ Synodi generales definire non sustinuerunt. Ita Siricius edita constitutione majoris gradus Clericis fibulam imposuit, non solum novis nuptiis, verum etiam usu ante contractarum eis interdicens: quod a Concilio Nicæno, intercedente Paphnutio, definitum non fuit, ut memoriæ prodiderunt Socrates (*a*) & Sozomenus (*b*), quorum narrationem tanquam dubiæ fidei viri docti immerito traducunt (*c*). Quæ quum ita sint, nescio qua ratione asseri possit, tantam potestatem Romanæ sedi per Valentianum III. fuisse tributam, qui ambitu Leonis magni circumventus edixit, *ut pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas*. Quæ novella constitutio cod. Th. adjuncta est. Ut enim admittamus, Valentinianum de jure pontificum in constitutionibus edendis statuisse; manifestum tamen est, antiquum potius jus apostolicæ sedis ipsum confirmasse, ut in legem publicam abirent Pontificum constitutiones, quam aliquid de novo tribuisse. Cujus rei ipsi Valentiano denuncio testimonium, qui a primatu Pontificis suæ constitutionis derivat rationem (*d*). His autem constitutionibus non solum fidem & disciplinam Pontifices confirmant; verum etiam novos ritus novamque inducunt politiam: quod multis constat antiquitatis exemplis; ut proinde minus vera videri possit opinio Cardinalis Cusani, qui prærogativam Pontificis in condendis Canonibus ab antiquarum tantum regularum confirmationem restringit (*e*).

Synodales erant Pontificum constitutiones.

§. XII. Jam istiusmodi leges omnes non ab unius Pontificis arbitrio, sed in Synodo Episcoporum Romam convenientium olim editæ sunt. Hac in re Romani Pontifices ab aliis Patriarchis & metropolitis, quorum Decretales epistolæ semper fuerunt Synodales, non differebant. Et sane constat ex quadam Leonis M. epistola, omnia apostolicæ sedis constituta & Canonum decreta in commune coram beatissimo Apostolo Petro fuisse tractata (*f*). Nec est, quod id in dubium ea ratione vocetur, quod istiusmodi decreta solius Pontificis præferant nomen; nam id factum est propter sedis apostolicæ amplitudinem, penes quam sum-

(*a*) Lib. I. cap. 8.
(*b*) Lib. I. cap. 22.
(*c*) N. Alexand. diss. XIX. in IV. sæc.
(*d*) Petr. de Marca lib. I. de C. S. & I. cap. 8. & 9.
(*e*) Lupus schol. in Can. VII. dict. Gregor. VII.
(*f*) In decret. cap. XIII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

summa erat rerum agendarum, ut diserte docet Julius Papa (*a*). Erat igitur olim senatus Pontificis, ex cujus sententia Canones condebantur, Synodus Romana. Sed quum successu temporis auctoritate crevissent Cardinales & senatum Pontificis constituerint, jus Romanæ Synodi in eos transfusum est: quamvis hodie Pontifices insuper habito Cardinalium adsensu, solum in condendis Canonibus eorum requirant consilium (*b*).

Constitutiones pontificiæ sunt generales, *vel* particulares.

§. XIII. Sunt autem Pontificum constitutiones aut *generales*, aut *particulares*. Generales sunt, quas sponte sua, vel etiam ab aliis consulti, ad rectum Ecclesiæ regimen in consilio Episcoporum, aut etiam Cardinalium emiserunt unquam, aut nunc Romani Pontifices emittunt. In speculis enim universæ Ecclesiæ constituti, quid tenendum, servandumve sit in rebus ecclesiasticis, definiant & constituant, oportet. Constitutiones, quas a nemine consulti Principes emittunt, Romani jurisconsulti appellant *edicta*: sed in re ecclesiastica hujus generis pontificiæ constitutiones *decreta* & *Decretales epistolæ* appellantur; idque quod iis generaliter decernebatur, quid Ecclesiæ in fide & disciplina tenere oportebat, & quod datis literis ad Ecclesias mittebantur. Particulares Pontificum constitutiones sunt, quibus ad Episcoporum vel privatorum relationem quid in propositis speciebus tenendum sit, Pontifices definiunt: passimque appellantur *rescripta* & *epistolæ Decretales*, & quandoque etiam *decreta*. Perantiqua est Ecclesiæ disciplina, Petri innixa primatu, ut de rebus dubiis ex omnibus provinciis ad sedem Romanam referatur, ut inde dubiis omnibus evolutis, quid tenere oportet, innotescat: in quo distat sedes Romana ab aliis Patriarchis, quibus etiam jus est relationibus ex dioecesi respondere. Pluribus hoc jus apostolicæ sedis Innocentius I. inculcat literis ad Concilium Milevitanum (*c*). Tempore Damasi his literis exarandis præpositus erat Hieronymus, ut ipse testatur literis ad Ageruchian (*d*). Olim hisce literis Decretalibus res gravissimæ tum ad fidem, tum ad disciplinam pertinentes materiam suppeditarunt: quod demonstrant Decretales per Dionysium Exiguum collectæ. Sed lapsu temporis etiam de rebus minimis & vix ad Ecclesiam pertinentibus nova disciplina rescripta a Pontificibus extorsit. Cæterum inde usque a multis sæculis *rescripta* strictius accipiuntur pro eo apostolicarum literarum genere, quibus summus Pontifex aliquid supplicantium causa fieri jubet, dividunturque in rescripta *justitiæ*, & *gratiæ*, de quibus tit. Decretalium *de rescriptis* agitur.

Res-

(*a*) Ep. ad orient. ap. Athanas. apolog. II.
(*b*) Lupus loc. cit.
(*c*) Ep. XCI. inter August.
(*d*) Epist. XI.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Rescripta *an vim habent legis generalis?*

§. XIV. Quoniam vero rescriptis pontificiis peculiares species deciduntur, merito quæritur, num vim habent Canonis generalis, quo similes causæ debeant definiri. Certe jure civili regula videtur fuisse, rescripta tantum jus facere in iis causis & personis, pro quibus sunt emissa (*a*), nisi aliquid amplius continerent, quod eis vim legis generalis conciliaret, ut pluribus docet Jacobus Gothofredus (*b*). Hinc ut rescripta Principum vim legis generalis obtinerent, necesse fuit in codices redigi publica auctoritate. At rescripta pontificia, saltem posteriora, vim Canonis generalis videntur obtinere, licet nihil habeant, unde constet de voluntate rescribentis, idque ex generali Pontificum voluntate, qui ea mente rescripserunt, ut in similibus speciebus eædem obtinerent decisiones. Sane in causis, quæ Pontificis auctoritate deciduntur, jure & ordine Innocentius III. scribit procedendum, *quum in similibus causis cæteri teneantur similiter judicare, nisi forte quum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum* (*c*). Et hinc non recte Franc. de Roye (*d*) tum demum rescripta Pontificis habere vim Canonis generalis opinatur, quum pontificia auctoritate collecta reperiantur.

Non recepti non obligant disciplinæ Canones.

§. XV. Jam quantum ad leges ecclesiasticas tum per Concilia, tum per Pontifices constitutas, illud sciendum est, quod non omnes ea donantur vi, ut statim post solemnem publicationem, quæ in omnibus provinciis fieri debet, incipiant obligare. Distinguendæ enim sunt regulæ fidei & morum ab iis, quæ disciplinæ sunt. Illæ propria donantur vi, ut statim omnes adstringant, quod nihil aliud sunt, quam ipsa evangelica doctrina in praxim deducta: & si quandoque decretis Pontificum de rebus fidei non steterint Ecclesiæ, ut contigit in causa rebaptizationis hæreticorum, id factum est, quod de iis tanquam rebus disciplinæ judicarent. At regulæ disciplinam statuentes, non ante incipiunt obligare, quam Ecclesiarum expresso, vel tacito consensu recipiantur. Quod ex ingenio christianæ religionis emanat. Etenim potestas ecclesiastica potius in admonitione, quam in coactione consistit: quam christianismi naturam sacris N. T. libris consecratam ita expressit Gregorius Nazianzenus (*e*), *vel maxime id lex nostra, & legislator noster sanxit, ut grex non coacte, sed sponte ac libenti animo pascatur.* Et Jo. Chrysostomus (*f*), *legibus & mandatis omnia peraguntur* (apud Principes), *hic vero* (in Ecclesia) *ni-*

(*a*) L. IX. C. Th. de div. rescript. L. II. C. de LL.
(*b*) Ad cit. l. IX.
(*c*) Cap. XIX. ex. de sent. & re judic.
(*d*) De Roye instit. jur. can. part. I. lib. I. tit. 2.
(*e*) Apolog.
(*f*) Hom. III. in act. Apost.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nihil tale. Unde consequitur, nihil christianis repugnantibus ab Ecclesia in disciplina esse obtrudendum. Quam sententiam & ipsi probarunt Romani Pontifices, ut probat P. de Marca (*a*), & antiquitas in praxim deduxit. Etenim multi Canones etiam generales non ante vim habuerunt suam, quam eos Ecclesia recepit, ut exemplo esse possunt Canones Constantinopolitani & Chalcedonenses, quibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ prærogativa statuebatur, aliique multi, quorum Franc. Florens instituit recensionem (*b*).

Dicta Patrum *recepta vim Canonis habent.*

§. XVI. Ex tribus propositis Canonum speciebus remanent *dicta sanctorum Patrum*, hoc est eorum scriptorum ecclesiasticorum, qui scientia & vitæ integritate olim claruerunt. Hujusmodi Patrum dicta origine sua vim legis non habent, quin omni auctoritate non adjectis rationibus destituuntur, quod totidem verbis docet Augustinus (*c*). Ut bene enim observat Gratianus, ad legem condendam non tam scientia & sanctitas, quam auctoritas est necessaria (*d*). Hinc in antiquioribus Canonum collectionibus nulla sanctorum Patrum dicta reperiuntur inserta. Quo igitur dicta Patrum in vim legis adsurgant, necesse est, ut exterius fulciantur, eisque Ecclesia suam accommodet auctoritatem. In qua specie valet illud, ea nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur (*e*). In dictis Patrum probandis præivit occidentali orientalis Ecclesia. In Concilio enim Trullano plura Patrum Græcorum opuscula inter Canones relata sunt, ut mittam quod Trullanis Patribus antiquiores collectores aliquid ex Patrum operibus suis collectionibus inseruerint. Sed apud latinos post capitularia regum Francorum maxime promovit hanc provinciam Leo IV., qui in negotiis per Canones & Decretales non definitis, permagni facienda esse statuit dicta sanctorum Patrum (*f*). Post quod tempus latini collectores cœperunt suos codices dictis Patrum adspergere, qua in re omnibus palmam præripuit Gratianus.

Jus non scriptum *moribus inducitur.*

§. XVII. Et hæc de jure canonico scripto. *Non scriptum* tacito christiani populi inducitur consensu in iis rebus, quæ juri divino & bonis moribus non adversantur. Est Ecclesia fidelium societas inæqualis iisdem sacris initiata & iisdem vivens institutis, unde quemadmodum in civitatibus inæqualibus aut expressa imperantium voluntate, aut moribus utentium, Principum saltem tatico accedente consensu, leges constituuntur; ita etiam in Ecclesia Canones procedunt ex-

(*a*) Lib. II. de C. S. & I. cap. 16.
(*b*) Diss. de orig. jur. can. part. I.
(*c*) Can. V. D. 9.
(*d*) Princ. D. XX.
(*e*) L. I. §. 6. C. de vet. jur. enucl., cap. XXII. de præb. in 6.
(*f*) Can. I. D. 20.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

expressa præsidentium voluntate, aut assiduis longoque tempore usurpatis moribus totius ecclesiastici corporis. Quin omnibus rite expensis, primæ Ecclesiarum consuetudines præjudicio auctoritatis videntur inductæ, in quo a primis civitatum consuetudinibus distant ecclesiasticæ. Etenim quo sanctiori vita Ecclesiæ præsidentes cæteris prælucent, eo magis christiani ad eorum feruntur imitationem, paulatimque eorum moribus adsuescunt. Unde veluti sponte sua factum, ut forma rerum explicandarum primum per præsidentes usurpata, deinceps in usum abiret adsiduum.

Sunt consuetudines aut generales, *aut* particulares.

§. XVIII. Sunt autem ecclesiasticæ consuetudines aut *generales*, aut *particulares*, quarum illæ omnium, hæ usu particularium Ecclesiarum invalescunt. Sic generalis erat consuetudo, ut die dominico stantes christiani orarent & jejuniis abstinerent: quod Tertullianus (*a*), & Augustinus (*b*) testantur. Scilicet inde usque a primis temporibus diem dominicum dominicæ resurrectioni sacrum christiani habuerunt. Unde merito inductum, ut eum diem læti ducerent & omnibus mœstitiæ signis temperarent in tantæ lætitiæ memoriam, quanta per Christi resurrectionem sunt perfusi. Generalis quoque erat consuetudo orandi orientem versus (*c*); idque vel quia oriens erat Christi figuram (*d*), vel quod Christus apparuit in oriente (*e*). Contra speciali consuetudine jejunium sabbatarium in Ecclesia Romana servabatur, passimque in antiqua, & nova disciplina peculiarium institutorum circa liturgica occurrunt exempla.

Consuetudines primum inductæ de rebus arbitrariis.

§. XIX. Fundus autem, unde primæ emerserunt ecclesiasticæ consuetudines, fuerunt res arbitrariæ in Scripturis sacris non adprehenssæ. Unde ea Patrum vox, in rebus, *de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt* (*f*). Scilicet quum in verbo Dei pauca admodum de forma externa, eaque arbitraria, administrationis Ecclesiarum & sacrorum mysteriorum essent expressa; quo omnia decenter & ordine fierent, usu ipso Ecclesiarum varii ritus cœperunt induci, temporum calamitate minime ferenti Conciliorum celebrationem. Qui mores semel recepti regulas ecclesiasticas primorum sæculorum constituerunt, & veluti per manus ad posteros demandati (quo factum ut etian verbo *traditionis* veniant apud Patres (*g*),) inde fuerunt confirmati per Concilia. *Plu-*

(*a*) De coron. cap. III.
(*b*) Ep. LXXXVI ad Casul.
(*c*) Tertul. apolog. cap. XVI.
(*d*) Clem. Alexand. strom. VII., August. de serm. Dom. in monte II. cap. 5.
(*e*) Auctor quæst. ad Antioch. q. XXXVII.
(*f*) August. ep. LXXXVI. ad Casul., Hieron. Can. IV. D. 12.
(*g*) Cit. Can. IV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Pluribus rationibus inductæ consuetudines.

§. XX. Pluribus vero rationibus potuit evenire, ut hujusmodi res indifferentes per usum potius hanc, quam illam acciperent figuram, quas rationes e re ecclesiastica est minime ignorari. Etenim tum rite leges & traditiones intelliguntur, quum earum rationes innotescunt, quod passim inculcant sapientes. Unde quum non sit hujus loci descendere ad particularia, saltem generaliores consuetudinum causas proponemus. Et (I) primum quidem proxima causa multorum rituum per usum inducendorum fuit mystica sacrorum ratio & intelligentia, quam ipsis factis declarari admodum utile erat, ut ita fideles a rebus ipsis ad mysteriorum altitudinem adsurgerent: quo ex capite plerique liturgici ritus emanarunt. Porro (II) errores, qui subinde emergebant in Ecclesia, novas induxerunt consuetudines, ut ita etiam contrariis cæremoniis conculcarentur. Qua ratione videntur promanasse solemnes stationes pœnitentium. Nec minus ponderis ad inducendas consuetudines (III) videtur habuisse publicum & civile decorum, quod quamvis initio liberas habeat observationes, tamen ubi semel in societatem aliquam inductum est, facile abit in necessitatem, & mores efformat; quibus homines adsueti secundum decori regulas etiam res arbitrarias religionis componunt. Certe huic publico decoro, ut alia multa mittam, suam debet formam ecclesiastica politia, quæ ad civilem in origine & in sequentibus mutationibus aptata est. Demum (IV) mores eorum, unde primum coaluerunt Ecclesiæ, plures induxerunt consuetudines, præsertim in iis speciebus, ubi mores non repugnabant susceptæ religioni. Unde multi Judæorum ritus inter christianos invaluerunt.

Consuetudines generales ab Apostolis traditæ.

§. XXI. Illud interim observandum, consuetudines generales, quæ ab initio servatæ sunt, apostolicæ potius institutioni sine scripto traditæ, quam moribus totius christiani populi originem debere suam. Sunt alia aliis pulchra, atque adeo diverso ingenio homines donati sunt, ut difficile omnino videatur, saltem primis sæculis, quando in christianos gentium furor sæviebat, longe dissitas Ecclesias in idem solis moribus consentire potuisse. Unde merito adfirmavit Augustinus (a), *quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate institutum rectissime credi.* Et sane Apostoli non omnia ad fidem & disciplinam spectantia scriptis demandarunt, sed multa sola traditione docuerunt. Ita instituta generalia, quamvis non scripta, potius ad jus *scriptum*, quam *non scriptum* referri debent. Nec huic sententiæ obstat, quod in libris Patrum sæpe hujusmodi instituta appellantur consuetudines: nam id factum est,

(a) Lib. IV. de Baptis. cap. 24.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

est, quod adsiduo Ecclesiarum usu ad posteros dimanarunt.

Consuetudo legem facit.

§. XXII. Jam consuetudinis ecclesiasticæ tanta vis est, ut regulam constituat. Quid enim interest, num Ecclesia expressa voluntate sibi leges condat, an rebus ipsis & factis? In hac vi consuetudinis adserenda toti sunt veteres Patres. Basilius consuetudinibus ecclesiasticis eundem pietatis affectum, qui legi scriptæ debetur, deberi asserit, alioquin magnum detrimentum subituram religionem (*a*). Et Hieronymus (*b*), *multa, quæ per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, veluti in lavacro ter mergitare.* Et Augustinus, *in his rebus, de quibus nihil statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt* (*c*). Per universam igitur Ecclesiam obligant generales consuetudines, in aliquibus vero locis particulares: & ita in particularibus locorum usibus nil melius, quam stare receptis Ecclesiarum moribus, quod post Ambrosium aliosque Patres sapienter inculcat Augustinus (*d*). Atque ex hac consuetudinis vi factum, ut in monumentis ecclesiasticis nomen *Canonis*, quod legis scriptæ ecclesiasticæ proprium est, etiam consuetudinibus tribuatur; quod eruditi, in primis Stephanus Baluzius (*e*), N. Alexander (*f*), Boehmerus (*g*), aliique passim observant.

Quinam Canones per consuetudinem abrogantur.

§. XXIII. Porro ea est consuetudinis vis, ut ipsos etiam abroget Canones. Vulgatum est, contrariis consuetudinibus leges exolescere. Sed distinguendi sunt Canones de ritibus externis ab iis, qui mores componunt, morumque tradunt disciplinam. De ritibus & meri juris positivi Canones dubium non est, quin per contrarias abrogentur consuetudines. Ritus enim externi sunt ex eo rerum genere, quæ liberas habent observationes, & pro temporum & locorum adjunctis variantur. Sic impune negliguntur hodie plerique antiquorum Canonum, veluti de baptismo extra necessitatem in Paschate & Pentecoste administrando, de precibus die dominico de geniculis non fundendis, de publicæ pœnitentiæ stationibus, quod iis per contrarias est abrogatum consuetudines; non enim legimus contrariis Canonibus fuisse revocatos. Verum si agatur de Canonibus, qui mores ordinant, aut tradunt disciplinam ad morum compositionem proxime spectantem, nulla ibi præscriptio est, nulla vis consuetudinis efficere potest, ut abrogentur. Quin in ipsis meræ disciplinæ Canonibus si aliquid de mo-

(*a*) Can. V. D. 11.
(*b*) Adver. Lucej.
(*c*) Ep. LXXXVI. ad Casul. Can. VII. D. 12.
(*d*) Can. XI. D. 12.
(*e*) Adit. ad Marca lib. V. de C. S. & I. cap. 12.
(*f*) Diss. XVIII. in I. sæc.
(*g*) Lib. I. jur. eccles. tit. 4. §. 29.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

moribus reperiatur admixtum, cum ipsa disciplina non abrogatur. Æterna lex non subjacet mutationi. Ita quod contra bonos mores invaluit, non tam consuetudo, quam *vetustas erroris* est appellandum (*a*), tantoque gravius peccatum est, quanto diutius infelicem animam detinet obstrictam (*b*). Quapropter sacrorum Antistitum est toto conatu eas corruptelas, antequam radices agant, & latius diffundantur, penitus exstirpare; alias non facile evelluntur, &, quod pejus, pro legibus apud improbos invalescunt (*c*). Atque ita fit, ut, vitiis late diffusis, quandoque Ecclesia cogatur tempori deservire, & eo ipso, quo abusus improbat, ad tempus tolerare. Cujus tolerantiæ passim occurrunt exempla.

CAPUT III.

De Principum legibus circa res ecclesiasticas.

Sacerdotium, & imperium *per Christum distincta.*

§. I. De rebus sacris præter Ecclesiam etiam sæculi Principes leges condunt, quas cum Canonibus suis codicibus inseruerunt collectores. Quapropter antequam ab hac de variis Canonum speciebus tractatione discedamus, merito videndum, quam vim habent de rebus sacris Principum constitutiones. Quanquam apud gentes solemne fuerit religionis & reipublicæ administrationem in unam personam coalescere; apud christianos tamen ea duo inter se discreta, totidem efformant regimina, a se invicem non pendentia, *sacerdotium* nempe, & *imperium*, quorum hoc temporalibus, illud vero Ecclesiæ & religioni præest. Quæ distinctio ex Christi servatoris instituto nata (*d*), Apostolorum praxi primum consecrata est. Et sane constat, Apostolos tum singulos, tum in communi, de rebus ad religionem & externam politiam Canones condidisse, quod indicat sacerdotii tantum esse, non imperii, religionis & Ecclesiæ regimen. Nec id ea ratione factum est, quia non adhuc erant reges christianæ religionis nutritii; nam si christianismi ingenium postulasset, ut per Principes regeretur, certe eorum corda per gratiam suam Christus sic afflasset, ut primi christianismum profiterentur, quo iis regendam Ecclesiam committeret, non ad eam colligendam & ordinandam Apostolos misisset.

Quod

(*a*) Can. VIII. D. 8.
(*b*) Cap. XI. ex. de consuetud.
(*c*) Can. III. D. 8.
(*d*) Jo. XX. 21., Act. XX. 28.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Quod probatur auctoritate Patrum.

§. II. Porro eandem inter sacerdotium, & imperium distintionem Ecclesiæ Patres, non minus apostolicæ dignitatis, quam doctrinæ heredes, semper proposuerunt & inculcarunt, in primis Nazianzenus, Isidorus Pelusiota, Synesius, Chrysostomus, aliique, quorum loca refert Petrus de Marca (*a*). Sed prorsus magnifica est hac super re Osii Cordubensis ad Constantium Imperatorem allocutio: *tibi Deus imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator* (*b*). Nec minori libertate egit Gregorius II. apud Leonem Isaurum Imperatorem, cui sacras imagines conculcanti scriptis literis palatii, & Ecclesiæ; Principum, & Pontificum discrimen exponit.

Et ingenua Principum confessione.

§. III. Quin adeo splendenti lumine radiat inter sacerdotium, & imperium, eorumque objecta discrimen, ut ipsi, quorum intererat, Principes sæpe professi sint, juribus majestatis Ecclesiæ regimen non contineri. Quum pro restauranda fide *consubstantialitatis*, quam Constantius eversum iverat, ab Episcopis orientis solicitatus esset Valentinianus senior, nefas esse, respondit, se, utpote laicum, ejusmodi negotiis ingerere (*c*). Et Marcianus Imperator non ad potentiam ostentandam superstes Concilio Chalcedonensi, ea, quæ pertinebant ad Ecclesiæ politiam, Patribus constituenda proposuit: tantum abest, ut ipse propria auctoritate definierit. Non desunt similes Principum confessiones, sed nemo melius Justiniano discrimen illud, ejusque divinam originem proposuit, & inculcavit (*d*).

Refertur, & confutatur systema protestantium.

§. IV. Verum ab hac constanti Ecclesiæ doctrina discedentes protestantes, Christi sacerdotium in partes discerpunt, eique verbi prædicatione & Sacramentorum administratione tributa, externum Ecclesiæ regimen ad Principes spectare contendunt: idque (non enim illorum, qui Principibus comunicant episcopatum, moror opinionem, ab ipsis doctioribus protestantibus explosam) ne respublica in republica nascatur, duobus inductis capitibus a se invicem non pendentibus, quemadmodum post Grotium & Pufendorfium ratiocinantur

(*a*) Lib. II. De C. S. & I. cap. 1.
(*b*) Ap. Athanas. ep. ad solit.
(*c*) Ap. Sozom. lib. VI. cap. 7.
(*d*) Novel. V.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tur Jo. Franc. Buddeus (*a*) & Justus Henningius Boehmerus (*b*). Verum omnibus rite expensis, & suo cuique tributo, omnia recte cohærent, tantum abest, ut jure sacrorum Episcopis dato, in monstrum biceps civitas evadat. Et sane quamvis Ecclesia sit in republica, non tamen est eidem subordinata, sed tanquam societas a republica disparata spectanda est. Non pugnat, ut idem morale corpus vario respectu varias personas induat, perinde ut sunt, ad quos dirigitur, fines: pendetque subordinatio, aut diversitas corporum moralium a subordinatione, aut finium diversitate. Ita quæcunque collegia ad salutem civilem tendunt, subjiciuntur civitati; at non tantundem est de Ecclesia, quæ ad diversum a republica finem ordinata, sejunctum ab ea corpus constituit. Quæ veritas inde clare intelligitur, quod salus collegiorum subordinatorum unice pendet a tranquillitate & subsistentia reipublicæ; non itidem salus Ecclesiæ, quæ sub cruce stetit, & ita quidem, ut ea fuerint Ecclesiæ tempora feliciora, quibus minus publica fruebatur felicitate: quod ipse adgnoscit Boehmerus (*c*). Quæ quum ita sint, non ex eo quod Episcopi Ecclesiæ sacrisque præsint, duo capita sunt in republica: nam Ecclesia, & respublica non sunt invicem subordinata, quamvis ex eisdem hominibus, sed ad diversos fines coalescant. Quo fit, ut ii ipsi, qui Ecclesiæ præsunt, in civitate spectati, cives sint, & non secus ac alii cives, civili subjaceant potestati; & e contrario ipsæ summæ potestates in Ecclesia iis parere debeant, quibus per Jesum Christum regimen Ecclesiæ est demandatum.

Religionis & Ecclesiæ defensio spectat ad Principes.

§. V. Quanquam vero regimen Ecclesiæ sit extra jura majestatis, atque adeo eo nomine de rebus ecclesiasticis Principes leges non condunt; ad Principes tamen spectat pro potestate sua Ecclesiam & religionem tueri. Jampridem observatum est, talem esse societatis civilis naturam, ut sine religione non subsistat: nam metu numinis, interiora cognoscentis & post mortem punientis, excusso, pactorum & legum, quæ sunt prima societatum fundamenta, nulla erit vis, nulla efficacia; ut proinde inter impia deliramenta ea sententia referenda sit, quæ fert, atheorum stare posse rempublicam. Quum igitur reipublicæ cura spectet ad Principes, eo nomine etiam religionem & Ecclesiam tueantur, oportet. Deinde nulla habita societatis ratione, cohærens est regiæ potestati Dei causam tueri & Ecclesiam communem matrem adjuvare. Sane non pro se quisque tantum, sed etiam pro mandata sibi potestate Deo servit, ut recte Grotius (*d*). Quam veritatem adgnoscens Augustinus, scripsit, divinitus Regibus, in quantum Reges sunt, præcipi, in regnis suis bona jubere, & ma-

la

(*a*) Lib. V. theol. dogm. 4. §. 26.
(*b*) Lib. I. jur. eccles. tit. 31. §. 44.
(*c*) Lib. I. jur. eccl. tit. 33. § 21.
(*d*) Lib. II. de I. B. ac P. cap. 15.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

la prohibere, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quæ ad divinam religionem (*a*). Nec ex alio fonte manavit illud Isidori, debere Principes rationem Deo reddere etiam propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam susceperunt (*b*).

Jure tuitionis leges circa sacra Principes condunt.

§. VI. Hanc igitur Ecclesiæ tuitionem ad se pertinere videntes christiani Principes, Ecclesiæ nunquam defuerunt, sive ejus judicia exsequentes, sive judicio Sacerdotum Concilia indicentes, sive hæreticorum turbas cohibentes. Præsertim vero eluxit Principum in Ecclesiam obsequium in legum promulgatione, quibus fidem & disciplinam per Ecclesiam confirmatam & statutam confirmarunt, pœnis temporalibus subinde adjunctis. Hinc passim apud omnes christiani nominis gentes occurrunt hujusmodi leges, quæ aut generatim fidem & disciplinam per Concilia constabilitam & statutam, aut peculiaria earum capita confirmant. Quin Principes subinde non meræ Canonum confirmationi adhæserunt, sed sæpe de Episcoporum consilio eorum mentem aliquibus additionibus suppleverunt: quo nomine Justinianum Jo. Scholasticus commendat (*c*).

Canones legibus confirmati vim legis habent.

§. VII. Jam per hanc legum civilium confirmationem sacris regulis etiam civile robur accedit, potestatemque nanciscuntur nomo canonis. Quapropter qui in Canones per leges confirmatos impingunt, duplici se obstringunt crimine, quod ecclesiasticam & civilem lædunt potestatem, atque ita duplici pœna spirituali & civili puniuntur. Expressit id Imperator Justinianus quadam sua constitutione, qua lectis Canonibus, jussit ab ordinatore episcopatus candidato denunciari, crimina in Canones non solum dejectione a sacerdotio (quæ pœna canonica erat); verum etiam per civilem potestatem vindicari, quia Canones vim legum obtinent (*d*). Unde Canonum observantiæ non solum invigilabant Principes ad disciplinæ ecclesiasticæ defensionem, verum etiam eo nomine, quo legum civilium suscipiunt solicitudinem. Quod duabus præsertim rationibus efficiebant, delegatione nempe magistratuum, qui vetarent, ne quid contra Canones tentaretur; & exactis pœnis a contumacibus, si quid perperam gestum esset: & aliquando iis rescissis, quæ contra Canones acta erant (*e*).

Legibus Principum quandoque constituta politia.

§. VIII. Præter leges in fidei & politiæ confirmationem conditas, pos-

(*a*) Augustr. lib. III. cont. Cresc. cap. 15.
(*b*) Can. XX. C. 23. q. 5.
(*c*) Præf. suæ collect. ap. P. de Marca lib. II. de C. S. & I. cap. 11. n. 4.
(*d*) Novel. VI. cap. 1.
(*e*) P. de Marca lib. IV. de C. S. & I. cap. 1. num. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

possunt Principes tanquam capita corporis politici leges condere, quæ in laicos & bona temporalia directæ, politiam constituant ecclesiasticam. Exemplo esse potest Constantini M. lex de non ordinandis curialibus (*a*). Erant *curiales*, qui ad onera patriæ suæ una cum bonis suis erant adstricti, qui quoniam ad onera declinanda ad clericatum confugiebant, ne ordinarentur, Constantinus edixit: ac ita jure civili nova pro ordinandis conditio instituta est, ut nempe sint liberi a curiali conditione. Sane Ecclesia nata est in republica, non respublica in Ecclesia, & ita possunt Principes de externa disciplina, quæ ritus sacros non spectat, disponere, ne respublica damnum sentiat. Quoniam vero hisce legibus Principes potius intendebant reipublicæ consulere, quam ecclesiasticæ libertati modum imponere, fere Ecclesia inde Canones adauxit suos. Unde in hac causa Canones in legum consequentiam feruntur; ut e contrario in rebus fidei & interioris disciplinæ leges in Canonum consequentiam promulgantur.

Principes subinde jus tuitionis egressi sunt.

§. IX. Hisce limitibus conclusa de rebus sacris Principum potestas summo cohæret imperio. Sed negari non potest, quandoque eos jus tuitionis egressos, sibi adrogasse jura Sacerdotum. Inter alios Principes eo nomine censetur Justinianus, qui in tantis legibus, quas de disciplina sanxit, etiam sibi sumsit, ut tanquam summus Sacerdos ediceret, mystica verba consecrationis Eucharistiæ clara voce esse pronuncianda (*b*): quo facto antiquum Ecclesiæ morem solicitavit, quæ tanto mysterio quæsiverat silentio reverentiam. Quin adeo delectabat Justinianum spiritualium cognitio, ut primus *tria capitula* damnarit. Modum vero nullum servarunt Leo Isaurus & sequentes Imperatores, qui edictis suis universam disciplinam, & subinde etiam fidem subjecerunt. Et quo nihil deesse, ut veri haberentur Sacerdotes, ætate Balsamonis etiam docebant (*c*): qua in re fœdæ & demissæ humilitatis notantur Græci Patriarchæ, qui docendi officium adeo Episcopis proprium in Principibus tolerarunt, sed potius iis communicarunt.

Nullius roboris sunt leges contra Canones.

§. X. Non est autem, quod moneam, Principum leges contra fidem, aut receptos Canones nullas esse, idque ea ratione, quod Principes nulla donantur potestate ad res ecclesiasticas constituendas, quamvis semel constitutas confirment. Verum quamvis Ecclesia Principum edicta contra fidem palam rejecerit & damnarit; non tamen eadem ratione se gessit, quum agebatur de violatis per rescripta Prin-

(*a*) L. III. c. Th. de Episc.
(*b*) Novel. CXXXVII. cap. 6.
(*c*) Balsam. medit. de Patriarch.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Principum admissis Canonibus, aut aliquid libertati christianæ adversum induceretur. In his causis id obsequii Principibus exhibuit Ecclesia, ut potius a Principibus leges exoraret rescindendas, quam ipsa suis Canonibus nullas declararet, quod constat auctoritate Synodi Chalcedonensis, quæ rescriptum de Metropoli Beryti datum adversus Canones a judicibus rescindendum esse professa est (*a*). Præcipue vero hanc reverentiam Principibus exhibuit Gregorius Magnus, qui quum videret Mauricii legem, qua vetabatur militibus monachismum amplecti, omnipotenti Deo repugnare, eo ipso, quo eam publicavit, Principi duxit referendum de eo, quod libertati christianæ adversum legi inesse videbatur, ut legis moderationem obtineret. Interim vero cum delectu milites ad conversionem monet suscipiendos, adeo certus erat de legis obtinenda moderatione (*b*).

CAPUT IV.

De Jure canonico veteri, & codicibus quibus continetur.

Statuuntur tres ætates juris canonici.

§. I. Enarratis omnibus Canonum speciebus, unde jus canonicum coaluit, proximum est, ut in ejus vicissitudines & codices, quibus continetur, inquiramus. Quæ duo adeo stricte cohærent, ut unum sine altero non intelligatur. Quo vero quidquid ejus rei est, rite procedat, jus omne ecclesiasticum ad tres veluti ætates revocamus, quarum prima jus canonicum *vetus*, altera *novum*, tertia *novissimum* exhibet. Jus *vetus* Canones per octo plus minus sæcula ab Ecclesia propositos sistit. *Novum* originem duxit a falsis Decretalibus, quas Pseudo-Isidorus in Ecclesiam invexit, contineturque collectione Gratiani & sequentibus Decretalium collectionibus. Et demum *novissimum* continet quidquid per Concilia, sive Pontifices in re ecclesiastica post editos receptos Decretalium codices constitutum est.

Antiquitas & utilitas colligendorum Canonum.

§. II. Usus redigendorum sacrorum Canonum in codices in Ecclesia cœpit ab eo tempore, quo eorum numerus auctus est. Quum enim Canonibus externa Ecclesiæ politia ejusque judicia regantur, dubitari vix potest, quin aliquatenus aucti non concesserint in codicem, cujus beneficio incommoda, quæ ex sparsis regulis proveniunt, Patres evitarent, certum fixumque regularum numerum haberent, & receptos a non receptis, aut spuriis Canonibus distinguerent. Et sane Patres Africani Canones Sardicenses, legati Romani in Synodo Chalcedonensi Canones Constantinopolitanos ab orientalibus productos, &

(*a*) Marca lib. II. de C. S. & I. cap. 11. n. 8.
(*b*) Gregor. M. lib. II. ep. 62. & lib. VII. ep. 11.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

& Hincmarus Rhemensis cum aliis Episcopis Gallicanis Antesiriciianas Decretales, non alia ratione exploserunt, quam quod receptis codicibus non continerentur.

Variæ collectionum species.

§. III. Jam Canonum codices ad duo summa genera possunt revocari, ad temporum scilicet ordinem, & materiarum. Qui temporum ordinem sequuntur eo ordine exhibent Canones, quo a Patribus conditi sunt, per continuam seriem numerorum. Unde factum, ut Græci hoc genus collectionum appellent ἀκολουθίαν κανόνων *Canonum consequentiam* & τάξιν τῶν κανόνων *Canonum seriem* (*a*). Sed qui sequuntur ordinem materiarum artificiosa methodo procedentes, in certa capita tribuunt universam materiam, & sub singulis capitibus de una eademque re Canones tractantes collocant. Antiquiores collectiones temporum seriem, posteriores fere ordinem sequuntur materiarum. Sed materiarum ordo non semper est idem, nam aliquæ collectiones Canones integros, aliæ tantum eorum summas breviationesque continent; nec desunt collectiones, quæ cum Canonibus leges civiles habent admixtas, dictæ proinde *nomo-canones.*

Quælibet Ecclesia proprium codicem habebat.

§. IV. Quamvis vero Ecclesia una sit per totum terrarum orbem diffusa, non tamen putandum est, unum per totam Ecclesiam Canonum codicem obtinuisse. Etenim olim celebriores Ecclesiæ proprio utebantur codice, in quem, præter Canones ubique receptos, peculiares loci Canones conjecti erant, & quotquot ab alienis Ecclesiis recipiebant. Hæc codicum diversitas inde profecto nata est, quod Canones codicibus recepti, ut plurimum spectant disciplinam, quæ pro locorum & temporum adjunctis variatur.

Codices non sunt ejusdem auctoritatis.

§. V. Non omnes autem Canonum codices sunt ejusdem ponderis & auctoritatis. Distinguendum est, num privata, an publica Ecclesiæ auctoritate sint elaborati. Qui privato studio Canones coagmentarunt, quales videntur fuisse antiqui collectores, nullum collectione sua pondus Canonibus addiderunt. Quapropter in his codicibus comprehensi Canones, eam vim habent, quam habuissent extra collectionem, nisi privatæ auctoritatis codicem usu suo receperint Ecclesiæ: quo casu quæ codici origine sua deerat auctoritas, per Ecclesiam accommodatur, sed quatenus recipitur, ut patet exemplo codicis Dionysiani, qui quamvis privato concinnatus studio, ab Ecclesia tamen Romana susceptus, publicam consecutus est auctoritatem, exceptis paucis Canonibus, quibus dignitas Ecclesiæ Constaninopolitanæ statuebatur. Quod si codices publico Ecclesiæ jussu ela-

(*a*) V. Mastrich. hist. jur. eccles. n. CXLI. seq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

elaborantur, omnes in eos conjecti Canones vim canonicam nanciscuntur, quamvis alias codicibus inclusi Canones in loco vim nullam habuissent.

Antiquus Ecclesiæ orientalis codex enarratur.

§. VI. His ita generatim de Canonum codicibus præmissis, peculiarium codicum adgrediamur tractationem, in qua non quæcunque dici possint, sed quæ omitti non debeant, proferemus, ab Ecclesia Græca exordientes. Medio sæculo V. habebat jam orientalis Ecclesia in unum corpus digestos, quibus utebatur, Canones; Synodus enim Chalcedonensis potius ex codicis consequentia, quam ex autographis Canones recitavit. Continebat vero Canones duorum conciliorum generalium, Nicæni nempe & Constantinopolitani, & quinque particularium, Ancyrani scilicet, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni & Laodiceni, perpetua serie per eandem numerorum consequentiam, tanquam si essent unius Concilii, & servato ordine temporum ordinatos & digestos, exceptis Canonibus Nicænis, qui in tanti Concilii reverentiam omnibus præpositi sunt, quamvis Ancyranis & Neocæsariensibus posteriores. Ita concinnatus codex, quo auctore & tempore prodiit, incertum, quamvis non ante ventilatam Chrysostomi causam generatim apud Græcos receptus videatur (*a*); quod probat rejectus a Chrysostomo & ab iis, qui cum eo faciebant, Canon XII. Antiochenus, tanquam conditus ab Arianis. Origine sua codex, iste ad orientalem tantum spectavit Ecclesiam, cujus Canones solum refert, nullos vero latinos; ut proinde codicis amplitudine major omnino sit inscriptio *codicis Ecclesiæ universæ* (*b*), sub qua eum primum vulgavit Chrystophorus Justellus; quamvis confirmatis per Patres Chalcedonenses omnibus Patrum regulis ad ea usque tempora per Concilia statutis (*c*), evaserit universalis.

Codex Joannis Scholastici.

§. VII. Publico Ecclesiæ orientalis usu nullis factis accessionibus diu stetit ita instructus codex, quamvis non deessent Canones, in primis Chalcedonenses, qui adnecti debuissent. Certe quo tempore Dionysius Exiguus suam adornavit Græcorum Canonum latinam versionem, Græcum codicem absolvebant Canones Constantinopolitani (*d*). Sed inde privato forsan studio etiam secundum temporis consequentiam crevit codex LXXXV. Canonibus apostolicis, Sardicensibus, tribus posterioribus Constantinopolitanis, Ephesinis & Chalcedonensibus. Et certe medio circiter sæculo sexto Jo. Scholasticus ex ordine advocatorum, qui tum *scholastici* dicebantur, primum Antiochenus Presbyter,

(*a*) Marca lib. III. de C. S. & I. cap. 3. n. 4.
(*b*) Florens diss. de orig. & art. jur. can. par. II.
(*c*) Can. XIV. C. 25 q. 1.
(*d*) Dionys. præf. sui. cod.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ter, inde Constantinopolitanus Patriarcha, ex Canonibus hoc aucto codice comprehensis, additis nonnullis B. Basilii novum codicem confecit, quem non per numerorum consequentiam, sed per materias adornatum, & in L. titulos tributum συναγωγὴν κανόνων *collectionem Canonum* appellavit. Constanter antiqui hujus codicis MSS. Jo. Scholasticum præferunt auctorem (*a*). Quapropter minus recte Franc. Florens (*b*), motus inscriptione cujusdam MS. nomo-canonis bibliothecæ regiæ Parisiensis, qui nomen præfert Theodoriti, codicem partitur, & adscripta Theodorito Canonum digestione, leges tantum per Scholasticum vult adjunctus. Ut enim bene observat Christophorus Justellus (*c*), titulus ille est adjectitius, idque quod nec alibi unquam, nec ab ullo quovis auctore Græco sub nomine Theodoriti memoretur nomo-canon.

Codex Græcorum auctus & absolutus.

§. VIII. Sed jus canonicum Græcorum sæculo VII. crevit multis accesionibus, idque in Concilio Trullano, in quo non solum plures conditi Canones & ante recepti fuerunt confirmati; verum etiam canonicum robur accessit Canonibus Africanis & permultis Patrum Græcorum opusculis, quæ omnia Can. II. recensentur. Ex his omnibus secundum Canonum consequentiam novo condito codice ad usque IX. sæculi finem Ecclesia orientalis usa est. Quo tempore auctior prodiit, additis cum aliis opusculis Patrum Græcorum Canonibus Synodi Nicænæ II. & duarum Synodorum, quas Constantinopoli habuit Photius schismatis Græcos inter & Latinos auctor, aut fauctor præcipuus. Ita auctus codex, non secus ac anteriores, temporum servabat consequentiam; at qui secundis curis illum recensuit, temporis consequentiam nonnihil mutavit (*d*). Nam qui honos hactenus soli Nicænæ Synodo fuerat tributus, ut Synodos omnes etiam antiquiores præcederet, in hoc novissimo codice omnibus Conciliis œcumenicis datur, inter quæ locus datus duobus Photianis conciliabulis. Igitur post Synodum Nicænam sequuntur omnia Concilia generalia, & inde temporis habita ratione Synodi particulares sunt digestæ, quas ordine suo excipiunt Patrum opuscula. Integrum juris canonici Græci corpus exhibet collectio isthæc, post quam Græci potius de vera Canonum interpretatione, quam de eorum auctoritate fuerunt soliciti. Quo factum ut eos Theodorus Balsamon, Jo. Zonaras, Alexius Aristenus egregiis commentariis, caute tamen legendis, illustrarint. Eo hic receptus Græcorum codex præstat receptis latinis collectionibus, quod puriorem exhibet Ecclesiæ disciplinam, nec spuriis laborat monumentis. Elegantissima tanti operis editio insertis commentariis Balsamonis, Zonaræ & Aristeni græce & latine prodiit sub titulo *pandectæ Ca-*

no-

(*a*) V. Mastricht. hist. jur. eccl. n. CLXIX.
(*b*) Diss. de orig. jur. can. par. II.
(*c*) Præf. ad nomo can. Scholast.
(*d*) Bevereg. præf. in Pand. Canon.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nonum Oxonii an. CIↃIↃCLXXII. cura Guilielmi Beveregii, qui & de suo eruditas præfationes & adnotationes adjecit.

Recensentur Scholastici & Photii nomo-canones.

§. IX. Præter meros Canonum codices habent quoque Græci *nomo-canones*, h. e. leges Canonibus collatas. Qui primus hujus generis codicem ordinavit, fuit Jo. Scholasticus. Perspiciens e re ecclesiastica esse uno codice leges de rebus sacris cum Canonibus comprehendi, suæ per materias digestæ collectioni in epitomen contractæ leges imperiales, ex codice ac novellis Justiniani depromptas, sub singulis titulis adjecit. Magni fuit usus hoc Jo. Scholastici opus usque ad Photium, qui ex absoluto Græcorum codice in XIV. amplos titulos redacto, legibus adjunctis, nomo-canonem concinnavit ampliorem. Sed in eo distat Photius a Joanne, quod hic Canonum tantum expressa sententia integras leges subjungit, ille Canonibus indicatis legum sententias adnectit. Photii nomo-canon est veluti compendium totius juris canonici orientalis, tantique fit a Græcis, ut omnibus collectionibus, etiam ipsi codici Canonum, eum præmittant.

Vetus codex Ecclesiæ Romanæ.

§. X. Venio nunc ad codices veteres latinos. Constat, Romanam Ecclesiam ad Nicænum usque Concilium moribus potius & consuetudine, quam perlatis Canonibus usam esse: quod vigilantiæ Pontificum tribuendum, qui minime passi sunt, de antiquis moribus tantisper deminui. Inde Conciliis Nicæno & Sardicensi celebratis Nicæni Canones latinitate donati, & cum Sardicensibus perpetua serie sub solo nomine Concilii Nicæni digesti, Romanum codicem videntur composuisse: quod demonstrat tum Innocentii I. auctoritas, qui eo ipso quo testatur, Ecclesiam catholicam solos Canones Nicænos adgnoscere (*a*), pluries est usus Sardicensibus (*b*); tum maxime celeberrima causa Apiarii Presbyteri Africani, cujus ad sedem Romanam appellationem, Canonibus Sardicensibus sub nomine Nicænorum objectis, Romani Pontifices Zosimus & Bonifacius sustinebant. Nec enim audiendi sunt novatores, qui dictitant, Zosimum & Bonifacium scientes prudentes Canones Nicænos corrupisse, quo traherent appellationes ad sedem apostolicam. Id dubio procul fecerunt Pontifices, quod in codice Romano sub una serie & sub solo Nicænorum nomine digesti erant Canones Nicæni & Sardicenses. Inde Concilio Chalcedonensi celebrato, Canones in eo Concilio conditi & confirmati, itidem in latinum versi Romano codici accesserunt, exceptis Constantinopolitanis & uno Concilii Chalcedonensis, quo Ecclesiæ Constantinopolitanæ prærogativa statuebatur. Atque ita adornata est Canonum Græcorum prima versio, quæ *antiqua* audit. Versio ipsa Canonum in multis inde adorna

(*a*) Apud. Sozom. lib. VIII. cap. 26., ep. ad Teophil. Alexand.
(*b*) Epist. ad Victric. Rotomag. cap. III.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

natis codicibus conservata est, at ita instructus codex temporis injuria periit, quidquid contra pro codice quisque suo Quesnellius, & cum Voello Justellus moliantur (*a*).

Codex Dionysii Exigui.

§. XI. Vetus hic Ecclesiæ Romanæ Canonum codex summa confusione laborabat (*b*). Unde merito optimi quique offensi, novum desiderabant codicem, in quem Græci Canones, majori fide in latinum versi, conjicerentur. Ad hoc novum opus sub initium sæculi sexti a Stephano Episcopo & a quodam Laurentio solicitatur Dionysius Exiguus, natione Scithes, professione monachus, sapientia vero & linguarum peritia inter ejus ætatis scriptores facile princeps. Non ob corporis parvitatem, quod plerisque omnibus insedit, sed ob summam, qua pollebat, humilitatem, & de more monachorum, *Exiguus* videtur dictus: quæ omnino elegans est Caroli Blasci conjectura (*c*). Novum codicem adgressus Dionysius non ita adhæsit Græco codici, ut alios non adderet Canones & Græcos & Latinos. Ac primum quidem quinquaginta priores Canones Apostolis tributos latine reddidit, eisque principem locum dedit in collectione. Inde Canones Nicænos & reliquos, qui pristino Græcorum codice continebantur usque ad Synodum Constantinopolitanam I., sicut erant in *Græca auctoritate*, digessit. Tum missis Canonibus Ephesinis, subdidit XXVII. Chalcedonenses, quibus, teste eodem Dionysio, Græci Canones claudebantur. His omnibus addidit Canones Sardicenses & Africanos. Non vero hos omnes Canones continua numerorum serie, tanquam si essent unius Concilii, digessit, sed pluribus institutis sectionibus, & prænotatis titulis, varias Canonum sylloges subjecit, veluti apostolicos omnes sub uno titulo, Græcos Canones Græco codice comprehensos sub alio titulo, & ita porro semper tamen nova adjecta numeratione. Sciens porro Dionysius quantæ essent auctoritatis in rebus eclesiasticis summorum Pontificum Decretales, ad eas colligendas solicitudinem collocavit suam. Expilatis igitur Ecclesiæ Romanæ scriniis, quotquot invenit, digessit Pontificum Decretales, ita quidem ut tempore priores aliis in codice præirent, suisque titulis & numeris, quotquot ad unum pertinebant Pontificem, distingueret, quemadmodum in Canonibus digerendis observaverat (*d*). Incipiunt autem per Dionysium collectæ Decretales a Siricio, quod indicium, eo non invenisse antiquiores, desinunt vero in Anastasio II. Quapropter codex Dionysianus duas complectitur partes, quarum prima tantum Canones, dicta proinde *codex Canonum ecclesiasticorum*; altera vero Decretales exhibet epistolas, quæ propterea vocari solet *col-*

(*a*) Coutant. præf. ad Epist. Pontif., Espen. com. in can. part. I. diss. 3. §. 3. post. edit.
(*b*) Dionys. Exiguus præf. sui con.
(*c*) Diss. de collect. Isid. Mercat. cap. I.
(*d*) Dionys. præf. cod.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

collectio decretorum Pontificum Romanorum. Adornatus quidem est hic codex privata auctoritate, sed eum statim editum usu celeberrimo recipit Ecclesia Romana, teste Cassiodoro (*a*) (quatenus tamen in eum conjecti Canones institutis Romanis non pugnabant), adeo præ squalore veteris interpretationis perspicuitate, sinceritate & Canonum numero codex Dionysianus commendabatur.

Antiquus codex Ecclesiæ Gallicanæ.

§. XII. Exemplo Ecclesiæ Romanæ aliæ celebriores occidentis Ecclesiæ proprium Canonum codicem habuerunt, in quem præter Canones per universam Ecclesiam receptos cujusque loci Canones conjecti erant. Et constat quidem sub finem sæculi VI. Gallicanam Ecclesiam proprium codicem habuisse, quem, ad opprimendum Prætextatum adauctum *novo quinternione*, quo Canones apostolici, Gallicanis incogniti, continebantur, rex Chilpericus ad Episcopos Concilium celebrantes, transmisit, teste Gregorio Turonensi (*b*). Complectebatur autem codex iste Gallicanus Canones Græcos antiquæ latinæ collectionis (quorum Nicæni erant ex interpretatione Rufini, ut Quesnellius demonstravit (*c*) & vero etiam Canones Gallicanos, quamvis Sirmondus (*d*) neget, olim Gallicanam Ecclesiam proprios Canones in codicem conjecisse. Nec a veri specie abest etiam hoc codice una cum Pontificum Decretalibus, quas, ut par erat, semper permagni fecerunt Gallicani Antistites (*e*), comprehensos quoque aliquos ex Africanis Canonibus fuisse (*f*). Integra stetit auctoritas Gallicani codicis usque ad Carolum Magnum, a quo dono Hadriani Papæ in Galliam illato codice Dionysiano, sensim factum est, ut non spreto veteri codice Episcopis familiari, Dionysianus reciperetur. Quæ sententia est Sirmondi, Christophori Justelli, Quesnellii aliorumque contra Petrum de Marca (*g*), qui levibus abreptus conjecturis scripsit, codicem Dionysianum statim editum, non omnino spreta veteri interpretatione, Galliam recepisse. Certo quo tempore agebatur causa Prætextati, codex Dionysianus Ecclesiæ Gallicanæ erat incognitus.

Codex vetus Hispaniæ & Martini Bracarensis.

§. XIII. Nec minus Ecclesia Hispaniensis VI. sæculo proprio Canonum codice utebatur. In Concilio enim Bracarensi II. an. IↃLXIII. celebrato ex codice tam generalium, quam localium Synodorum Canones relecti sunt. In hunc suum codicem conjecerant Hispani Græcos Canones veteris latinæ collectionis & Hispaniensis, & forte etiam

(*a*) Divin. lect. cap. XXIII.
(*b*) Lib. V. hist. Franc. cap. 19.
(*c*) Diss. de cod. antiq. Eccles. Gallic. tom. II. op. S. Leon.
(*d*) Præf. ad Concil. antiq. Gal.
(*e*) Concil. Aurel. III. Can. III. Concil Agath. Can. IX.
(*f*) Concil. Matiscon. II. Can. VI.
(*g*) Marca lib. III. de C. S. & 2. cap. 4. n. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

iam cum Gallicanis, qui usu recepti erant in Hispania (*a*) etiam summorum Pontificum Decretales (*b*). Græci Canones hoc codice comprehensi & interpretis vitio & librariorum omissionibus summa laborabant obscuritate (*c*). Unde sæculoVI. Martinus, Episcopus Bracarensis, e re canonica esse duxit, quæ obscura & manca erant in Græcis Canonibus simplicius & emendatius restaurare, novo inde confecto codice quem per materias adornatum & in *capitula* distinctum *collectionem* dixit *Canonum orientalium*. Videtur potius incommodo priscæ translationis Martinus consulere voluisse, quam novam adornare collectionem, alias non erat cur reliquos apud Hispanos receptos Canones omitteret. Verum nescio an recte obscuris Canonibus Martinus consuluerit, siquidem aliquando addidit, aliquando detraxit, nec semper ex fide bona græca latine dedit, quin subinde ex pluribus Canonibus unum capitulum confecit insertis etiam nonnullis ex Conciliis Hispanicis (*d*), nisi hoc fecerit, ut exoticos Canones Hispaniensibus moribus aptaret. Unde sua capitula desumpsit, singulis capitibus Martinus non inscripsit. Cui incommodo occurrit Joannes Doviatius, qui adnotatis variis lectionibus & fontibus, unde sua Martinus capitula deprompserat, prorsus absolutam dedit Martini editionem.

Codex Isidori Hispalensis.

§. XIV. Post Martinum Bracarensem Canonibus apud Hispanos colligendis vacasse videtur Isidorus Hispalensis: quæ sententia est Petri de Marca & Stephani Balutzii (*e*), quamvis nec Braulius Cæsaraugustanus, nec S. Ildephonsus Isidoro viciniores ejus opera recensentes, alicujus collectionis meminerint. Plures sub nomine Isidori circumferuntur collectiones, sed tantum illa ejus genuinum opus esse videtur, quam in bibliotheca Urgellensis Ecclesiæ in Catalonia a se repertam testatur Petrus de Marca. Nihil enim hæc habet, quod Isidoro tribui non possit. Exhibet primo loco Canones Conciliorum Græcorum ex antiqua versione, interjectis tamen Sardicensibus, & nonnullis aliis monumentis, quæ in antiqua Romana collectione non exstabant. Inde consequuntur Canones VIII. Conciliorum Africanorum, XVII. habitorum in Galliis & XV. in Hispaniis, inter quæ capitula Martini Bracarensis. Tandem exscribuntur Decretales Pontificum, quas Dionysius congesserat, additis paucis aliis, quas vel prætervideratDionisius, vel quas, utpote posteriores, videre non potuit. Sed huic operi aliena manu laciniæ plures accesserunt, ut ex variis MSS. constat codicibus.

Codex Africanus.

§. XV. Ex Hispania in Africam trajicimus, codicem Canonum, quo

(*a*) Quesnel. de la discipline de l' Eglise tom. II. pag. 49.
(*b*) Concil. Tolet. III. cap. I.
(*c*) Præf. eod. Mart. Bracar.
(*d*) Espen. comm. in Can. vet. par. I. diss. 6. §. 3.
(*e*) Baluz. præf. in Regin. §. III., Doviat. lib. III. prænot. cap. 19.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quo Africani utebantur, inspecturi. Regebatur quidem Ecclesia Africana exemplo aliarum Ecclesiarum generalibus & propriis Canonibus, qui omnes quo tempore B. Augustinus fuit Episcopus ordinatus, non videntur in unum corpus fuisse redacti. Codice enim Canonum, eoque non magno, publico Ecclesiarum usu tum temporis exsistente, vix erat, ut Valerius Hipponensis Episcopus vetabatur, ignorarent. Sed inde in sexta plenaria Synodo Carthaginensi an. CCCCXIX. Canones Africani ad externam disciplinam spectantes, in unum corpus abierunt. Appellaverat Apiarius quidam, Presbyter Africanus, a suo Episcopo depositus, ad sedem apostolicam, cui appellatione deferens Zosimus Papa, in Africam, objectis Canonibus Sardicensibus tanquam Nicænis, appellationes ad Romanam sedem inducere conabatur. Quapropter cum Romanis legatis Episcopi Africani sextum frequentes Carthaginem convenerunt, de re, quæ statum totius Ecclesiæ Africanæ invertebat, tractaturi. Hinc ad objectos Nicænos Canones investigandos, & ea occasione data ad melius disciplinam ordinandam, exemplaria Concilii Nicæni & Concilia Africana evolvunt, relegunt, eorumque Canones aliquando non sine additionibus & detractionibus probant, novos insuper condunt Canones, & omnia in acta redigunt. Unde factum, ut Canones Africani, quamvis variis temporibus & Conciliis conditi, in antiquis monumentis veniant sub nomine *Concilii Africani*, aut *Carthaginensis* (*a*). Concilii hujus acta, quæ subjecta epistola missa sunt ad Bonifacium, Zosimi successorem, utpote admodum prolixa, Africanis pro Canonum codice minime videntur esse potuisse; at certe materiam suppeditarunt *codici Africano*, qui Canones CXXXIII. variorum Conciliorum Africanorum, & cum symbolo Nicæno quatuor epistolas complectitur, prout exstat apud Dionysium Exiguum, qui ex actis Concilii Carthaginensis illum excerpsit, omissis tamen, quæ suo codici jam erant inserta, & in epitomen redactis minus utilibus ad Ecclesiæ disciplinam. Et sane Dionysium auctorem arguunt omissiones, quæ occurrunt in codice Africano, ut ecce e. g. omittuntur statuta Concilii Nicæni, quod *in superioribus inveniuntur adscripta*, hoc est ante in generali codice locata. Nullam porro codicis Africani sæculo sexto in suo *breviario* rationem habuit Ferrandus, Diaconus Carthaginensis; sed inde cognito in Africa codice Dionysiano Cresconius Africanus Episcopus in *concordia* seriem Canonum prout exstant apud Dionysium secutus est.

Sententia Espenii de codice Africano.

§. XVI. Pluribus aliis adductis monumentis probat P. de Marca (*b*), codicem Africanum Dionysio tanquam auctori deberi; sed in eo vir summus minus recte opinari videtur, quod Canones etiam a Dionysio velit interpolatos. Summa enim fuit Dionysii fides in Canonibus referendis: nec certe ea ætate tantum sibi tribuisset privatus mo-

(*a*) Dionys. Exig. præf. cod. Trull. can. II.
(*b*) Dissert. de veter. Can. collect. cap. IV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

monachus, ut Canones vel minimum mutaret: & præterea jam observarunt viri docti, mutationes in Canonibus Africanis occurrentes ab ipsis Patribus Carthaginensibus fuisse profectas (*a*). Rationibus Illustrissimi Archiepiscopi primum victus Espenius, codicem Africanum Dionysio tribuerat, sed inde mutata sententia ejus codicis ipsos Patres Carthaginenses fecit auctores (*b*). Nempe ex Espenii sententia gesta Concilii Africani alia fuerunt prolixiora, quæ antequam Patres & legati frequentes convenissent digesta fuerunt, alia vero breviora, quæ coram plena Synodo, ut omnia breviter & sine altercationibus absolverentur acta, vel relecta vel probata sunt. Et ita in actorum breviario multa omissa sunt, quod superioribus essent inserta, & multa per notarium in compendium redacta, quod minus ad rem canonicam faciebant. Acta breviora Romam missa per legatos deinde nactus Dionysius, codici inseruit suo, nihil addens, nihil omittens. Sed actorum ista contractio parum idoneis sustinetur monumentis, & deinde vix veri speciem habet, ipsos Patres in actis brevioribus, quæ judice Espenio Romam missa sunt, omisisse Canones Nicænos, qui & ad disciplinam erant necessarii, & Romanis demonstrabant, objectos Sardicenses Canones nulla ratione posse pro Nicænis haberi. Exstant præterea tres aliæ Africanorum Canonum collectiones, quæ Conciliis Carthaginensibus III. & V. & Milevitano II. tribuuntur, sed revera ex Conciliis Africanis per Mercatorem, aliumve impostorem fuerunt consarcinatæ (*c*).

Ferrandi & Cresconii codices.

§. XVII. Quidquid vero sit de veteri codice Africano, tempore Justini & Justiniani in Africa studio ordinandorum Canonum inclaruit Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Diaconus, qui universam disciplinam canonicam ad certos titulos redegit, subnotatis tantum, non integris relatis Canonibus. Unde operis nomen *breviationis Canonum*. Subnotatos Canones desumpsit ex Synodis Græcis antiqui codicis orientalis priscæ translationis, quæ apud Afros obtinuerat, & ex Conciliis Africanis, de quorum nonnullis nusquam alibi mentio occurrit. Sæculis plus minus duobus a Ferrando exactis Cresconius, Africanus Episcopus, perspiciens Ferrandi *breviationem* ob indicatos, non relatos Canones, non omnibus utilem esse, quo omnes juvaret, *concordiam Canonum* composuit, in qua canonicam disciplinam ad certos titulos redegit, sub quibus cum multis Pontificum Romanorum Decretalibus refert Canones concordantes. Ex hac concordia, forte juvandæ memoriæ causa, inde idem Cresconius fecit exemplo Ferrandi *breviarium Canonum*, quo Canones tantum indicantur, quamvis non desint, qui *breviarium* hoc veluti partem habeant alterius codicis Cresco-

(*a*) Espen. diss. in Synodos 29. & Can. Afric.
(*b*) Espen. comm. in vet. Can. par. I. diss. 8. §. 2. post. edit.
(*c*) V. Espen. cit. diss. in Can. Afric. §. 4. seqq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

coniani. Hactenus recensitos codices & Græcos & Latinos, ab aliis fere editos, maximam partem in bibliotheca juris canonici veteris Justellus & Voellus ediderunt.

CAPUT V.

De jure canonico novo ejusque codicibus.

Mediis sæculis summa in occidente ignorantia.

§. I. Sequitur jus canonicum *novum*, quod nono sæculo primum exortum, eundo sic excrevit, ut veteri passim derogando disciplinæ, novas regulas cumularit. Novum hoc jus maximam partem invexit ignorantia. Studia literarum in occidente eadem fata, quæ imperium, subierunt. Extincto enim cum Augustulo occidentali imperio tetra ignorantiæ nox occidentem obscuravit. In tantis bellorum tempestatibus, quas barbari, velut maris æstuantis undæ, in nostras regiones irruentes intulerunt, exustæ bibliothecæ, Ecclesiarum bona direpta, servitutes populis injectæ, nullum bonis artibus locum reliquerunt, præsertim quum ipsi victores populi tantum de armorum gloria soliciti, nulla scientiarum cura tangerentur. Hinc paulatim lingua latina desueta, studiis bonarum artium intermissis, eo stupiditatis devenerunt occidentales, ut pene cogitare amplius nescirent. Sæculo VII. in ipsa Roma adeo dominabatur ignorantia, ut dogmata fidei pene sola starent traditione, quod constat literis Agathonis Papæ, quas refert Mabillonius (*a*). Misera isthæc conditio & deinceps per sæculorum seriem perduravit. Et quamvis subinde inventi sint, qui studiis operam navarent, præsertim post schisma Græcos inter & Latinos, & controversias inter sacerdotium & imperium, ii tamen quadrata rotundis commiscentes, tantum de more sæculi sapiebant. Paulo post exorti scholastici antiquitatis omnino incuriosi, tantumque de novis loquendi formulis & sophismatis suis soliciti, auxerunt potius, quam tenebras propulsarunt. Verum apud Græcos disciplinarum fata diversa fuerunt, etenim quamvis a pristino nitore dilapsæ suo (*b*), steterunt tamen usque ad imperii Græci finem, unde in occidentem remearunt.

Hispalensis collectio aucta spuriis monumentis.

§. II. In hac omnium disciplinarum veluti clade originem incrementumque suum *novum* jus canonicum habuit: idque non per expressam constitutionem ab Ecclesia factam, sed hominibus nequam occasionem præbentibus, qui communi ignorantia abusi, sub larva anti-

(*a*) Præf. in sæc. II. Benedict. n. LIV.
(*b*) Deslandes histoire de la Philosophie tom. III. cap. XXXIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tiquitatis ex integro conficta vulgarunt monumenta. Et sane sub initium IX. sæculi prodiit nova Canonum apud Latinos collectio, quæ Isidoro Hispalensi tributam collectionem non solum L. prioribus apostolicis Canonibus, Synodis Toletanis a V. usque ad XIII. aliisque nonnullis antiquitatis genuinis operibus auctam repræsentat; verum etiam bene multis monumentis, quæ quamvis Conciliorum, Pontificum, Patrum, Imperatorum præferant nomen; eorumtamen multa sunt conficta, alia vero dubiæ fidei, vel interpolata. Inter has corruptas, putidasque merces eminent summis Pontificibus a divo Clemente usque ad Siricium tributæ Decretales, & nonnullæ aliæ posteriorum Pontificum usque ad divum Gregorium, quæ tandem usu receptæ, quum Canonibus spiritu Dei conditis adversarentur, maximam partem Patrum immutarunt disciplinam.

Auctor descriptæ Collectionis incertus.

§. III. Sub nomine Isidori tanquam ab Hispania allatam hanc monumentorum consarcinationem primus in Germania vulgavit Riculphus, Moguntinus Episcopus, ut testatur Hincmarus Rhemensis (*a*). Quod factum videtur ad bonum nomen impurissimo operi conciliandum, Isidori nempe Hispalensis, cujus ea tempestate eruditio, & sanctitas celebrabatur. Et res quidem ex voto cessit, adeo ut tempore Hincmari Rhemensis Decretalium a divo Clemente ad divum Gregorium collector Hispalensis haberetur (*b*). Sed sordes verborum, quibus scatent Antesiricianæ Decretales, & Concilia post Hispalensis mortem celebrata & huic collectioni inserta, qualia sunt VI. generale, Concilia Toletana a VI. ad XIII., Emiretense aliaque nonnulla, ejus auctorem non esse Isidorum manifeste demonstrant. Passim MSS. CC. tanquam auctorem præferunt *Isidorum Mercatorem*, in quo errasse videntur librarii, qui loco *Peccatoris*, ut habent melioris notæ codices, *Mercatorem* exscripserunt; potuitque codicis consarcinator se ipsum *Peccatorem* dicere vel quia sciret passim ad humilitatem Episcopos, præsertim in subscriptionibus, & monachos se appellare *Peccatores*; vel ut ita melius sub Hispalensi latitaret, quem pœnitentem summis gemitibus peccata sua deploravisse compererat. Quis vero fuerit Isidorus iste Peccator, sive Mercator, in tanta luce antiquitatum ecclesiasticarum ignoratur: nec post summos ad Mercatorem detegendum exantlatos labores Blondellus aliquid, quod satisfaciat, proposuit. Illud vero certissimum est, insciis Romanis Pontificibus, falsas Decretales fuisse confictas, prorsusque intolerabilis est sententia, quæ tantum facinus sine altioris auctoritatis fulcro non fuisse susceptum hariolatur.

Per-

(*a*) Opusc. advers. Hinc. Laudun. cap. XXIV.
(*b*) Hinc. Rhemens. ep. VII. cap. 12.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Per totum occidentem recipiuntur merces Mercatoris.

§. IV. Principio Decretalibus Antesiricianis propter Isidori Hispalensis, & multo magis propter veterum Pontificum illustre nomen, Gallicani Antistites, quos inter Hincmarus Rhemensis, vir ea ætate rei canonicæ peritissimus, permultum detulerunt. Sed inde experientia edocti, novarum Decretalium admissione jus publicum ecclesiasticum periclitari, iis canonicam denegarunt auctoritatem, eo usque ut Romanis resisterent Pontificibus. Scilicet duo præsertim sunt, quæ semper & ubique inculcant falsæ Decretales. Unum non posse Synodos provinciales inconsulta sede Romana Episcopos deponere; alterum, sine Pontificis adsensu nullum Concilium posse celebrari. Quæ duo in integrum restituto Rothado, Episcopo Suessionensi, qui depositus in Synodo quinque provinciarum, sedem apostolicam appellaverat, ope falsarum Decretalium Nicolaus I. tanquam Romanæ sedis privilegia proposuit,& tanquam *tegmina totius Ecclesiæ catholicæ* Gallis objecit (*a*). Sed de propriis juribus Gallicani Antistites soliciti, tegmina illa respuentes, non adhuc agnita falsaria manu, exceperunt contra Nicolaum, objectarum Decretalium nullam esse auctoritatem, quod non essent in *codice Canonum* (intelligebant codicem Dionysianum), & vero etiam quod iis esset per subsequentes Canones derogatum. Nihil hæ Gallorum profecerunt exceptiones, quin potius impulerunt Nicolaum, ut ad eos magni ponderis daret Decretalem, ex parte per Gratianum relatam (*b*), qua jure meritoque eos redarguit, quod vim Decretalium a relatione in codicem, non ab apostolicæ sedis auctoritate metirentur. Nicolao mortuo hinc Gallis, inde Pontificibus pugnantibus controversia sæpe recruduit, donec in Concilio Rhemensi an. IↃCCCCI., ubi causa Arnulphi Archiepiscopi tractabatur, falsarum Decretalium auctoritatem Gallicani Episcopi adgnoverunt (*c*). Ex Galliis in alias occidentis provincias sensim totus quantus quantus erat Pseudo-Isidorus penetravit, putidasque ejus merces tanquam genuinas tandem omnes receperunt, feceruntque suas privati omnes scriptores, Canonum collectores, Pontifices, Concilia. Sed in orientem Pseudo-Isidorus minime intravit, quin, si intrasset, putidas ejus merces Græci, in primis Photius, adgnovissent, Græcia adhuc pristinum literarum splendorem aliquatenus servante. Interim in occidente Pseudo-Isidorianus codex admissus incommoda multa, variis sub larva venerandæ antiquitatis novitatibus objectis, invexit in Ecclesiam. Inde debilitati penitus fractique disciplinæ nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatæ judiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictæ, data sectariis prompta ad

(*a*) Ep. XXI. tom. III. Concil. Gal.
(*b*) Can. I. D. 19.
(*c*) V. Petr. de Marca lib. III. de C. S. & I. cap. 6. & Baluz. præf. ad Ant. Aug. de emend. Grat.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ad calumnias occasio, exprobrata catholicis nimia credulitas, & ut alia mittam incommoda, quæ recenset sapientissimus Coutantius (*a*), fundus auctus scholasticorum.

Detegitur Decretalium Mercatoris suppossitio.

§. V. Sed tandem impostura detecta fuit. Inde usque a sæculo XIV. si non de omnibus saltem de aliquibus epistolis Antesiricianis dubitavit Marsilius Patavinus, quem postea Gobelinus Persona secutus est. Circa tempus vero Concilii Basileensis earum nonnullas ita transfixit Nicolaus Cusanus, ut cæteras omnes redderet suspectas. Inde post Cassandrum permulti viri docti inter catholicos imposturam adgnoverunt, & alii magnis argumentis impugnarunt, in primis Antonius Contius jurisconsultus, ut mittam Baronium aliosque, qui saltem ut suspectas traduxerunr. Interim vero quum permulti catholici earum auctoritate in controversiis cum Lutheranis & Calvinianis sæpius uterentur, atque hæretici responderent, eas esse figmentum Mercatoris ad augendam Pontificum potentiam excogitatum; diligentius in illas inquisitum est, & tandem communi eruditorum voto conclusum, nulla ratione pro genuinis haberi posse; sed vel a Mercatore, vel a Riculpho, qui erat sedi apostolicæ addictissimus, vel a Benedicto Levita, per summam impudentiam primis Pontificibus fuisse supposita, idque vel ad sustentandam in Galliis Romani Pontificis auctoritatem (*b*), vel ad eam attollendam conculcatis juribus Synodorum provincialium (*c*), vel ad sublevandos Episcopos accusatos & spoliatos (*d*). Et quanquam Franciscus Turrianus, Jesuita, in iis defendendis eruditionem commonstrarit suam, non tamen obtinuit, ut in suam sententiam aliquis eruditorum iret. Contra eum scripsit improbum opus David Blondellus, Calvinianus, cui nomen fecit *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*. Sed bene dixisse fertur Jac. Sirmondus, Blondellum magno molimine & ingenti conatu ostium apertum effringendum suscepisse. Detecta quidem est impostura, at non simul sublata, quæ inde emersit, disciplina, quæ adeo altas radices egit, ut qui eam vellet immutare, non secus ageret, ac qui præsentis sæculi homines ad primævam frugalitatem reducere conaretur. Illud interim verissimum est, detecto Pseudo-Isidoro nihil de dignitate Romanæ sedis decessisse, ut blaterant Novatores. Legitima enim Pontificis jura non tali auxilio indigent, non defensoribus istis (*e*). Quin illud etiam advertas oportet, criticos ad apocrypha ablegantes Antesiricianas Decretales, id non generatim, sed tantum de relatis per Mercatorem intelligere. Nam & primorum Pontifi-

(*a*) Præf. ad epist. pontif. n. X.
(*b*) Marca lib. III. de C. S. & I. cap. 5. n. 3.
(*c*) Dupin. Biblioth. tom. I., Espen. part. III. jur. eccles. tit. 3. c. 4. n. 16.
(*d*) Blascus diss. de collect. Mercat. cap. VII.
(*e*) V. Baron. ad an. DCCCLXV. n. IX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tificum supersunt Decretales genuinæ, illæ nempe, de quibus veteres Patres meminerunt.

Rationes suppositionis proponuntur.

§. VI. Jam rationes, quæ Antesiricianas epistolas suppositicias demonstrant, tam apertæ sunt, ut mirum sit, Pseudo-Isidorum tamdiu latere potuisse. Et sane (I) earum non meminerunt octo priora œcumenica Concilia, non Hieronymus, non Romani Pontifices octo priorum sæculorum, non Dionysius Exiguus, qui, ut ipse testatur, præteritorum Romanorum præsulum epistolas, qua valuit cura & diligentia, collegit, nec in suum codicem Siricio antiquiores conjecit, nec quisquam alius ante nonum sæculum scriptor. Porro (II) ubique in iis observare possis suppositionis indicia: Scripturam sacram laudant ex versione B. Hieronymi: habent sententias ex C. Th. & Justiniani constitutionibus desumptas; ex Isidori Hispalensis, aliisque posteriorum scriptorum fragmentis aperte apparent consarcinatæ. Nec minus (III) ad eas falsitatis convincendas facit, quod de rebus & statu eorum temporum, quibus scriptæ circumferuntur, ne unum quidem verbum habent; tacentque de persecutionibus Ecclesiæ, de cura gregis, consolatione martyrum, exhortatione ad martyrium, de causa lapsorum aliisque multis, quæ materiam scriptoribus primorum sæculorum suppeditarunt. Demum (IV) contraria continent antiquis Canonibus, & omnes eodem stilo, eoque barbaro, qui minime convenit primis Ecclesiæ sæculis, exaratæ sunt. Verbo. antiquorum Pontificum nomen tantum præferunt, cætera sunt posterioris ætatis (*a*).

Collectio capitulorum Hadriani.

§. VII. Putidis Mercatoris mercibus addere oportet capitula Hadriani Papæ ad Angelramnum Episcopum Metensem, sub quo titulo IX. sæculo in lucem prodierunt, teste, qui primus de iis loquitur, Hincmaro Rhemensi (*b*). Sunt numero LXXX., quæ pleraque omnia ad judicia Episcoporum accusatorum pertinentia, ex spuriis fere dimanarunt Decretalibus & vero etiam ex capitularibus per Benedictum Levitam collectis (*c*). Eorum auctorem non fuisse Hadrianum videtur exploratum. Quis enim sibi persuadeat, Hadrianum, qui tanti fecerat codicem Dionysianum, ut eum Carolo M. in Galliam inferendum dederit, inde tam male consutam consarcinasse farraginem? Veri speciem habet, ea Hadriano fuisse supposita, quo tempore inter Nicolaum I. & Gallos exardebat de falsis Decretalibus controversia, ab iis, qui stabant pro Pseudo-Isidoro, ut ita facilius exploderent Gallorum exceptiones de Decretalibus extra codicem vagantibus. Nempe hac instruc-

(*a*) Blondellus in Pseudo-Isidoro.
(*b*) Opusc. advers. Laudun. cap. XXIV.
(*c*) V. Blasc. in Diatr. de capitulis Hadr. ad calcem diss. de collect. Mercat.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tructa machina dicere poterant, Decretales non esse extra codicem, præsertim quum codex Dionysianus dono Hadriani in Gallias penetraverat. Isthæc capitula eadem fata, quæ falsæ Decretales, habuerunt.

Regum Francorum capitularia.

§. VIII. Quo tempore reges Francorum secundæ stirpis novam constituerunt dominationem, propter barbarorum frequentes incursus, in Gallia, quin etiam toto occidente, omnis fere ecclesiastica & civilis defecerat politia. Tantis malis Reges occurrere cupientes, generales *Synodos*, quæ etiam *placita* & *colloquia* vocabantur, ex omnibus regni ordinibus, Episcopis, comitibus, laicis cogere cœperunt, ut ita veluti communi consilio Ecclesiam & rempublicam administrarent. Ætate Caroli M. Synodo generali peculiaris anteibat, quæ ex selectis Episcopis, comitibus aliisque ministris conflata, materiam veluti digerebat in proxima generali Synodo discutiendam (*a*). Quæ in his comitiis de adsensu ordinum condebantur leges, dicebantur *capitularia*, quod per *capitula*, seu *capita* essent digestæ, spectabantque vel ad Ecclesiam vel ad rempublicam rite gubernandam. Sed in iis, quæ spectabant ad res mere spirituales, laici partem non habebant: namque prout negotiorum qualitas postulabat, simul omnes, vel seorsim a laicis Episcopi & Abbates conveniebant (*b*). Capitularibus ad res ecclesiasticas pertinentibus materiam suppeditarunt, præsertim sacra Scriptura, Canones Conciliorum, Decretales Pontificum tum genuinæ, tum suppositiciæ, & dicta sanctorum Patrum. Scilicet ex his omnibus ipsa generalis Synodus capita quædam excerpebat, vel per peculiarem Synodum excerpta relegebat, quæ inde Principis accedente auctoritate in vim capitularis adsurgebant. Ita in condendis capitularibus reges Francorum antiquum Ecclesiæ expresserunt morem, qui ita ferebat, ut in Synodis non sine Imperatorum adsensu coactis conditi Canones publica confirmarentur auctoritate. Sacra Pontificum & civili Principum auctoritate in idem conspirante, capitularia nomo-canonis vim & potestatem consequebantur, obtinuitque eorum auctoritas non solum in Galliis, verum etiam in Italia: diserte enim Leo IV. Lothario Augusto eorum promisit observantiam (*c*), multisque demonstrat Baluzius usque ad Gratianum in Italia stetisse auctoritatem capitularium (*d*). Unde factum, ut recentiores collectores ex capitularibus tam multa in codices transtulerint suos. Studio Ansegisi Abbatis & Benedicti Levitæ capitularia, præsertim Caroli M. & Ludovici pii, nono sæculo in unum corpus abierunt, in septem libros distributum, quorum priores quatuor Ansegiso, reliqui tres Benedicto debentur, quibus in-

(*a*) Hinch. Rhemens. ep. III. cap. 29. edit. Mogunt.
(*b*) Hinc. cit. ep. cap. 35., Conc. Mogunt. an. DCCCXIII. in præf.
(*c*) Can. IX. D. 10.
(*d*) Præf. in capitul.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

inde quatuor accesserunt appendices. Multi adiderunt capitularia, sed absolutam editionem procuravit Baluzius, qui plura alia monumenta addidit & notis eruditissimis illustravit.

Collectio Canonum Reginonis.

§. IX. Quo Canonum codice sub initium suæ conversionis & deinceps usque ad Carolum M. usæ fuerint Germanicæ Ecclesiæ, non constat, quamvis deinde cum capitularibus Regum Francorum codicem adhibuerint Dionysianum. At sub initium sæculi X. jubente Rathbodo Trevirorum Archiepiscopo ad usum Germanorum Canones collegit Regino, Monachus Benedictinus, cujus non sine laude meminit Trithemius (*a*). Opus suum in duas partes tributum, quarum prima de Clericis, secunda de Laicis agit, inscripsit *de ecclesiasticis disciplinis & religione christiana*, coagmentavitque ex Canonibus Conciliorum, Decretalibus Pontificum, dictis Patrum, cod. Theod., seu potius Aniani interpretatione, capitularibus Regum Francorum, & legibus Burgundionum & Ripuariorum. Quas adoptavit Decretales ut plurimum genuinæ sunt, nec nisi raro adhibet supposititias, ut hinc appareat, eas parvi fecisse Reginonem. Primus in occidente Patrum dicta & leges civiles cum Canonibus digessit. In digerendis autem suis excerptionibus sub initium librorum duas proposuit *inquisitiones*, seu *admonitiones*, ad quas omnia revocavit monumenta. Erant *inquisitiones*, seu *admonitiones* istæ indicula quædam Clericorum & Laicorum officia complectentia, quorum ductu de officiis Clericorum & Laicorum inquirebant, & vero etiam eosdem admonebant superiores ecclesiastici. Ea ignorantia laborabant illa sæcula, ut nisi indicis auxilio Episcopi de officiis christianorum inquirere nescirent.

Burchardi magnum decretorum volumen.

§. X. Uno plus minus sæculo post Reginonem exacto ad usum Ecclesiæ Wormatiensis Canones collegit Burchardus, ex Monacho Lobiensi Wormatiensis Episcopus, idque Osberti Abbatis & magistri sui opera adjutus (*b*); solicitatus vero a Brunichone ejus Ecclesiæ præposito, qui Canones & maxime pœnitentiales summa confusione laborare animadvertens, necessariam ducebat novam collectionem (*c*). Opus secundum materias digestum tribuit in XX. libros, appellavitque *magnum Decretorum volumen* (*d*), quamvis temporis lapsu *Decretum* ἁπλῶς dictum fuerit. Fragmenta, unde constat, fere suppeditarunt sacra Scriptura, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum & genuina & suppositicia, & opera Patrum. Quæ omnia non ex

(*a*) Catal. viror. illustr.
(*b*) Sigeber. ad an. MVIII.
(*c*) Præfat. Burchard.
(*d*) Sigeber. loc. cit.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ex fontibus excerpsit, sed de ejus ætatis more, ex aliorum lacunis, præsertim Mercatoris & Reginonis collectionibus. Aliorum erroribus suam symbolam adjecit Burchardus, præsertim vero exscribens Reginonem, sæpe fragmenta non suis tribuit auctoribus, duabus præcipue causis, & quod capitularia Regum Francorum suis primis auctoribus restituere voluerit, & quod solemnem illam Reginonis formulam *unde supra* non recte accepit. Ea significatum voluit Regino sub eo titulo de eodem inquisitionis articulo, de quo præcedens agebat titulus, tractari; at Burchardus credidit per formulam illam indicari, Canonem ab eodem fonte, unde præcedens, sumtum esse (*a*). Burchardi nomen in *Brochardum* Itali & Galli deflexerunt, indeque factum, ut quæ ex eo in Decretales dimanarunt, tanquam ex *Brochardo*, vel *Brochardico* proponantur (*b*).

Proponuntur Ivonis collectiones.

§. XI. Sub finem sæculi XI. Ivo Episcopus Carnotensis & integris moribus & peritia Canonum insignis (*c*), duas composuit secundum ordinem materiarum Canonum collectiones, quarum una mole alterum devincit. Ampliorem in XVII. libros tributam titulo *excerptionum ecclesiasticarum regularum* donavit, quamvis vulgo dicant *decretum Ivonis*; strictiorem vero VIII. libris constantem appellavit *panormiam* seu *panormiam*, quasi quæ omnes vitæ & disciplinæ regulas complectatur. Qui ex genio latini sermonis *pannomiam* potius dictum voluissent, ad sæculi non attendunt ruditatem. Utrique operi eadem videtur præfixa præfatio, lectu certe dignissima, sanctorum scientia quippe referta. Fragmenta, unde constat utrumque hoc opus, sunt decreta Pontificum, gesta Conciliorum, dicta sanctorum Patrum, & Principum leges, inter quas permultæ sunt desumtæ ex digestis, codice & novellis Justiniani. Jam ætate Ivonis corpus juris Justiniani saltem per Franciam in pretio esse cœperat. Ad hæc autem omnia colligenda de more sæculi non autographa consuluit, sed scrinia aliorum collectorum expilavit & præsertim Burchardi, quem fere integrum descripsit. Quapropter scripsit Jo. Molinæus, ligna in lucum Ivonem attulisse, si duo excipias, confutationem hæresis Berengarii, quæ post Burchardum erupit, & juris civilis cum sacris Canonibus collationem, quæ duo propria sunt Ivonis.

Occasio & titulus collectionis Gratiani.

§. XII. Non defuerunt alii, qui hac & superiori ætate Canonibus vacarunt colligendis, veluti Anselmus Lucensis, Deusdedit Cardinalis, Polycarpus aliique, quos omnes sine gravi rei canonicæ jactura omittentes, transitum faciamus ad codices, qui hodie in Ec-

(*a*) Baluz. in Regin.
(*b*) Cap. II. ex. de spons. duor., cap. I. ex. de orig. & malef.
(*c*) Trithem. lib. I. de script. eccles.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Ecclesia receptum jus canonicum exhibent, suntque numero quinque, *Decretum Gratiani*, *Decretales*, *sextus Decretalium*, *Clementinæ* & *Extravagantes*. Et Gratianus quidem Monachus Benedictinus, Clusii, haud procul Florentia, natus, circa sæculi XII. medietatem novam nova methodo evulgavit collectionem, quæ omnino necessaria esse videbatur in tantis Canonibus, Decretalibus & Patrum operibus sibi invicem adversis. Ergo forsan Ivonis excitatus præfatione, sibi proposuit non meros Canones colligere, quod hactenus reliqui fecerant collectores, sed certis propositis materiis & quæstionibus in utramque partem Canones, qui secum pugnare videbantur, referre, ut inde eorum varietatem adjectis propriis ratiociniis in concordiam revocaret. Unde factum nomen collectioni *concordia discordantium Canonum*: quæ est genuina operis inscriptio, prorsusque per abusum dicitur *decretum Gratiani* (*a*). Scripserunt quidem antiquiores Canonum *concordias*, veluti Cresconius; at in eas potius concordantes, quam discordantes Canones conjecerunt.

Methodus & partes Gratiani.

§. XIII. Jam Gratiani methodus, si generalem partitionem spectes, dubio procul optima. Universi juris tria fecit summa genera, personas, judicia, & res ecclesiasticas, qua partitione nulla aptior ad jus in artem redigendum. Inde universi operis tres fecit partes, quarum primam personis, secundam judiciis, tertiam rebus destinavit. Primam & tertiam tribuit in *distinctiones*, forsan ob eam rationem quod plerumque adhibitis distinctionibus Canones revocat in concordiam: quin quo a prima distingueret, tertiam partem a materiæ initio inscripsit *de consecratione*. Secundam partitus est in *causas*, seu casus & species, unde varias elicit *quæstiones*, quas de more frequens versat in utramque partem. Verum dum singularia persequitur adeo confusione laborat, ut judicio Molinæi, qui quærit in Gratiano ordinem, venatur in silvis delphinos, in fluctibus apros. Et vero adeo in tractando levis est, ut minima quacunque suborta occasione, præsertim in causis, materiam, quam tractat, relinquat & alio transcurrat. Quo factum, ut series tractationis non semper cohæreat.

Ex quibus constat concordia Gratiani.

§. XIV. Concordia isthæc Gratiani & fragmentis antiquorum & ipsius Gratiani verbis coagmentatur. Fragmenta, quæ ab aliis maximam partem collecta, Gratianus vertit in rem suam, suppeditarunt sacra Scriptura, Canones omnium Conciliorum, Decretales Pontificum, Patres, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum sententiæ & libri juris civilis, præsertim codex Theodosianus & leges per Justi-

(*a*) V. Baluz. præf. ad Ant. August. de emend. Grat. & Espen. diss. ad decret. Grat. cap. I.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tinianum digestæ. Jam enim eo tempore jus civile Bononiæ tradi cœperat, ut nihil mirum si majorem juris civilis rationem præ reliquis collectoribus habuerit Gratianus. Inter fragmenta sunt nonnulla, quæ *paleæ* nomen præferunt, de qua inscriptione varii varia commenti, veluti divinantes dixerunt, iis vel res leves, vel antiquatas, vel Canones contineri repetitos, & inde quasi nullius essent usus, vel quasi τὰ μαλαία *antiqua*, vel a πάλιν *iterum paleas* ea fragmenta fuisse nuncupata. Quæ sententiæ satis *paleis* ipsis confutantur, quæ res graves, nec antiquatas, non secus ac reliqua Gratiani, complectuntur. Satius igitur est dicere cum Romanis correctoribus, *paleas* esse operis appendices ab aliena manu ad marginem primum adpictas; inde in textum transfusas per librarios. Et sane ipsis observantibus in vetustis Gratiani exemplaribus paucæ admodum, nec omnes in omnibus & eodem ordine reperiuntur: quin unus vetustus codex eas exhibet in margine. Cur vero paleæ dictæ fuerint hujusmodi adjectiones fateor, me nescire, quamvis ab eorum primo auctore, qui *Palea* dicebatur, nomen plerisque sortitæ videantur. Fragmenta autem isthæc non nude proposuit Gratianus, sed suis digessit ratiociniis, quibus causæ & quæstionis conjectionem, propriam opinionem circa proposita dubia, objectiones in contrarium & concordiæ exposuit rationem.

Decretum Gratiani erroribus refertum.

§. XV. Jam in referendis fragmentis istis vix dici potest quanta & qualia peccata admiserit Gratianus. Erat nempe Gratianus antiquitatum ecclesiasticarum imperitus, & criticen de more sæculi ignorabat. Porro quæ concilianda adgressus est, fragmenta non ex autographis, sed ex aliorum collectorum Mercatoris, Burchardi, Ivonis & similium lacunis excerpsit. Ita aliorum errata fecit sua. Mediis sæculis ob barbarorum incursiones & neglectum bonarum artium rara erant in occidente antiquitatis exemplaria, & quæ exstabant, non nisi insano pretio comparabantur. Unde necessitas ipsa verterat in morem, ut collectanea potius, quam ipsa legerent autographa. Ex his duabus fere causis factum, ut tot monumenta suppositicia proposuerit; vera monumenta nec recte retulerit, nec suis autoribus tribuerit; sæpe peccarit in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum; sæpe pro integris sententiis adduxerit summas & breviationes; Græcorum fragmenta ex variis exhibuerit versionibus, quasi diversorum essent auctorum. Quibus aliisque errorum capitibus, quæ recensent Antonius Augustinus & Doviatius (*a*), si addas, quæ ipse Gratianus interpolavit, mutilavit, addidit, corrupit, apparebit, eos recte judicasse, qui concordiam Gratiani, tanquam indigestam apocryphorum & corruptorum monumentorum farraginem traduxerunt.

Gra-

(*a*) August. lib. I. dialog. 1., Doviat. lib. IV. prænot. cap. 12.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Gratianus ab omnibus receptus.

§. XVI. At contraria omnia de Gratiano barbaris sæculis judicatum est. Ejus enim collectionem jam jam editam, posthabitis aliorum collectionibus, plausibiliter & scholæ & fora receperunt, quod eam tanquam opus reliquis perfectius, utilius & veluti dædala manu profectum judicarent. Unde Gratianus per antonomasiam *magister* dictus, & qui ejus rhapsodiam ita didicissent, ut aliis possent prælegere, *baculo*, veluti quodam doctrinæ haud vulgaris indicio, donabantur, atque a *bacillo bacilarii* nomine insigniti, attriti, si diis placet, habebantur *decretistæ*. Ipsi Romani Pontifices tanti fecerunt Gratianum, ut inde Canones laudarent, & causarum peterent decisiones. Unde operi adeo imperfecto tanta accesserit auctoritas, non una videtur fuisse causa. Placuit proculdubio Gratianus, quod ea parte vellicavit homines, qua pruritum sentiebant, scholastica nempe in utramque partem tractandi methodo & tot fragmentis in suam rhapsodiam conjectis legum Romanarum: quæ duo ea ætate permagni fiebant. Quod vero magis Gratiano auctoritatem conciliavit, illud profecto fuit, quod summis angustiis lectores liberabat, de suo adjectis ratiociniis, qua Canones conciliarent discordantes. Qui eum præcesserant collectores, negotium facesserent lectoribus oportebat, suis collectionibus tantum exhibentes alia aliis coacervata sibique adversantia monumenta, nulla interim via, ad difficultates superandas commonstrata. Non dubitabant quidem lectores de monumentorum genuitate, at non adeo stupidi erant, ut ea invicem conferentes, diversitate non angerentur. In his angustiis iis præsto fuit Gratianus, qui suis distinctiunculis & ratiociniis, etsi parum ad rem, offam objecit salutarem.

Gratianum Contius emendat.

§. XVII. Quoniam autem indignum videbatur, ut undique receptissimum opus adeo conspurcatum haberetur, de eo emendando cogitatum est. Primi aliquid memoria dignum eam in rem contulerunt Ant. Contius, jurisconsultus, & Ant. Democharis, Parisiensis theologus, præsertim vero Contius, qui judice Franc. Florente, præ altero longe erat eruditior & ingeniosior. Et sane non solum variis adjectis notis varia monumenta tanquam spuria, aut corrupta adnotavit, & veras Canonum inscriptiones sæpe restituit; verum etiam doctam composuerat præfationem universo juris canonici corpori præfigendam, qua multis argumentis primis Pontificibus tributas Decretales demonstrabat suppositicias. Sed censores Belgæ plus nimio religiosi in editione juris canonici Antuerpiensi an. CIↃIↃLXX eam mutilarunt, exiguumque tantum fragmentum edi permiserunt, quanquam misera diligentia, integris relictis notis, quibus quod in præfatione latius dixerat, paucis vir doctus indicabat. Quo de censorum

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rum facinore ipse Contius postea conquestus est (*a*). Porro idem Contius capita, sive Canones numeris distinxit, at eos ita disposuit, ut ab ipso titulorum principio, quamvis Gratiani verbis expresso, numeros inchoaret. Contra vero Ant. Augustinus aliique a primo Canone numerandi rationem inierunt. Loco titulorum, quos distinctionibus & quæstionibus Gratianus ad indicandam materiam non præmisit, breves summas adjecerunt alii: quæ adjectio Gratiani lectionem reddidit commodiorem. Sed & tractatus de pœnitentia unico ductu per Gratianum conscriptus & causæ XXXIII. intextus, privata industria in VII. abiit distinctiones.

Inde etiam Romani Pontifices.

§. XVIII. Inde Gratiani emendationem Pontifices Romani adgressi sunt. Quod opus sub Pio IV. susceptum, sub Pio V. continuatum, tandem sub Gregorio XIII. absolutum fuit. Selectissimis viris tanta demandata provincia, quos sub nomine *correctorum Romanorum* designant. Quam rationem in emendando secuti sunt, præfatio operi præfixa satis superque demonstrat. Tot adjuti præsidiis innumera profecto emendarunt & restituerunt. Verum tanto exantlato labore, id videntur effecisse, ut Gratiani opus non amplius habemus, sed ejus loco novam collectionem secundum Gratiani seriem ordinatam. Sane inter cætera, quæ præstiterunt, sæpe mutarunt inscriptiones, textui quandoque addiderunt, quandoque detraxerunt: quorum omnium etsi aliquando in subjectis notis integram rationem explicuerint; sæpe tamen in genere monentes, quod aliquid mutatum esset, & aliquando nulla emendationis facta mentione, nos incertos reliquerunt, an quæ habemus, sint genuina Gratiani. Emendationem ita factam voluissent viri docti, ut integris relictis Gratiani textu & inscriptionibus, quidquid emendandum videretur, subjectis notis adjecissent & variantes lectiones adnotassent. (*b*). Adde quod intactam reliquerunt falsarum Decretalium provinciam, adeo ut omitterent etiam Contii adnotationes, quæ earum plerasque tanquam supposititias rejiciebant: quin aliquando etiam ubi minus emendatione opus erat, emendarunt.

Et Ant. Augustinus cum aliis.

§. XIX. Tempore ferme eodem, quo Romæ expurgandum Gratianum Pontifices susceperant, eidem operi Tarraconæ curas suas, sed diversa ratione, vir summus Ant. Augustinus impendebat. Non pertulit in Contio Canonum supplementa, licet diverso a contextu charactere descripta, quod facile in iis exscribendis librarii laberentur & in textum inferrent. Ergo quæ ipsi emendanda videbantur in duos conjecit libros, quos dialogis distinctos inscripsit *de emendatio-*

(*a*) Lib. I. subsec. lect. 10.
(*b*) Espen. diss. in Grat. cap. II. §. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tione Gratiani. In emendando Gratiano fere plus unus hic vidit Augustinus, quam ipsi Romani correctores, majori codicum & monumentorum suppellectili instructi. Quum vero jam ad operis finem properaret, allatus ad ipsum est Tarraconem Gratianus a Romanis emendatus correctoribus. Hinc composuit appendices, quas singulis dialogis adjecit, correctores illos interdum admonens peccasse. Verum nec Contius, nec Romani correctores, nec Ant. Augustinus efficere potuerunt, ut Gratianus prorsus mendis purgaretur. Scilicet post ea tempora critici tanquam supposititia quamplurima rejecerunt, de quibus ante non dubitabant. Unde emendando Gratiano operam collocavit suam Stephanus Baluzius, qui Augustini dialogos notis quamplurimis adauxit: & novissime Espenius aliqua adnotavit. Sed adhuc restant, quæ censorem exspectant. Ad hoc Augiæ stabulum purgandum vix tot Hercules suffecerunt.

An decretum Gratiani vim legis habeat?

§. XX. Jam origine sua nullam juris vim Gratiani concordiam habere incompertis est. Gratianus enim privatus monachus & sponte sua potius, quam publica auctoritate tantum opus adgressus, nullum operi suo potuit juris pondus conciliare. Nec Ecclesia publico decreto unquam illud suum fecit, aut probavit. Quod enim narrat Trithemius, quid trecentis plus minus annis postea scripsit, decretum fuisse per Eugenium III. probatum, in adsensum non traxit canonistas. Nec Gregorius XIII., qui Gratianum emendatum corpori juris canonici præmisit, ei juris communicavit auctoritatem, quamvis inculcarit, ut Romanæ stetur emendationi. Interim videtur non posse negari Gratiano multum accessisse roboris propter ejus generalem in scholis & foro receptionem, quatenus tamen Ecclesiæ patitur disciplina: quod inter alios Panormitanus & Paulus Laymanus (*a*) docuerunt. Parum abest, quin dicam, eadem fata habuisse Gratianum, quæ juri Romano contigerunt. Siquidem postquam jus civile, veluti postliminio revocatum, in Italia doceri cœpit, nulla publica auctoritate in plerisque regnis probatum fuit, & tamen continuo usu eo deventum est, ut patriis legibus deficientibus juris auctoritatem obtinuerit. Quapropter omnino vera non videtur regula illa, quam pro contentis in decreto proponunt canonistæ, inprimis Boetius Epo (*b*) & Antonius Augustinus (*c*): *fragmenta Gratiani eam vim habent in decreto, quam haberent extra decretum.*

Receptio Gratiani promovit mutationem disciplinæ.

§. XXI. Generalis concordiæ Gratiani receptio ecclesiasticæ disciplinæ promovit mutationem, sacrisque Canonibus ruentibus pondus addidit non

(*a*) Lib. I. theol. moral tract. 4. cap. 6.
(*b*) Lib. II. de jure sacro n. 134.
(*c*) Præf. in Can. pœnit.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

non exiguum. Paraverat quidem ingentem rebus novis silvam Pseudo-Isidorus, at ante Gratianum in causis ad publicum Eclesiæ statum pertinentibus ejus putidæ merces videntur obtinuisse, non vero generatim in aliis disciplinæ articulis, in quibus aliquatenus sacrorun Canonum vigebat auctoritas. Nam Burchardus & Ivo quamvis iis fæcibus conspurcati non admodum videntur nocuisse, quod cum falsis Decretalibus retulerint sacros Canones, & nulla concordiæ proposita ratione, dubiam videri possint reddidisse disciplinam ut mittam quod Burchardi Ivonis codices tantum Ecclesiis particularibus usui fuerint. Sed tandem Pseudo-Isidorus quantus quantus erat, peperit obstetricante Gratiano, ob eam præsertim causam, quod Gratianus modum proposuerit, quo sacra Canonum & novarum mercium staret auctoritas. Nec enim alio spectant adeo frequentes Gratiani distinctiones, quam ad methodum proponendam, ut simul locum obtineant sibi mutuo adversantes, Canonum & Decretalium sententiæ; quamvis reipsa distinctionibus illis plerumque id egerit, ut, conculcata Canonum auctoritate, Decretales constabiliret; siquidem distinctiones plerumque commentitiæ sunt, & aliquando, ut locum habere possent, monumenta interpolavit. Quin & in reliqua disciplina, de qua nihil erat in falsis mercibus, auctoritate sua fecit Gratianus, ut jus novum induceretur, non sine addictionibus & dectractionibus tot cumulans monumenta. Solum nempe legebant Gratianum, etiam ipsi Romani Pontifices. Ita quum in congestis monumentis tantum esse crederent, quantum Gratianus retuliset, facile omnino fuit novos mores induci. Quin adeo adhærebant Gratiano, ut subinde etiam ex ipsius ratiociniis novum jus procusum fuerit. Quæ omnia suis locis adductis exemplis evadent evidentiora.

Incrementum juris novi post Gratianum.

§. XXII. Post Decretum Gratiani jus canonicum *novum* ob novas causas, etiam ipsi Gratiano ignotas, magis magisque se explicuit; extinctaque Synodorum provincialium in condendis Canonibus potestate, amplissimum ad res novas constituendas campum nova disciplina Pontificibus objecit. Sed quo paulo distinctius juris *novi* incrementum intelligatur, Illustrissimi Petri de Marca fere vestigiis insistentes, generales saltem causas, quæ tot novas extorserunt regulas, paucis proponemus (*a*). Et primum quidem (I) judiciaria potestas a Synodis provincialibus in Pontifices translata, novas paravit constitutiones. Scilicet ac inducta mutatione præscribendæ erant regulæ de rebus, quæ apud Pontifices disceptabantur; quin etiam rationem & methodum concipere oportebat, qua & Romanæ & in provinciis per judices delegatos judicia expedirentur. Porro (II) novis constitutionibus fontes aperuit inexhaustos solemnis judiciorum or-

(*a*) Marca lib. III. de C. S. & I. cap. 6. n. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ordo, qui contra antiquam simplicitatem formulis actionum & tritura fori fuit obstrictus & involutus. Ex his duabus causis tot constitutiones emanarunt de rescriptis, de judicibus delegatis, de officio judicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus, sententiis, appellationibus. Nec minus (III) uberent Decretalibus materiam suppeditavit beneficiorum ab ordinatione discretio. Inde nempe necesse fuit novas præscribi regulas de qualitatibus beneficiariorum, de beneficiis adquirendis, conservandis, amittendis, quæ fere utramque paginam juris novi faciunt quum antiqua stante disciplina tantum de qualitatibus ordinandorum Canones loquerentur, & de Clericorum in gradu suo firmitate, vel dejectione. Matrimonii porro (IV) impedimenta novis interdictis ad tuendam honestatem publicam introducta, & revocatæ ad solam Ecclesiam earum causarum cognitiones, novam Decretalibus materiam suppeditarunt. Sed (V) pœnitentiarum publicarum, quæ antiquo jure vigebant, temperatus novis moribus rigor, auctus vero nervus censurarum, novis erat explicandus constitutionibus. Præsertim vero (VI) multiplicatæ per Europam novæ monachorum species, iisque, ut & capitulis Canonicorum, indultæ a potestate ordinariorum exemptiones, ab antiquis diversas pepererunt regulas, variasque causarum figuras Pontificibus decidendas proposuerunt. Peccati quoque (VII) cognitio a foro interno ad externam cognitionem a Pontificibus traducta, novas etiam invexit Decretales ad peccati materiam amputandam.

Decretalium Gregorii IX. Papæ compilatio.

§. XXIII. Ex modo memoratis causis & vero etiam ad exotos abusus evellendos cumulata sunt Conciliorum decreta & in dies multiplicatæ Decretales. Unde partim legitima Pontificum, partim privata opera quinque prodierunt Decretalium collectiones, quarum primas quatuor Ant. Augustinus, quintam Cironius evulgavit. Ex tot Decretalium codicibus, quin etiam ex nonnullis sibi invicem adversis Decretalibus nata confusio, excitatumque fuit desiderium novæ collectionis, qua brevius & per omnia sibi cohærens jus complecteretur. Tantum opus perficiendum curavit Gregorius IX. an. CIↃCCXXVII. Pontifex creatus, opera usus Raymundi a Penaforti, ordinis prædicatorum, viri sanctissimi, & de more sæculi etiam docti, cui exemplo Justiniani mandavit, ut ex quinque exstantibus Decretalium collectionibus & aliis extravagantibus, additis novis constitutionibus, subinde ab jure civile depromtis, *resecatis* tamen *superfluis*, novum codicem compilaret. Absolutum opus, & non secus ac antiquiores Decretalium codices, in quinque libros tributum, & pontificia auctoritate donatum publici juris fecit Pontifex subtit. *Decretalium Gregorii IX. Papæ compilatio*: quæ inscriptio a puriore latinitate non abhorret. Jam compilatio isthæc non omnes & integras refert Decretales; nam Raymundus mandatis obsequens Pontificis multa resecavit, addiditve, quin quandoque unam eandemque

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

constitutionem in duas tresve divisit, & sub diversis titulis fragmenta collocavit. Unde necessario debuit evenire, ut Decretales per Raymundum congestæ, & obscuritate laborarent, & interdum etiam ab autographis dissentirent, præsertim quum tantæ eruditionis non fuerit Raymundus, ut opus daret absolutissimum. Etenim hoc nostro Raymundo doctissimi viri Tribonianum faciunt doctiorem (*a*).

Sextus Decretalium.

§. XXIV. Post editas Gregorianas Decretales ad decidendas novas, quæ emergebant, species, varias sequentes Pontifices emiserunt constitutiones: Concilia porro duo Lugdunensia sub Innocentio IV. & Gregorio X. celebrata multis editis Canonibus statuerunt disciplinam. Novellas hujusmodi constitutiones, ne vagarentur extra codicem, statim conditas singulis ad quos pertinebant, Decretalium titulis Pontifices adnectebant (*b*). Inde antiquos codices destrui, & non sine gravi sumptu parari alios oportebat. Cui incommodo occurrere volens Bonifacius VIII., & vero etiam ut dubia de existentia, aliquot Decretalium, quæ forsan de more subjectæ non fuerant Gregorianis, amputaret, novam componendam curavit collectionem in quam cum propriis constitutionibus Canones & Decretales post Gregorianam compilationem editas conjecit, sed ex integro veluti compactas. Nam tresviri operi perficiendo admoti, de ipsius Pontificis mandato ex selectis Decretalibus aliquas reduxerunt in compendium, alias in totum vel ex parte mutarunt, reliquas variis addictionibus & detractionibus interpolarunt. Unde in hanc collectionem conjectæ antiquæ Decretales & obscuræ & aliæ ab iis, quæ erant, evaserunt (*c*). Dolendum vero quod in multis nulla ratione intelligere possimus, quæ fuerint eorum Pontificum genuina monumenta. Pauca enim autographa Decretalium per Bonifacium collectarum ad nos usque pervenerunt. Eodem librorum & titulorum ordine, quo Gregoriana, isthæc nova collectio composita est, eamque canonica auctoritate donatam circa an. CIↃCCCXCVIII. sub nomine *sexti Decretalium*, quod tanquam *sextus* liber quinque Gregorianis accederet, ipse vulgavit Bonifacius.

Collectio Clementinarum.

§. XXV. Jam Clemens V. ex constitutionibus suis tum in Concilio Viennensi, cui præsedit, tum alias conditis novam eadem methodo, qua præcedentes, componendam curavit collectionem, quam sub nomine *septimi Decretalium* vulgare destinaverat, sed morte præventus eam successor Joannes XXII. an. CIↃCCCXVII. publica auctoritate donatam sub nomine *Clementinarum* in publicum emisit. Mors qui-

(*a*) Cont. not. in præf. Decretal.
(*b*) Præf. sexti Decretal.
(*c*) Espen. com. in Can. par. III. sect. 2. diss. in sext. Decretal.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quidem præmatura fuit, quæ Clementi obstitit, ne collectionem ederet suam; prorsusque mentitur Joannes Aventinus scribens, Clementem, a publicandis *Clementinis* supersedisse, *quod multa, quæ simplicitati christianæ, libertati religionis imponerent, ibi continerentur* (a). Et ubi quæso sunt in Clementinis, quæ simplicitati christianæ & libertati religionis adversantur? Illud autem a vero non abhorret, Clementem constitutionibus in codicem redactis, exemplo Gregorii IX. & Bonifacii VIII., addidisse, detraxisse & subinde etiam mutasse. Et hactenus admitti potest narratio glossæ, sive Joannis Andreæ, qui non solum narrat, constitutionibus Concilii Viennensis aliquid additum, mutatum, detractum; verum etiam *patuisse aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compositas, aliquas etiam non expedire.* Non hic est primus, etiam de rebus summis, error, glossatorum.

Duæ Extravagantium *collectiones.*

§. XXVI. Tempore sui pontificatus Joannes XXII., qui Clementinas edidit, varias condidit constitutiones, ex quibus tantum XX. incerto auctore collectæ, sub titulo *Extravagantium Joannis XXII.* prodierunt. Exiguus Decretalium numerus in hanc collectionem conjectarum, divisionem in libros non admisit, quamvis ordo titulorum antecedentibus etiam respondeat collectionibus. Temporis lapsu alia major prodit, etiam incerto auctore, Decretalium collectio, quæ non secus ac Gregoriana in V. libros tributa (quamvis careat libro quarto, quo in aliis agitur de Matrimonio) nomen præfert *Extravagantium communium*, quod non unius, sed multorum Pontificum contineret constitutiones. Sane præter plures Decretales ejusdem Joannis XXII. antecedenti non insertas collectioni, in eam conjecit auctor constitutiones multorum Pontificum ab Urbano IV. (modo vera sit prior inscriptio cap. I. de Simon.) ad Sixtum IV., qui an. CIↃCCCCLXXI. Pontifex creatus est. Neutra harum collectionum pontificia auctoritate suscepta, aut probata prodiit: hinc dictæ *Extravagantes*, quasi iis comprehensæ constitutiones extra juris corpus vagarentur. Sed inde per usum receptæ; antiquum *Extravagantium* nomen retinuerunt.

Quinque enarrati codices jus commune complectuntur.

§. XXVII. Jam Decretales quinque enarratis codicibus comprehensæ fere per totam obligant occidentalem Ecclesiam, suntque loco juris canonici communis, quo recentioribus statutis & peculiaribus moribus non adversantibus, ecclesiastica dirigitur politia. Etenim Gregorius IX., Bonifacius VIII. & Joannes XXII., qui Decretales, sextum Decretalium & Clementinas evulgarunt codices suos

vi

(a) Annal. lib. VII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

vi canonica donatos in scholis & foris valere voluerunt, publicatosque codices christiani populi moribus probarunt suis. Et quæ auctoritas origine sua defuit Extravagantibus, per receptionem & usum conciliata est. Tantum in Galia, ob notissima inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum dissidia sextus Decretalium non fuit probatus & receptus. Quin ea est auctoritas juris canonici, ut etiam in rebus temporalibus & in foro civili obtinuerit, ita quidem ut ipsis legibus civilibus subinde præferatur. Scilicet posterioris ætatis Concilia & Pontifices, utroque gladio simul combinato, de rebus temporalibus jura civilibus derogantia condiderunt, quæ una cum reliquis Decretalibus publicata, inter ipsos laicos præ jure civili obtinuerunt præeminentiam. Jam receptum erat, Pontifices suis constitutionibus pietatem unice fovere, & quam maxime vitandis peccatis adlaborare. Hinc quum passim homines cura salutis spiritualis tangerentur, religio iis fuit admittere leges civiles ecclesiasticis adversas. Inde nata practicorum regula, *servandum esse jus canonicum, ubi agitur de peccato vitando.* Mirum est, circa sæculi XIV. finem exstitisse Jo. Petrum de Ferrariis (*a*), qui animæ periculum, quod evitare intendebant, admissis in rebus temporalibus pontificiis constitutionibus, exagitarit. Nec minus auctoritatem supra leges civiles Decretalibus conciliavit summa æquitas, quam posthabitis juris civilis apicibus, subinde in Decretalibus animadvertebant. Quod vero magis hanc præeminentiam constabilivit, fuisse videtur opinio, quæ ferebat a spirituali civilem pendere potestatem, ut ita nefas videretur, leges auctoritate inferiores admittendas, ubi cum superioris legibus pugnarent.

Disciplinæ sacræ scholastica *methodo involutæ.*

§. XXVIII. Medio isto tempore, quo tot novæ rei canonicæ accesserunt regulæ, disciplinæ sacræ a simplicitate dilapsæ sua novam formam, eamque senticosam & mysteriis verborum involutam induerunt. Non ultra Evangelium olim sapiebant christiani: inde fidem & morum regulas edocti, a vanis & subtilibus controversiis erant alieni (*b*). Verum temporis lapsu retro relictis Patrum finibus, scholastica philosophia stabili connubio rebus sacris adnexa, eas superfluis quæstionibus, *formalitatibus* & barbaris formulis contaminavit. Ita inducta est *secunda theologiæ methodus*, ut appellabat Cardinalis Perronius (*c*). Qui primus machinis dialecticorum theologiam explicuit, fuit B. Jo. Damascenus, qui VIII. sæculo elucubrato opere de *fide orthodoxa*, ratiocinari instituit, ubi credere oportebat. Sed morbus longe lateque grassatus est, postquam sub finem sæculi XI. cœperunt ex Arabum fæcibus sapere occidentales, easque stu-

(*a*) Prax. aurea tit. IV. n. 44.
(*b*) Deslandes histoire de la philosophie tom. III. cap. XLII. n. 3.
(*c*) De Euchar. lib. III. cap. 20.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

stūdiis sacris innectere. Hinc Evangelium pene neglectum, aut saltem quoad mysticos sensus incalcatum, christiana sacra veluti ex Aristotelis & Arabum sinu proposita, quæstiones quæstionibus, sophismata sophismatis coacervata, novæ horridæque verborum formulæ procusæ. Naturale fuit ex theologicis in rem canonicam scholasticam induci, adeo stricte hæ duæ sibi mutuo adhærent facultates. Primus contentiosam in utramque partem tractandi methodum Canonibus attexuit Gratianus, quem deinde cæteri rei canonicæ tractatores secuti, semel susceptam methodum dilatarunt, omniaque ex genio philosophiæ dominantis proposuerunt, hactenus ut etiam Sacramenta per *materiam* & *formas* explicarent.

Probabilismus *fovet lubricum morum.*

§. XXIX. Quod vero magis sacris Canonibus nocuit, fuit regnum opinionum, quod in ipsa morum disciplina optimis quibusque reclamantibus ex eo tempore cœpit invalescere, quo Episcopi populum docere & conventus agitare desierunt. Non unius, aut alterius privati scriptoris arbitrio olim res morales tractabantur, sed certis obvenientibus speciebus Episcopi primarum sedium consulebantur, qui plerumque in Synodis re mature discussa, quid tenendum esset, pronunciabant. At labentibus sæculis Synodis fere desuetis, & Episcopis non amplius populum docentibus, id negotii sibi sumentes ex schola scriptores, justi & injusti arbitri evaserunt. Eo res perducta est, ut tot in res morales variis inductis opinionibus, *fere liceret, quidquid luberet*, ut loquitur Cardinalis Bona. Rara temporum felicitas, ut fere sentire, quæ velles, & quæ sentires, facere liceret. Nempe inducto *probabilismo*, in moralibus fere nullus reperitur articulus, in quo non sit varietas opinionum, quas quum omnes æquæ probabiles haberent, ex æquo omnes sequi licebat impune. In tanta justi & injusti confusione Canones spiritu Dei conditi neglecti, eorumque locum subierunt *casuistarum* opiniones. Occurrerunt quidem tantis malis Romani Pontifices insigniores *casuistarum* laxitates proscribentes, sed morbus veluti in radice perseverat.

CAPUT VI.

De jure canonico novissimo.

Disciplina tempore schismatis Avenionensis corruptissima.

§. I. Reliquum est jus canonicum *novissimum*, quo continetur quidquid post evulgatos Decretalium codices sacra auctoritate constitutum est. Novissimæ hæ ecclesiasticæ constitutiones, quæ in multis articulis antiquis Patrum regulis accedunt, in aliis vero ultra Decretalium fines excurrunt, ad quatuor classes referri possunt: *decre-*

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

creta nempe *Conciliorum*, *Decretales Pontificum*, *regulas cancellariæ*, & *nationum concordata*. Quamvis exortis in scenam falsis Decretalibus ecclesiastica disciplina semper inclinarit; tempore tamen schismatis Avenionensis, quod sub finem sæculi XIV. primum erumpens, per plures annos Ecclesiam dilaceravit, veluti ultimum exitium passa est. Dissentientes enim Pontifices in illa æmulatione suas partes augere studentes, vitia suorum dissimularunt, Canonum enervarunt vim tot privilegiis & dispensationibus indultis: quin quum mutuis diris & exsecrationibus seipsos devoverent, censuras ecclesiasticas verterunt in ludibrium. Abusu ipsæ res sanctissimæ profanantur. Pluries de Ecclesiæ communione restituenda adlaboratum, tandemque Concilium Constantiense an. CIↃCCCCXIV. celebratum, exauctoratis dissentientibus Pontificibus, & electo Martino V. finem scissuris imposuit. Disciplinæ jam conculcatæ restauratio solicitos quoque habuit Patres Constantienses, quin etiam alios Patres, qui deinceps sæpe convenerunt. Præcipuum restaurationis remedium existimatum fuit restrictio privilegiorum & dispensationum, quæ frequens & sine justis causis concessa indoli christianæ religionis, charitatem & æqualitatem custodientis, videntur repugnare. Verum vel quod remedia restituendæ disciplinæ adhibita leniora erant præ vulnerum acerbitate, vel quia communi conatu tanto operi non fuit adlaboratum, abusus in statu perseverarunt suo.

Celebratio Concilii Tridentini.

§. II. Interea in scenam prodiit Martinus Lutherus, qui obtentu Ecclesiæ repurgandæ eam miseris modis dilaceravit. Ab Ecclesiæ catholicæ communione tempestas hæc avulsit integram fere Germaniam & regna septentrionalia. Tot tantique exciti rumores catholicos excusserunt, ut licet sero, serio tamen ad solida studia, & ad morum & disciplinæ emendationem converterentur. Relictis inanibus verborum formulis & sophismatis intermissa sacræ Scripturæ, antiquitatum ecclesiasticarum & linguarum studia resumpta sunt. Unde perspecta antiqua Ecclesiæ disciplina, detectæ omnium abusuum occasiones. In hoc rerum statu convocatur sub Paulo III. Concilium Tridentinum, quod sub Julio III. continuatum, sub Pio IV. demum absolutum, fide contra novatores confirmata, plura ad morum & disciplinæ emendationem edidit decreta. Plerique antiquorum Canonum recentati, dispensationes & privilegia restricta, auctoritas Episcoporum exaltata. Temporis enim durities minime permisit per omnia antiquorum Canonum revocationem. Corpori adeo ægrotanti extrema remedia adhibenda non censuerunt Patres, sed majoribus extirpatis abusibus, reliqua lenibus fomentis admotis ad integram restitutionem præpararunt. Post Concilium Tridentinum ad Ecclesiæ disciplinam restaurandam, quin etiam ad exsecutionem decretorum Tridentinorum plura in catholicis provinciis sunt celebrata Concilia, inter quæ præsertim eminent sex Mediolanensia, quæ per S. Carolum Bor-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Borromæum habita, adeo saluberrimis statutis sunt referta, ut pondere suo antiquis non cedant Conciliis. Nec videtur dubitandum, quod si exemplo S. Caroli consiliis Patrum Tridentinorum deinceps Ecclesiæ moderatores pressius adhæsissent, hodie de solida restituta disciplina gloriaremur.

Novæ Pontificum Decretales.

§. III. Post vulgatos Decretalium libros decessorum suorum sequentes vestigia Romani Pontifices pro re nata varias ediderunt constitutiones, vel edicentes, vel de facto consulti respondentes: quæ *bullæ* nomine passim designantur. *Bullæ* id proprie est, quod instar pilæ in aquis intumescit & cito disrumpitur. Unde quæ apud Romanos ex collo prætextatorum & triumphantium in pectus incumbebant insignia, quod extuberanti forma erant elaborata, *bullæ*, judice Vossio, fuerunt nuncupata. Inde Imperatorum sigilla etiam *bullæ* dicta sunt, vel quia extuberantibus erant iconibus, vel quod diplomatis, ut olim bullæ collo Romanorum, adpendebantur: eranteque apud Græcos Imperatores hujusmodi bullæ quadruplicis generis aureæ, argenteæ, cereæ, plumbeæ, pro varia eorum, quibus rescripta mittebantur conditione, ut Meursius observavit (*a*). Bullarum, seu sigillorum usum suum etiam fecerunt Romani Pontifices, eæque quo de genuitate constaret, Decretalibus adpensæ, ipsis Decretalibus nomen dederunt. Novis Pontificibus novas semper addentibus constitutiones, adeo bullæ excreverunt, ut numero longe vincant ipsas Decretales receptis codicibus comprehensas. Spectant bullæ istæ fidem, vel disciplinam, & quandoque etiam de rebus disponunt temporalibus. Ex his Conciliorum decretis & bullis nulla legitima auctoritate collectio prodiit, nam *septimus Decretalium* & *bullarium Romanum* privatæ debentur industriæ. Novissimæ bullæ tum demum obligant in christianis provinciis & regnis, quum receptis moribus non repugnant, & publica summorum imperantium auctoritate admissæ reperiuntur, aut deinceps admittantur. Inter jura enim majestatis accensetur exteras leges expendere, & expensas, si e republica sit, publico decreto admittere. Quod adeo verum est, ut multa ipsius Concilii Tridentini circa disciplinam decreta nec apud nos, nec alibi obligent, quod publica summi imperantis potestate, utpote receptis moribus & juribus adversantia, non fuerint admissa.

Regulæ cancellariæ.

§. IV. Nec tantum bullis, verum etiam inventis *regulis cancellariæ* jura condiderunt Pontifices Romani. Hujusmodi regulas primus invexit Joannes XXII., nec aliud initio fuerunt, quam instructiones, quibus officiales cancellariæ edocerentur, ut secundum varias negotio-

(*a*) Glossar. v. σφραγίδες ὑλλαι.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tiorum formas in rebus beneficiariis literas in cancellaria possent expedire. Inductas autem per Joannem regulas sequentes Pontifices diversimode auxerunt usque ad Nicolaum V., qui medio sæculo XV. Pontifex creatus, utiliores decessorum suorum regulas colligens, & multas adjiciens judiciales, h. e. normam juris dicundi præscribentes, ad eum fere statum, in quo nunc habentur, perduxit. Nicolaum deinde successores paucis immutatis, vel additis secuti sunt, eoque mutationibus & additionibus perducta res est, ut ad unam supra septuaginta tandem excrescerent. Quapropter hujusmodi regulæ varios Pontifices adgnoscunt auctores, quinimmo aliorum regulis aut mutarunt, aut addiderunt successores, atque ita quamvis unius Pontificis regula sit, habet tamen aliorum additiones, aut modificationes. Illud vero certum est, regulas cancellariæ non esse perpetuas, quum morte Pontificis extinguantur, quamvis solent reviviscere, nam altero suæ adsumptionis die eas Pontifices innovant, & in cancellaria publicari jubent, non sine additionibus, mutationibus, omissionibus, prout Pontificibus placuerit. Non in omnibus catholicis provinciis obligant, sed tantum eæ, quæ populorum moribus receptæ sunt.

Nationum concordata.

§. V. Demum juris canonici novissimi partem constituunt pacta conventa inter nationes & Pontifices, quæ vulgo nuncupamus *concordata*. Illa dubio procul invexit plus nimio extensa Pontificum auctoritas. Præ cæteris Ecclesiis Gallicana magis solicita fuit in antiquis Canonibus tuendis & obviandis novitatibus. Sed hoc Gallorum studium inde usque a tempore schismatis Avenionensis dilucidius apparuit. Hinc decreta Concilii Basileensis de abolitis mandatis, de providendo & reservationibus beneficiorum statim amplexi sunt Galli, & in comitiis Bituricensibus an. CIↃCCCCXXXVIII. ex omni clero coactis *in pragmaticam sanctionem* conjecerunt. Cum Franciæ regibus sæpe egerunt Pontifices ad pragmaticæ sanctionis abolitionem, unde multarum turbarum subortæ occasiones, donec eo ventum sit, ut veluti transactione inter Franciscum I. & Leonem X. controversiæ finirentur. Ita pragmaticæ abolito nomine, nata sunt Ecclesiæ Gallicanæ *concordata*. Habent quoque sua concordata aliæ nationes, in primis Germania. Apud nos præsertim emineat pacta conventa inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium olim regem nostrum an. CIↃIↃCCXLI. inita. Iis intra modum coercitæ Clericorum & Ecclesiarum immunitates, circa ordinationes restaurati sacri Canones, tribunal mixtum institutum, aliaque ad Ecclesiæ & regni felicitatem inducta.

CA-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

CAPUT VII.

De vario sacrorum Canonum ingenio & nonnullis regulis pro eorum studio recte instituendo.

Canones de moribus sunt immutabiles.

§. I. Quæ hactenus disseruimus de Canonum codicibus variisque rei canonicæ vicissitudinibus, generales veluti sunt præ-notiones, a quibus antequam discedamus, alias addere duximus, quæ varium sacrorum Canonum explicent ingenium, regulasque nonnullas tradant ad recte eorum studium ordinandum: quæ duo efficiunt, ne in eorum errorem incidamus, qui antiquos Canones cum honore esse sepultos dictitant, nec ad præsentem Ecclesiæ statum pertinere; & vero etiam ut ordinatiori methodo ad scientiam Canonum accedamus. Ut a judicio, quod de sacris Canonibus ferre debent tirones, exordiar, Canones omnes aut mores formant, aut disciplinam constituunt, aut methodum tradunt, qua in judiciis ecclesiasticis disceptetur. Mores, ut alias occupavimus, sunt actiones christianorum, quæ ad doctrinam evangelicam componi debent. Hinc non aliud sunt ethici Canones, quam evangelica præcepta per Ecclesiam renovata, & quo fortius urgerent, pœnis instructa. Officii plane sui semper duxit Ecclesia, sanam doctrinam ignorantia, aut pravis cupiditatibus conculcatam, iterum in usum revocare minis & pœnis subinde adjunctis. Quin eo processit Ecclesiæ solicitudo, ut pro moribus recte componendis veluti quædam constitueret sepimenta, quibus mali evitarentur occasiones, & morum veluti traderetur disciplina. Quoniam vero doctrina evangelica una est & immutabilis; immutabiles quoque sunt Canones, qui ejus revocant observantiam, tantumque quæ in his regulis sunt meri juris positivi, puta pœnæ adjunctæ, possunt abrogari, nisi talia sint, ut sine illis, quæ sunt juris naturalis, servari nequeant. Ita quum præcipua muneris pastoralis pars in verbi Dei prædicatione consistat, Canones, qui ad eam Episcopos & cæteros pastores urgent, stabunt æternum, nec umquam fiet, ut pastoris munus adimpleat, qui oves suas sacris concionibus non innutrit.

Causæ dilapsæ morum disciplinæ.

§. II. Et tamen quis crederet? tempora fuerunt, in quibus nihil minus in Ecclesia servatum fuit, quam hujusmodi ethici Canones. Nec nostris temporibus adeo felices sumus, ut per omnia morales Canones servatos videamus, quamvis hæc nostra ætas barbaris temporibus collata habeat, quod merito possit gloriari. In tantum malorum prolapsi sumus, ob temporum calamitates, & in-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

curia eorum, quos maxime oportebat Ecclesiæ saluti providere. Inde usque a sæculo V., quo barbarorum incursiones in occidentem evaserunt frequentiores, ita ingruere cœpit ignorantia, ut disciplinæ ferme omnes sacræ, profanæ, quasi pondus iners jacerent (*a*); ipsique Clerici, direptis, aut in milites distributis bonis ecclesiasticis, sæpe Ecclesias, quo sibi victum quærerent, reliquerunt. Hinc ignorantes, qui esse deberent, alii plane evaserunt ab iis, quos evangelium & sacri Canones depingunt. Incontinenti, rebus temporalibus addicti, Christi abutentes patrimonio, dominatum in temporalia ambientes & vero etiam usurpantes, &, ut verbo omnia comprehendam, milites. Tantis malis fomentum addiderunt, qui postea aliquam operam studiis cœperunt collocare. Hi enim lubricum morum potius promoverunt, quam exstirparunt. Studia sua tempori accommodantes, posthabitis evangelio & sacris Canonibus, sophismatis suis doctrinam invexerunt, qua leges eluderent sanctiores (*b*). Nec minus ad hanc corruptionem contulerunt pastores ipsi, qui domini facti temporales, & frequentes in comitatu degentes, neglectis spiritualibus, fere de temporalibus soliciti evaserunt, ut mittam eos, qui prorsus sacerdotio indigni, ambitu & malis artibus summas in Ecclesia occuparunt dignitates, quas infandis criminibus contaminarunt. Haud ignota loquor. Lubricum porro morum promoverunt cum privilegiis exemptiones, dispensationes, ut plurimum importunæ & sine causa concessæ, quibus sæpe obices Episcopis injecti, quominus Canones urgerent, & abusus emendarent.

Methodus Ecclesiæ in abusibus extirpandis.

§. III. Videt quidem semperque vidit Ecclesia tantam in moribus labem, at cave putes, eam morum probare corruptionem, aut opinari ethicos Canones per contrarios usus posse obliterari. Constans semper Ecclesiæ sententia fuit, crimina, quo diutius invalescunt, eo esse graviora (*c*). Hinc semper adlaboravit, ut abusibus, qui irrepserant, quæreret medicinam. Verum quum temporum calamitate exorta vitia altas egissent radices, in iis eradicandis eam rationem sequendam duxit, ut evellens zizania, non evelleret simul & triticum. Docent sapientes, in rebus humanis aliqua ad tempus esse dissimulanda, & quandoque tempori serviendum. Prudentem hac in causa medicum Ecclesia imitata; leviora fomenta primum adhibuit, ut inde vulnera medicinam pati possent duriorem. Id toties expresserunt Pontifices & vero etiam ipsi Tridentini Patres (*d*). Scimus in primis eorum Patrum congressibus nonnulla fuisse statuta, quæ postea ad incudem revocata, puriori disciplinæ magis adhæserunt.

(*a*) Proleg. cap. V. §. 1.
(*b*) Proleg. cap. V. §. 29.
(*c*) Cap. IX. ex. de Simon.
(*d*) Ses. XXV. de regul. 21.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

runt. Inde etiam factum, ut nonnulla permiserint potius, quam decreverint: quod homines male feriati non attendentes, trahunt in abusuum confirmationem. Quapropter observent tirones, non ideo aliquid esse licitum, quod videant impune per Ecclesiam tolerari. Tolerat nempe, non probat Ecclesia, ea sane mente, ut quum feliciora tempora inciderint, latis Canonibus omnino exterminet & proscribat.

Mutabiles vero sunt Canones de disciplina.

§. IV. Verum enimvero contrario a Canonibus de moribus ingenio sunt Canones, qui ritus & cæremonias externas, &, ut verbo dicam, meram constituunt disciplinam. Hi enim non secus ac ipsa disciplina, æternum non obligant, sed variis subjiciuntur mutationibus: quinimmo eodem tempore varii esse possunt pro varia locorum ratione, quod supra observatum est (*a*). Nempe ritus & cæremoniæ ideo constabilitæ sunt, ut doctrina in usum deducatur & explicetur. Quapropter parum refert, quibus ritibus utatur Ecclesia, dummodo tales sint, quibus apte doctrina possit explicari, & conveniant sacrarum rerum majestati. At hic serio advertatur oportet, sub diversa disciplina eundem semper Ecclesiæ spiritum eandemque semper esse doctrinam. Ritus doctrinam in usum adducunt, non mutant. Quis ambigit, unam eandemque rem posse diversis explicari rationibus? Si cæremoniarum mutatione spiritus etiam Ecclesiæ mutaretur, duorum alterum deberet evenire, aut numquam cæremonias posse mutari, aut doctrinam christianæ religionis defecisse, quum tot tantasque vicissitudines sit passa disciplina.

Explicandæ doctrinæ quidam ritus sunt aptiores.

§. V. Quanquam vero indifferens sit, quibus ritibus in explicanda disciplina utatur Ecclesia; negari tamen non potest, ad eandem doctrinam explicandam esse quosdam ritus præ aliis aptiores. Non secus ac in operibus mechanicis quibusdam instrumentis expeditius utimur; sic etiam evenit in sacra doctrina, quæ uno modo explicata sanctius custoditur, alia vero ratione in usum deducta, saltem viam abusibus sternit. Non ego is sum, qui præsenti Ecclesiæ statui Canones pœnitentiales convenire putem; at disciplina, quæ ferebat, ut in casibus ordinariis satisfactio præiret absolutionem, præ altera, qua penalia opera post absolutionem differuntur, aptior videtur fuisse ad homines in officio continendos. Similiter beneficia adnexa ordinationi magis promovebant Clericorum stabilitatem, & Ecclesiæ doctrinam, quæ vult, ut Clerici de altari vivant, & adsiduo defungantur ministerio, melius custodiebant, quam eadem ipsa nunc ab ordinatione sejuncta. Quis enim nescit, ab hac discretione

(*a*) Proleg. cap. II. §. 22.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ne profluxisse ordinationes *absolutas* seu *titulo* ecclesiastico destitutas, quæ plerosque Clericos victualibus ecclesiasticis spoliarunt, & vero etiam nexu inter Ecclesiam & Clericos infracto, tot errones pepererunt? Quæ quum ita sint, ipsos disciplinæ Canones non facile pronunciandum abrogatos, nisi constanti publicoque Ecclesiæ usu contrarii mores recepti reperiantur.

Judicium de regulis forensibus.

§. VI. Restat, ut de regulis forensibus aliquid admoneamus. Antiqua stante disciplina suos habebat Ecclesia Canones, quibus judicia in materiis ecclesiasticis dirigebantur. Hujusmodi Canones id unum spectabant, ut tribueretur cuique suum, & cuique crimini congrua pœna infligeretur. At pro litibus rerum temporalium si quos Ecclesia Canones præscripsit, iis tantum voluit, ut caritatem inter christianos foveret & induceret. Sane de temporalibus judicia potius ut arbitri ex bono & æquo componere, quam ut veri judices decidere Episcopi debebant. Cui ignota hac super re integritas & humanitas antiquorum Episcoporum, qui ut officio pastorali satisfacerent, lites tanta cum admiratione componebant, ut ii ipsi gentiles, posthabitis suorum sententiis, vel arbitriis, in litibus suis Episcopos nostros convenirent? Temporis lapsu invitis sacris Canonibus in forum ecclesiasticum forenses irrepserunt tricæ: quinimmo judicia ecclesiastica sæcularibus evaserunt implicatiora. Ad hujusmodi judicia regenda incubuerunt posteriores Pontifices, qui variis rescriptis, quæ in libris Decretalium prostant, sollemnem judiciorum ordinem constituerunt. Quid quod Decretales ipsæ, quæ tractant de rebus ecclesiasticis, parum subinde faciunt ad mores componendos & abusus exstirpandos, sed plerumque ad finiendas quæstiones judiciales diriguntur? Judiciales hujusmodi tricæ vix dignæ sunt, ut augusto *Canonum* nomine donentur. Et tamen inde usque a multis sæculis invaluit, ut juris canonici studiosi fere solæ Decretalium adhæreant lectioni, & alias collectiones, si excipias Gratianum, vix attingant. Hæc omnia, etiamsi nullus moneam, facile demonstrant, quanti sint habendæ præ Canonibus mores & disciplinam componentibus, quæ de tricis forensibus tractant, Decretales.

Vocabulis proprias oportet tribuere notiones.

§. VII. Hisce observationibus de vario sacrorum Canonum ingenio alias subjungemus, quæ methodum recte instituendi studii juris canonici respiciunt. Principio illud admonemus, ut curent tirones aptam vocabulis, quibus utuntur Canones, tribuere notionem. Inde enim pendet eorum intelligentia, nec fieri ulla ratione potest, ut antiqua intelligamus monumenta, nisi antiquis vocibus etiam antiquorum notiones subjiciamus. Scilicet quamvis iisdem vocabulis, quibus antiqui utebantur, etiam nos utamur; sæpe tamen in sono tantum convenimus, cætera distamus. Id generaliter tenere debent, qui an-

ti-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tiqua versant monumenta; at multo magis Canonum studiosi, quum paucæ admodum reperiantur voces, in quarum notionibus antiqui cum recentioribus conveniant. Exemplo esse possunt recepta ista vocabula *communio*, *viaticum*, *canonicus*, *diœcesis*, *parochia*, *missa*, quibus si quis, dum antiqua versat monumenta, præsentes notiones tribuat, dubio procul sententias non adsequetur antiquorum, qui memoratis vocibus, aut diversas, aut nostris ampliores tribuebant notiones. Ut ecce Patres Concilii Illiberitani multis sane Canonibus quibusdam peccatoribus nec in fine dandam *communionem* decernunt. Voce *communionis* apud nos intelligitur Eucharistia, at non ita intelligebant Patres Illiberitani, qui eo verbo absolutione designarunt. Nec tantum in antiquis Canonibus hujus generis vocabula inveniuntur, verum etiam in Decretalibus aliisque mediæ ætatis monumentis. Quinimmo naturali sensu verborum intellecto, videndum qua ratione ab antiqua notione declinarit, & paullatim aliam induerint. Feliciter vocabula ista permulti explicuerunt, maxime vero commendandi Albaspinæus, Suicerus, Binghamus, Cironius, Baluzius, du Frelnius aliique.

Græci Canones græce legendi.

§. VIII. Porro in interpretandis Canonibus Græcis rerum ecclesiasticarum studiosus versionibus & collectionibus latinis utatur quidem, ita tamen ut cum iis autographorum lectionem conjungat. Ut enim prætermittam quam natura sua difficile sit, ex una in aliam linguam translatio; interpretes latini non semper veram sententiam Canonum Græcorum exhibuerunt, & quod græce non bene scirent, & præsertim quod disciplinæ apud latinos receptæ eos aptare voluerint. Hinc necesse fuit, Canonibus Græcis aliquid addi, aut detrahi. Quapropter si ex Latina versione de Græcorum disciplina velis judicare, Græcis sæpe id adtribues, de quo numquam cogitarunt. Ex latinis Græcorum Canonum interpretibus præ omnibus fidelior Dionysius Exiguus, licet nec semper genuinum sensum exhibeat. Versio, quam nobis servavit Isidorus Mercator, quæque antiquior latina reputatur, sæpissime a textu Græco recedit. Martinus Bracarensis potius breviator & Canonum interpolator, quam interpres est habendus. Gratianus in sua consarcinanda collectione multa hausit ex Martino, sed frequentius Isidori versionem exhibuit. Sic vero latine translati Græci Canones, quamvis non exhibeant Græcorum disciplinam, utiles tamen esse possunt, quo Ecclesiæ latinæ mores adgnoscamus. Scilicet interpretes latini Canonibus Græcis eam sententiam tribuerunt, quam probabat latina Ecclesia: aut si quandoque ignorantia Græci sermonis peccarint, eorum mala translatio in codices recepta, inducendæ diversæ disciplinæ præbuit occasionem.

In interpretando juvat occasionem Canonis prænosse.

§. IX. Nec satis est, quo Canones intelligamus, vocabula præ-

nos-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nosse & originalem linguam intelligere; verum etiam in occasionem, qua conditi sunt, oportet inquirere. Occasio quædam lumina suppeditat, unde vera sententia veluti in oculos incurrat. Sane quum Canones ad eliminandos abusus, vel errores damnandos conditi sint, ex collatione abusuum & errorum cum Canonum verbis, non potest lumen non adfulgere, quo sententia, quamvis verbis intricatioribus expressa, feliciter eruatur. Huic regulæ pariter locus est in interpretandis Decretalibus in compilationem Gregorianam conjectis. Eæ scilicet emissæ sunt ad quæstiones sedi apostolicæ propositas. Quum vero quæstionis status non semper ex ipso rescripto innotescat, fit inde, ut qui solis verbis per Raymundum relatis adhæret, non semper adsequatur genuinam Pontificum sententiam. Quæ quum ita sint, sacrorum Canonum & Decretalium studiis historiam ecclesiasticam oportet adnectere, quæ conditorum Canonum & Decretalium aperit occasiones. Unde non ante canonica facultas pro dignitate exculta fuit, quam ilustratis una cum reliquis disciplinis ecclesiasticis antiquitatibus.

Ratio disciplinæ spiritum Canonum demonstrat.

§. X. Hisce omnibus præcognitis nullus dubito, quin sacrorum Canonum sententia facilius intelligatur. At qui penitius eorum mentem cupit introspicere, rationes inductæ disciplinæ etiam cognitas habeat necesse est. Verba demonstrant meram Canonum sententiam, ratio vero ulterius exspatiatur, & optimas morum regulas suppeditat. Sæpe externa disciplina res indifferentes continere videtur, at ejus disciplinæ spiritus altiora tendit, & quales christiani & maxime Ecclesiæ ministri debeant esse, demonstrat. Jampridem Clericos a civilibus & personalibus oneribus immunes factos esse nemo unus ignorat. Exemptio isthæc quatenus verba sonant spectata, sublimia non sapit; at ejus concedendæ ratio, quæ debet esse Clericorum vita, demonstrat. Immunes ab omnibus oneribus factis sunt, quo a culto summæ divinitati debito non abstrahantur. Quid aliud indicat ratio externæ hujus disciplinæ, quam juge Clericorum ministerium in Ecclesiam impendendum? Atque hanc disciplinæ rationem summa diligentia inquirendam censeo, nam non solum inde cognoscitur Ecclesiæ spiritus, & methodus Canonum contrahendorum & ad non expressas species producendorum; verum etiam fere tota dispensandi œconomia Canonum rationi inædificatur.

Autographa Decretalium consulenda.

§. XI. Regulæ propositæ, quæ ex natura interpretationis consequuntur, monumenta, in quorum sensum inquirimus, integra supponunt. Nam si mutilata, aut alia ratione interpolata proposita sunt, tum ut veram auctoris sententiam introspiciamus, ad fontes, unde hausta sunt, recurrere oportet. Hac regula maxime in interpretandis Decretalibus in Gregorii IX. codicem relatis uti debemus

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mus (a). Scilicet non integras Decretales nobis proposuit Raymundus, sed aliquando quum vellet superflua resecare, ea detraxit, quæ maxime ad Decretalium faciebant intelligentiam. Quum vero fundus collectionis Gregorianæ sint quinque illæ collectiones Decretalium, quæ ante Gregorium exstabant, nisi instituta collatione cum integris Decretalibus in iis compilationibus exstantibus, sæpe Gregorianæ non intelliguntur. Quinimmo sæpe non sufficit antiquas collectiones consulere; sed recurrendum ad autographa, unde antecedentes collectores fragmenta desumpserunt sua. Dum autographa consulimus antecedentia & consequentia veluti quædam faces sunt, unde fragmentis inde depromptis lumen adfulgeat. Hac in re jurisconsultis feliciores sunt canonistæ, qui fere semper ad fontes possunt recurrere, quod illis negatum, quum præter pauca eaque interpolata jurisconsultorum monumenta; nihil habeant extra libros pandectarum. Meliores Decretalium interpretes Cujacius, Florens, Janus a Costa aliique consultatione autographorum plurima explicuerunt, quæ ut apud Gregorium erant proposita, vix poterant intelligi. Nec alia ratione Ant. Contius & Franc. Pegna Hispanus Raymundi detractiones, quas *partes decisas* vocant, ad calcem singulorum capitulorum subjunxerunt. Laudandi Contii & Pegnæ labores, sed non omnium detractionum recensionem tradiderunt. Quin supplementa ad ipsius Gregorii constitutiones non potuerunt instituere, quum præter comprehensa in Decretalibus, ex iis nihil reliquum habeamus.

INS-

(a) V. Florent. in orat. de recta jur. can. discendi ratione.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS I.

De personis ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Ecclesia.

§. II. Personarum varios status, qui sunt in Ecclesia, quinimmo integram juris canonici structuram, tum recte cognoscemus, quum ipsius Ecclesiæ naturam cognitam & perspectam habeamus. Inde enim, veluti ex fonte rivuli, hierarchiæ ecclesiasticæ constitutio & permulta juris canonici capita dimanant. Unde sub initium Ecclesiæ tractationem, saltem per summa capita, præmittendam duxi, miratusque sæpe sum, nostros canonistas, posthabita Ecclesiæ tractatione, quasi a sacris Canonibus aliena, rem canonicam proposuisse. *Ecclesia* Græcum nomen est, & si verbo verbum reddas, latine dicitur *evocatio* Præsertim ejus vocis usus fuit in Græcorum democratiis, in quibus populi conventus ad res publicas tractandas evocati, Ecclesiæ dicebantur: erantque hujusmodi Ecclesiæ vel *legitimæ*, vel *indictæ*, quarum illæ statis recurrebant temporibus, hæ pro re nata cogebantur (*a*). A Græcis *Ecclesiæ* vox ad christianos derivata, frequenti ecclesiasticorum scriptorum usu designat *hominum cœtum, qui ejusdem christianæ fidei & eorundem Sacramentorum communione colligati, sub suis pastoribus ad vitam peregrinantur æternam.* Sic accepta *Ecclesia* pars est alterius majoris *Ecclesiæ*, quæ eos complectitur omnes, qui Dei beneficio præventi, & vocati, sub capite Christo Deo serviunt sive comprehensores sint, sive viatores. Nostro instituto inservit, quæ adhuc in terris militat, Ecclesia, unde de ea tantum deinceps agemus.

Ecclesiæ caput Christus est.

§. II. Christiana isthæc Ecclesia ordine suo constat, & ex capite & membris conflata, verum corpus morale constituit. Ecclesiæ caput Christus est: reconciliaturus enim homines Deo Patri, humanam induit naturam, & omnibus ad adgnitionem veritatis vo-

ca-

(*a*) Ziegler. de dot. Eccles. cap. I. §. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

catis, ex iis, qui vocati secuti sunt, sibi collegit & instituit Ecclesiam, quam exemplo & prædicatione sua instructam ad vitam præparavit æternam. Quapropter verum & principale Ecclesiæ caput Christus est, quod Paulus toties expressit (*a*); eoque a cæteris societatibus distat Ecclesia, quod in his ille plerumque caput est, quem cæteri sibi constituunt, aut in constituenda societate lege publica in antecessum designarunt; Ecclesia vero a membris caput non recognoscit, sed a capite ducit originem. Unde qua ratione caput humani corporis cæteris membris vim communicat, & succum in palmites suos vitis transfundit; ita Christus Ecclesiæ suæ membra nutrit, auget, vivificat (*b*). Nec quod mortuus est, sedetque ad dexteram Patris, corporis sui caput esse desiit. Nam præterquam quod usque ad sæculi consummationem cum Ecclesia esse promiserit (*c*); inde in eam dona sancti Spiritus effundit, gubernat, protegit, vivificat, & ut duret æternum, quam maxime curat.

Ecclesiæ membra efficit Baptismus.

§. III. Jam sub hoc capite Christo ii tantum Ecclesiæ membra reputantur, qui per ipsum Christum præscriptis donantur conditionibus. Ecclesia enim a capite originem ducit: ut proinde, qui in ea partem habere cupit, Christi mandatis pareat, oportet. Quo igitur capitis Christi membra simus, ante omnia necesse est, ut christianis sacris per aquam initiemur. Etenim in Ecclesiam suam tantum per aquam Christus aditum patere voluit (*d*). Hinc eleganter Tertullianus christianos *pisciculos* appellavit, quod essent in christianam religionem per aquam inserti, & Christus ipse technico nomine *ιχθὺς piscis* dicebatur (*e*). Fuerunt quidem nonnulli hæreticorum qui aquæ baptismum tanquam carnale institutum exploserunt, ejus loco phantasmata supponentes sua (*f*); at eos velut christianæ doctrinæ temeratores, objectis Christi Servatoris verbis, Ecclesia proscripsit. Aqua vero deficiente, baptismi defectum supplere potest sanguinis lotio pro Christo tolerata, & vero etiam baptismi desiderium. Unde factum, ut *catechumenos*, tanquam Ecclesiæ membra, veteres Patres Origenes, Eusebius & Hieronymus recenseant. Sed de baptismo alibi ex instituto.

Fides porro est necessaria, ut simus de Ecclesia.

§. IV. Porro ut in Ecclesia partem habeamus, necesse est, ut credamus in Christum. *Fides est*, ut ex Herma pastore obser-

va-

(*a*) Ad Ephes. I. 22. ad Colos. I. 18.
(*b*) Ad Colos. II. 19. Jo. XV. 1. seq.
(*c*) Matth. XXVIII. 20.
(*d*) Jo. III. 5., Matth. XXVIII. 19.
(*e*) Tertul. de Bapt. cap. I.
(*f*) Bingh. lib. XI. orig. Eccles. cap. 2.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

vavit Clemens Alexandrinus (*a*), *quæ Ecclesiam continet*. Et quidem qui fieri potest, ut quis Christi membrum habeatur, qui tamen ab ipsius doctrina dissentit? Num quis Platonicus dici potest, qui contraria sentit a Platone? Ipse Christus non alias administrari baptismum præcepit, quam si præcesserit fides. Nec, nisi ineptissime, fingi potest, doctrinam in Christum, quæ ad ingressum in Ecclesiam est necessaria, post ingressum non amplius requiri. Conditio enim est pertinens ad naturam unionis, ut membra omnia idem sentiant, unamque constituant voluntatem. Ex hac doctrina profluxit perantiqua Ecclesiæ praxis de non administrando baptismo, nisi post publicam & tertium repetitam fidei confessionem.

Fides non debet sejungi a charitate.

§. V. Quoniam vero fides vera esse nequit, quæ convenienter ad ea, quæ creduntur, non operatur, seu, ut loquitur Jacobus, *fides sine operibus mortua est*; patet, non aliter ad interiorem Ecclesiæ compagem, qui credunt, pertinere, quam si fides cum charitate conjungatur. Qui enim alias in Christum vivere possumus? Christus enim est, qui tanquam caput in membra corporis sui dona sancti Spiritus, quo vivant & crescant, infundit; in eis vero, qui charitate destituuntur, Christus non inhabitat (*b*). Hinc factum ut chatechumeni baptismum adituri etiam diabolo abrenuncient, & Christo adscribantur; qui abrenunciatione & adscriptione præceptorum Christi observantiam contineri notius est, quam ut demonstrari mereatur. Constans hæc semper fuit Ecclesiæ doctrina, quam ita firmiter tenuerunt Patres, ut aliquando a sola charitate integram metiantur Ecclesiam. *Non existimo*, inquit Augustinus (*c*), *quenquam ita desipere, ut credat ad Ecclesiæ pertinere unitatem eum, qui non habet charitatem.* Et Hieronymus (*d*), *qui peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christus subjectus dici.* Quapropter manifestæ calumniæ rei sunt, qui asserunt, catholicos docere Ecclesiam esse posse sine charitate (*e*).

Mali sunt in Ecclesia.

§. VI. Verum enimvero hoc ipso, quo ad Ecclesiæ structuram charitatem contendimus necessariam, homines nequam non ita abjicimus, ut nullam habeant in Ecclesia partem. Disertis sane constat Scripturarum testimoniis, malos ad Ecclesiam pertinere. Ut (I) ecce peccatores tum demum de Ecclesia non esse, ipse docuit Christus, quum post triplicem monitionem etiam perseverant contumaces (*f*). Por-

(*a*) Stromat. II.
(*b*) Jo. XV. 5.
(*c*) Lib. I. contr. Cresc. cap. 23.
(*d*) Comm. ad verb. cap. V. ad Ephes. *Ecclesia subjecta est Christo.*
(*e*) V. Nicolium de l' unité de l' eglise lib. I. cap. 1.
(*f*) Matth. XVIII. 17.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Porro (II) Christi Ecclesia agro, in quo triticum & zizania crescunt; & sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti (*a*); & ovili, in quo oves cum hædis concluduntur (*b*); aliisque rebus temporalibus, imperfectione laborantibus, in Evangelio assimilatur. Quin (III) Apostolus eas etiam *Ecclesias* vocat, quas ipse idem errore arguit depravatas (*c*). Inter Corinthios non una erat peccati species, sed plurimæ, neque levia erant errata, sed flagitia. Et tamen Apostolus Corinthios, ut Christi sanctam Ecclesiam adgnoscit & prædicant (*d*). Harum vero similiumque rationum tanta vis est, ut eas Jo. Franc. Buddeus, Lutheranus theologus (*e*), non alias potuerit declinare, quam distinguendo inter Ecclesiam universalem, & particulares: & in his malos esse concedit, ab illa penitus excludit. Sed quum Ecclesia universalis ex particularibus coalescat, malos ex particularibus Ecclesiis transfundi necesse est in universalem.

Sed sunt tamen membra mortua.

§. VII. Interest vero inter bonos, & malos, unde Dei Ecclesia coagmentatur. Ecclesia nempe corpus quoddam morale est, quod non secus ac humanum, suo modo anima & corpore constat. Anima Ecclesiæ in interioribus Spiritus sancti donis fide, spe, charitate consistit: corpus vero componunt ipsi christiani, quatenus externe fidem profitentur, & iisdem sacris communicant. Quapropter quotquot iisdem sacris communicant, boni, mali pertinent ad Ecclesiam, sed Christus in omnibus non inhabitat. Soli namque boni spiritu Christi vivificantur, & membra Ecclesiæ animata constituunt; mali vero sunt paleæ interiores; sunt in domo, sed nullo domus officio defunguntur; sunt membra corporis, sed in quæ spiritus Christi non operatur; tantum non sunt membra præcisa, per fidem adhuc corpori cohærentia, & quæ per charitatem possunt reviviscere. Hinc Cyprianus (*f*) locum quidem in Ecclesia facit peccatoribus, sed eos *zizania* dicit; Augustinus vero (*g*) comparat *malis* corporis *humoribus*, qui eo ipso, quo in corpore sunt, illud agravant potius, quam conservant, atque ita fit, ut mali sint in Ecclesia, nec tamen sit societas lucis ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial. Non enim mali spiritu Christi vivificantur, & sunt in Ecclesia, quemadmodum paleæ immixtæ tritico. Præclare Augustinus de improbis inquit (*h*). *Utrumque verum est, & ex nobis, & non ex nobis, secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis: secundum communionem Sacramentorum ex*

(*a*) Matth. XIII. 24 & 47.
(*b*) Matth. XXV. 32.
(*c*) Ad Galat. I. 2. 7.
(*d*) 1. ad Cor. I. 1.
(*e*) Lib. V. theolog. dog. cap. 3. §. 10.
(*f*) Epist. LI. ad confessores ex schismate reversos.
(*g*) Tract. III. in epist. Jo.
(*h*) Tract. LXI. in Jo.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis. Quod si quandoque Scripturæ & Patres Ecclesiam sine ruga & macula describunt; id fit ratione partis in toto præcellentis. Ut enim observat Melchior Canus, quum persæpe alias, tum magis quum de corporibus moralibus sermo est, quædam a parte insigniori de toto solent enuntiari, quæ partibus singulis non perinde conveniunt (*a*).

Ex Christo & christianis vera componitur societas.

§. VIII. Ex his autem baptizatis hominibus, veram Christi doctrinam profitentibus, & ipso Christo vera exsurgit societas, cujus caput est Christus, membra vero ipsi credentes. Corpora moralia coalescunt voluntatum unione, per quam unum idemque cuncti sentientes, unam moralem constituunt personam. Unio voluntatum christianorum fit per fidem, qua dum baptizantur, veluti palmites viti, Christo inseruntur (*b*). Quumque qui ita cum Christo, velut capite uniuntur, non possint quoque non inter se uniri; emergit sancta christianorum Ecclesia, cujus caput est Christus, corpus vero constituunt ipsi credentes. Ad rem Basilius, *vos autem Christi corpus estis, & membra ex parte; continente videlicet & cooptante ea alterum alteri ad concordiam capite uno ac singulari, qui est Christus* (*c*). Et Origenes longe ante Basilium, *dicimus ex auctoritate sacræ Scripturæ corpori Christi, quod est Ecclesia Dei, pro anima esse Dei filium, membra autem universi corporis esse quoscunque fideles* (*d*).

Finis Ecclesiæ æternæ vitæ consecutio.

§. IX. Hujus autem christianæ societatis finis est exercitium pietatis, & inde subsequens æternæ salutis consecutio. Deperditum in Adamo humanum genus pro sua bonitate & misericordia voluit Deus erigere & in spem revocare beatitudinis. Toties proinde promissum Patribus in Prophetis misit Filium suum, ut carne adsumpta humana, & sanguine effuso suo, pro hominum peccatis satisfaceret, omnesque ad beatitudinem vocaret. Ita vero Christus satisfecit, hominibusque æternam salutem promeruit, modo illi satisfactioni cooperantes, oblatum adprehenderent beneficium, novique fœderis leges implerent, quarum summa est professio evangelicæ doctrinæ & inde fluens vitæ sanctimonia. Hinc quo facilius homines satisfactionis meritum in seipsos derivarent, instituta per Christum est Ecclesia, in qua fide & bonis operibus seipsos exercentes, tandem optata potiantur beatitudine. Unde Ecclesiæ finis proximus est christianorum ædificatio, ultimus vero beatitudinis consecutio.

Me-

(*a*) Lib. IV. de loc. cap. ult.
(*b*) Jo. XV. 1. 2.
(*c*) Procem in lib. ethic., sive de judicio Dei.
(*d*) Lib. VI. contra Celsum.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Mediis sensibilibus Ecclesia exercetur.

§. X. Jam Christus in hac sua Ecclesia fundanda & exercenda humanæ se aptavit imbecillitati. Finem quidem spiritualem spectat Ecclesia; at, qui eam componunt, homines terreno corpori involuti, nisi per sensus non sapiunt. Est sane anima, potior pars hominis, spiritualis, sed per peccatum a dignitate veluti dejecta sua, tota a sensibus pendet, &, si supra sensus adsurgere conatur, vix est, ut in puris perseveret intellectionibus. Hinc homines, ut se ad Deum elevent, mediis indigent corporalibus, quæ eo ipso, quo in sensus incurrunt, eos, veluti per quandam analogiam erigant ad Deum. Hanc miseram hominum conditionem pernoscens Christus, pro nobis omnia veluti factus, sic Ecclesiam fundavit suam, ut mediis sensibilibus & humanæ imbecillitati accommodatis eam colligeret & exerceret. Instituit proinde *Sacramenta*, signa nempe sensibilia, quibus gratiam attexuit suam, ut ita per signa, quæ in sensus incurrunt, nos elevaret ad spiritualia, quæ per signa illa significantur: quod totidem verbis Patres, in primis Chrysostomus (*a*), docuerunt.

Christi Ecclesia visibilis est.

§. XI. Hactenus membra Ecclesiam componentia, ejus finem & ad finem instituta media recensuimus & indicavimus; reliquum modo est, ut totius hujus societatis affectiones inspiciamus, ea tamen moderatione, ut quæ tantum faciunt ad rem nostram, pertractemus. Et primum quidem illud despiciendum est, num Ecclesia visibilis, an invisibilis sit. Lutherani & Calviniani, ex solis justis Ecclesiam compingentes, eam deprædicant inconspicuam; tantasque tenebras ideo offuderunt, ne ab unitate Ecclesiæ catholicæ recessisse viderentur. Contra docent catholici omnes, Ecclesiam, quam ad hominum salutem Christus instituit, esse veluti civitatem supra montem, & tanquam lucernam supra candelabrum positam, quæ sub omnium cadit adspectum. Sane (I) ipse Christus manifeste demonstravit, conspicuam esse Ecclesiam suam, quum fratrem fraterna admonitione minime emendatum deferri jussit ad Ecclesiam (*b*). Quo enim ad fratres deferendos Christus christianos ablegasset, si Ecclesiam suam in obscuro posuisset? Ipsa (II) quoque Ecclesia nihil aliud est, quam hominum societas, quæ signis sensibilibus ad æternam salutem exercetur, unde visibilis sit, necesse est. Fieri enim nulla ratione potest, ut mediis sensibilibus Ecclesia exerceatur, & interim ipsa sit invisibilis. Porro (III) quum in Christo partem nemo possit habere, nisi habeat Ecclesiam matrem (*c*), necesse omnino est, Ecclesiam esse visibilem, ut certi simus nos ad Ecclesiam pertinere. Misera pro-

(*a*) Hom. LXXXII. in Matth.
(*b*) Matth. XVIII. 17.
(*c*) August. de unit. Eccles. cap. XIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

profecto esset christianorum conditio, nisi externis signis, certi esse possent, se matrem habere Ecclesiam. *Nulla est securitas*, inquit Augustinus (*a*), *unitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ supra montem constituta, abscondi non potest: & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.* Visibilem (IV) quoque habuerunt Ecclesiam primi christiani, qui de legalibus veteris testamenti Antiochiæ exorta controversia, adscenderunt Hierosolymam, ut eam in omnium conventu terminarent (*b*). Sunt vero hæ rationes tanti ponderis, ut coacti tandem potestatem (*c*) distinguant inter Ecclesiam *internam* & *externam*, quarum illam dicunt cœtum vere credentium, hanc vero congregationem christianorum, in qua verbum divinum docetur, & Sacramenta administrantur. Sed hæc distinctio merum effugium est, ne victi cum catholicis Ecclesiam visibilem admittant. Etenim vera Ecclesia illa est, in qua homines in alteram vitam exercentur: quod tantum in externa obtinetur Ecclesia.

Et ad sæculi durabit consummationem.

§. XII. Sub adspectum cadens christiana isthæc Ecclesia usque ad sæculi durabit consummationem, in quo distat Ecclesia ab aliis societatibus, quæ mediis humanis in totum suffultæ, post multas vicissitudines tandem fatiscunt. Redemtionis beneficium non unius, aut alterius sæculi, sed omnibus hominibus Christus promeruit. Quumque nisi mediis sensibilibus, quibus Ecclesia exercetur, & dilatatur, meritum Christi non imputetur, ut redemtionis beneficium omnes adprehendant, usque ad sæculi consummationem durabit Ecclesia, idque ex ipsius Christi promissione, qui Ecclesiam supra petram ædificans, adversus eam portas inferi noluit prævalere (*d*); & cum ea usque ad sæculi consummationem esse promisit (*e*). Hinc quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii & Ecclesiæ ædificationem, donec in unitatem fidei & adgnitionem Filii Dei omnes occurramus (*f*). Et quamvis subinde tempora inciderint, quibus Ecclesia malis christianorum moribus, præsertim vero ministrorum, obscurata fuerit; semen tamen, quod est verbum divinum, & Sacramenta semper in ea perdurarunt; quod demonstrat Ecclesiam nunquam defecisse.

Ecclesia est societas inæqualis.

§. XIII. Jam vero quum humanæ omnes societatis æquales, vel inæquales sint; merito videndum, quam societates speciem præferat Ec-

(*a*) Lib. III. contra espist. Parmen. cap. 5.
(*b*) Actor. XV. 2.
(*c*) Buddeus lib. V. instit. theolog. dogm. 3. §. 14.
(*d*) Matth. XVI 18.
(*e*) Matth. XXVIII. 20.
(*f*) Ad Ephes. IV. 11. seq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Ecclesia. Spectat inquisitio ista fideles, qui membra Ecclesiæ constituunt, non Christum, non ratione capitis Christi dubio procul Ecclesia societas est inæqualis. Ecclesiæ æqualitatem magnis animis tuentur, qui a Romanis sacris desciverunt, in primis Pusendorfius, Salmasius, Blondellus, Huberus, Bohemerus & Jo. Franc. Buddeus. Et quamvis fere admittant protestantes *ecclesiasticum ministerium* divina institutum auctoritate; ejus tamen potestatem omni coactione destitutam, tantum ministerio verbi & Sacramentorum administratione coercent. Contra catholici omnes Ecclesiam divina institutione inæqualem profitentur, atque adeo imperio sacro donatam, ut in refractarios animadvertat. Res eo tota redit, ut statuatur, num Christus aliquos statuerit, qui spirituali donati jurisdictione, Ecclesiæ præessent, quique regulas, quum esset opus, conderent, judicarent, & in sontes animadverterent. Principio (I) disertis constat Pauli verbis, regimen Ecclesiæ Episcopis per Spiritum sanctum fuisse demandatum (*a*). Quum vero regimen legislatione & coactione destitutum nullius usus sit; patet, divina institutione positos esse, qui cum legislatione & convenienti imperio Ecclesiam gubernent. Porro (II) Apostolos Canones Ecclesiis præscripsisse, acta & Apostolorum epistolæ tertio quoque verbo demonstrant. Qui igitur si Apostoli aliis christianis essent æquales, poterant de rebus sacris leges statuere? Nec minus (III) ex obedientia & subjectione, quam Christus adversus præpositos imperat (*b*), intelligimus præpositos Ecclesiarum sacro imperio fuisse donatos. Quod vero caput (IV) rei est, argumentumque palmare pro Ecclesiæ inæqualitate suppeditat, Apostolis eorumque in apostolatu successoribus ligandi, atque solvendi fecit Christus potestatem (*c*): quæ duo ei magistratuum potestati respondent, quæ absolvunt, damnant pœnisque coercent. Unde quum sint in Ecclesia, qui ex Christi mandato absolvunt, & damnant, patet Ecclesiam esse societatem inæqualem. Nec enim judiciaria absolvendi, & damnandi potestas, inter æquales intelligi potest. Quod si negotia omnia ecclesiastica olim in conventu fidelium tractata & expedita sint; id non ex eo factum, quod Ecclesia societas esset æqualis; sed ut æquius melius omnia tractarentur; videnturque potius in conventu, quam coventus auctoritate negotia definita, quod ex Apostolo (*d*) & Cypriano (*e*) non obscure intelligitur.

Potestas ecclesiastica tota est spiritualis.

§. XIV. Verum enimvero potestas isthæc, qua per Christum Ecclesia donata, Canones sancit, judicat, solvit, ac damnat, nihil

(*a*) Act. XX. 28.
(*b*) Luc. X. 16.
(*c*) Matth. XVIII. 15. seq.
(*d*) 1. ad Cor. V. 3. seqq.
(*e*) Ep. LVII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

hil commune habet cum civili jurisdictione; sed tota spiritualis est, ad animorum tantum tendens medicinam. Ex societatum finibus, imperia, quæ eas regunt & moderantur, metiri oportet. Qui in civitatem coalescunt, præsentis tantum vitæ commoda spectant & securitatem: qui vero coalescunt in Ecclesiam, alterius vitæ, quæ tota spiritualis est, intendunt consecutionem. Quapropter civile imperium temporale est, terrorem in corpus injiciens, & per equuleos, ungues, ferrum, laqueos, carnifices explicatur ecclesiastica vero potestas, tota spiritualis, animum, non corpus habens pro objecto. Hinc Canones & judicia ecclesiastica sunt de rebus spiritualibus, & pœnæ ejus naturæ sunt, ut animam, non corpus afficiant. Talis est excommunicatio, per quam extra fidelium communionem projecti contumaces, quousque rebelles perseverant, extra spem æternæ salutis constituuntur. Ethnici & publicani loco haberi Christus jussit fratrem contumacem (*a*). Atque hic est Ecclesiæ *gladius spiritualis*, quemadmodum dixit Cyprianns (*b*), ejusque arma non sunt carnalia, *sed potentia Deo ad destructionem munitionum* (*c*). Quæ quum ita sint, si quandoque Scripturæ & Patres ab Ecclesia dominatum abjiciant (*d*), dubio procul de ea tantum dominationis specie loquuntur, qualem habent mundi reges.

Summus Pontifex & Episcopi sunt capita ministerialia.

§. XV. Inæqualitas isthæc Ecclesiæ facit, ut ex divina institutione sint, qui eam pascant & administrent. Pastores isti sunt Episcopi, qui Apostolis succedentes sub uno Pontifice Romano, qui in universam Ecclesiam obtinet *primatum*, in vinea Domini laborant. Hinc Episcopi suarum Ecclesiarum, summus vero Pontifex totius Ecclesiæ *capita* recte etiam dicuntur, sed alia prorsus ratione, qua corporis sui caput est Christus. Sane Christus verum & principale Ecclesiæ caput est, quod spiritum & animam in membra sui corporis infundit: Episcopi vero suarum Ecclesiarum, & summus Pontifex totius Ecclesiæ ea tantum ratione capita dicuntur, quatenus ministrant, mediaque tractant, quibus spiritum gratiæ suæ Christus attexuit. Nec enim virtus Episcoporum, quin ipsius Pontificis tanta est, ut tanquam principalia capita interiorem in membra, quo vivant, spiritum infundant. Sunt capita tantum *ministerialia*. Hinc Paulus *ministrum* se Ecclesiæ dixit (*e*), quasi qui *pro Christo legatione* fungeretur (*f*); media exhibens salutis, non internam vitam producens: *neque enim, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui in-*

(*a*) Matth. XVIII. 18.
(*b*) Epist. LXII. al, IV. ad Pompon.
(*c*) 2. ad. Cor. X. 3. & 4.
(*d*) Luc. XXII. 25. seqq.;
(*e*) Ad Colos. I. 25.
(*f*) 2. ad Cor. V. 20.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

incrementum dat, *Deus* (*a*). Quum vero ministerialia capita externa tantum ratione in Ecclesiam influant, patet cur iis mortuis Ecclesiæ esse non desinant (*b*).

Ecclesia est sancta, catholica, apostholica.

§. XVI. Jam hæc visibilis, æternum duratura & inæqualis Christi Ecclesia multis aliis donatur attributis, quorum quatuor ex ejus structura manantia, in antiquis symbolis reperiuntur expressa, & apud antiquos Patres passim occurrunt. Est ergo Ecclesia *sancta*, *catholica*, *apostholica*, *una*. Videtur Ecclesia talibus epithetis seipsam designasse, ut se distingueret a conventiculis hæreticorum, qui commune christianorum retinebant nomen, & apud se esse veram Ecclesiam impudenter gloriabantur. Hinc propria corporis Christi attributa exprimenda censuit, sibique sumere, ut eo ipso, quo hæreticos confunderet, se ipsam certis verisque characteribus distingueret. Ecclesia est *sancta* ob capitis sanctitatem & charitatem, quæ interiorem ejus efformant compagem. Sed fortasse, qui apostholico symbolo hoc caput addiderunt, respexerunt tantum ad membrorum Ecclesiæ sanctitatem, ut ita se opponerent hæreticis, quorum permulti erroribus libidinem aliaque vitæ flagitia conjungebant. *Apostholica* vero, quia ministerio Apostolorum per universum tum cognitum orbem propagata est, doctrinam profitetur apostholicam, & ministros habet non interrupta serie a Christo per Apostolos descendentes. *Catholica*, quia per universum diffunditur orbem, quam rationem de adjuncto *catholicæ* Optatus (*c*) & Augustinus (*d*) reddiderunt. Binis veluti verbis cur Ecclesia *sancta*, *apostholica*, *catholica* sit, indicavimus; sed de *unitate*, est quæ veluti totius juris canonici fundamentum, paulo uberius & distinctius disseramus, oportet.

Ecclesia est una.

§. XVII. Unitas corporum moralium ab unione pendet voluntatum, qua fit, ut omnes quotquot in societatem coalescunt, idem sentiant: convenitque inter politicos talia corpora, nisi pactis non posse coalescere. Unio enim diversarum voluntatum tantum obtinetur per consensum. Quum vero christiani omnes idem credant, & secundum eadem præcepta vitam instituant, quæ duo antequam christianis sacris initientur, disserte promittunt, manifesto consequitur unam esse Ecclesiam. Unum porro est Ecclesiæ caput, eadem Sacramenta, eadem gratia & charitas, quibus membra vivificantur. *Unum corpus, & unus spiritus.....Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, inquit Apostolus (*e*). Quin quæcumque unitas in aliis societatibus in-

ve-

(*a*) 1. ad Cor. III. 7.
(*b*) Bellarm. de Concil. auctor. lib. II. cap. 19.
(*c*) Lib II.
(*d*) Serm. XLVI. de pastoribus.
(*e*) Ad Ephes. IV. 4. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

veniatur, semper major reperitur in Ecclesia, adeo ut, qui eam componunt, christiani *fratres* nominentur: quæ unitas magis sub turbis publicis eluxit, quando christiani *mutua confœderatione* inducta, *Sacramento* seipsos de delictis vitandis adstringebant, ut testantur Plinius II. (*a*) & Tertullianus (*b*).

Ecclesia dividitur in universalem, & particulares.

§. XVIII. Hæc autem una Christi Ecclesia duplici ratione spectari potest, quatenus per orbem universum diffusa, & Ecclesia exurgit *universalis*, & quatenus certis locis reperitur inclusa, & tot *particulares* exsistunt Ecclesiæ, quod sunt cœtus christianorum. Sæpe cum hac distintione de Ecclesia veteres loquuntur, nec difficile est ex contextu eorum mentem intelligere, prout nullo, aut certis locis Ecclesiam includunt. Ita Ecclesiam universalem κατ' ἐξοχὴν *Ecclesiam* & *Ecclesiam Dei*, vel *Christi* appellant: quum vero dicunt in multitudinis numero *Ecclesias*, vel *Ecclesiam Hierosolymitanam*, *Corinthiacam*, *Thessalonicensem*, manifestum est, Ecclesias intelligi particulares.

Unitas *Ecclesiarum particularium.*

§. XIX. Jam quælibet particularis Ecclesia est *plebs Sacerdoti suo adunata, & pastori suo grex adhærens*, quemadmodum definit Cyprianus (*c*). Quo igitur una exsurgat Ecclesia particularis, duo in primis sunt necessaria, ejusdem nempe fidei professio & obedientia adversus eum, qui pastor est constitutus. Et sane qui fieri potest, ut simul conveniant, qui in doctrina abeunt in diversa? Et nisi unus præsit, cæteri obediant, in contrarias partes scinditur Ecclesia, turbatur voluntatum conspiratio, nova dogmata & hæreses inducuntur. Ad hanc certe adversus unum pastorem obedientiam spectabat Ignatius Martyr, quum in epistolis suis sæpe illud inculcat Ecclesiis, ut sine Episcopo & Presbyterio nihil quidquam agant (*d*). Præclare Cyprianus (*e*), *Neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Spectatur etiam dependentia gregis a pastore suo in unitate divini cultus, quæ requirit, in communibus precibus & verbi & Sacramentorum administratione quotquot Ecclesiam componunt, cum pastore conveniant. Nec enim alias grex pastori adhæret suo. Distant vero ab unione ad cultum Dei publicum fides & proprie sic dicta obedientia: nam hæc duo ita ad naturam Ecclesiarum particularium requiruntur, ut nulla

(*a*) Lib. X. ep. 97.
(*b*) Apolog. cap. II.
(*c*) Epist. LXIX.
(*d*) Epist. ad Ephes. n. II., epist. ad Trall. n. VII.
(*e*) Epist. LV. al. LIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

la in re licitum sit, aut fidem abnegare, aut a Sacerdote Dei moliri separationes; illa vero ex justis causis non servata unionem non abrumpit.

Ecclesiæ particulares conjunctæ formant universalem.

§. XX. Omnes autem particulares Ecclesiæ harmonica & mystica communione inter se conjunguntur, & unam efformant universalem Ecclesiam. Naturæ corporis moralis certe non repugnat, ut plures minores societates in unam coalescant grandiorem. Nempe unitas corporis moralis exsurgit ex voluntatum unione, quæ ex consensione ad eunden finem & eadem media dimanat. Hinc quum omnes particulares Ecclesiæ ad eundem finem, qui est salus æterna, dirigantur, & iisdem utantur mediis; oriatur necesse est una universalis Ecclesia, in qua particulares Ecclesiæ veluti totidem membra considerantur. Quæ observatio adeo vera est, ut ad Ecclesiæ unitatem adstruendam Apostolus (*a*) exemplum adhibuerit corporis humani, quod licet ex multis membris coalescat, unum tamen est, quod omnia eodem dirigantur. Egregie Cyprianus: *Ecclesia, quæ catholica una est, scissa non est, neque divisa, sed est utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutine colligata* (*b*).

Harmonia inter Ecclesias particulares.

§. XXI. Ex hac Ecclesiarum particularium unione, mutua inter eas oritur conspiratio, qua fit, ut mutua commoda promoveat, & altera alteri præbeat auxilium. Hinc (I) omnia unius Ecclesiæ legalia acta ab omnibus aliis rata & firma sunt habenda, hactenus ut ab una Ecclesia ejectus & depositus, nullibi in communionem & ordinum functiones admitti debeat, donec sententia lata non fuerit revocata (*c*). Facit quoque (II) eadem inter Ecclesias conspiratio, ut Clerici, qui uni Ecclesiæ sunt addicti, nisi bona cum venia proprii Episcopi, inter clericos alterius Ecclesiæ referri prohibeantur (*d*). Inde (III) etiam fit, ut christiani peregrinantes, non alias in communionem in aliis Ecclesiis admittantur, nisi proprii Episcopi demonstrent testimonio, se propriæ Ecclesiæ habere communionem (*e*). Demum (IV) missis aliis inter Ecclesias vinculis, tum magis mutuam Ecclesiarum conspirationem spectare licet, quum fides & religio in discrimem adducitur, causa hæc est communis, quam proinde omnes pro viribus defendere tenentur. Si alias, tum præsertim locum habet sententia Cypriani, *Episcopatus unus est, cujus insolidum singuli partes tenent.*

Ex-

(*a*) 1. ad Cor. XII. 12.
(*b*) Epist. LXIX.
(*c*) Conc. Nicæn. Can. V., Antioch. Can. III & VI.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. XVI.. Can. XV. & XVI. apostol., Conc. Chalc. Can. XX
(*e*) Conc. Antioch. Can VII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Explicabantur per literas formatas.

§. XXII. Harmonia & unitas isthæc inter Ecclesias commercio literarum *canonicarum*, seu *formatarum* sarcta tecta servabatur. Hujusmodi literæ generatim ad tres classes referuntur, *communicatorias dimissorias*, *commendatitias*. *Communicatoriæ* iis, qui erant in Ecclesiæ communione, & nulla præfulgebant dignitate, dabantur, ut ad communionem in aliis Ecclesis admitterentur, & hospitalitatis jure gauderent. *Dimissoriæ* solis dabantur Clericis, qui ad aliam diœcesim domicilii figendi causa concedebant, quibus testabatur Episcopus se illos a nexu, quem cum Ecclesia sua in ordinatione contraxerant, solvisse. Sed quantum ad *commendatitias* non convenit inter Græcos & Latinos. Eas latini datas asserunt illustrioris conditiones hominibus, qui negotia Ecclesiarum tractaturi discedebant, quarum fide & auctoritate non solum in negotiis ab omnibus juvarentur, sed etiam lautius exciperentur. Contra commendatitias literas iis datas interpretes Græci Zonaras & Balsamon scribunt, quorum existimatio fuerat in quæstionem vocata, ut ita constaret pœnis esse solutos. Varietatem istam invexerant Concilii Chalcedonensis Patres, qui *commendatias* τοῖς ἔσιν ἐν ὑπολήψει dari voluerunt (*a*). Vox ὑπόληψις & malam suspicionem & bonam famam æque significat. In malam partem eam acceperunt Zonaras & Balsamon, & ex latinis Gentianus Hervetus: in bonan vero antiquus latinus interpres & Dionysius Exiguus. Sed magis est, ut latinorum versionem sequamur, utpote quam aptatam Ecclesiæ disciplinæ illi videbant; & deinde causa non suberat, cur Ecclesia lautius tractare criminum suspectos; quam in communione sua perseverantes. Hujusmodi autem omnes literæ *formatæ* dicebantur, quod peculiari forma & signis, ne qua fraus irreperet, erant inscriptæ, videnturque ad formam teserarum, quibus gentes ad fovendam hospitalitatem utebantur, accessisse; quod Gregorius Nazianzenus (*b*) & Sozomenus (*c*) non obscure demonstrant. Commercio *formatarum* unitas Ecclesiæ fovebatur, nam quotquot extra Ecclesiam suam erant, vel ab Ecclesiis suis dimittebantur, earum beneficio in communionem, vel Canonem aliarum Ecclesiarum recipiebantur, quod ita eleganter Optatus expressit: *totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*. Nostris moribus non adeo literæ *formatæ* frequentantur: quod inductis mendicantium familiis, perfecta unitas inter pastorem & gregem nonnihil dissoluta est. De literis *formatis* scripserunt Philippus Priorius & Cabassutius, prorsusque egregia sunt quæ de iis commentatur Albaspinæus (*d*).

Cen-

(*a*) Can. XI.
(*b*) Orat. I. advers. julian.
(*c*) Lib. VI. Hist. eccles. cap. 16.
(*d*) Not. in Can. XI. Calc.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Centrum unitatis est Ecclesia Romana.

§. XXIII. Hæ autem omnes particulares Ecclesiæ, mutuis fœderibus inter se connexæ & colligatæ, veluti totidem radii, ad Ecclesiam conspirant Romanam, quæ est centrum totius ecclesiasticæ unitatis. Et sane Christus unam Ecclesiam constituere intendens, Petro, ac ejus in Romana Ecclesia successoribus primatum inter Apostolos concessit, ut ita capite constituto, magis exprimeret unitatem. Supra Petrum, tanquam firmam *petram*, voluit Christus suam ædificatam Ecclesiam, ut integrum ædificium ab eo uno penderet fundamento. Asserit de Ecclesia Romana Irenæus, ad eam propter *potentiorem principalitatem* debere *omnem convenire Ecclesiam* (*a*). Et Cyprianus (*b*), *hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædiți & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Et Hieronymus scribens ad Damasum, eos esse de Ecclesiæ unitate docet, qui cathedræ Petri communione junguntur, *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Quæ quum ita sint, ipsius Christi institutioni adversantur, quotquot ad Ecclesiæ catholicæ unitatem caput visibile docent non necessarium.

Christiana Ecclesia a republica diversa.

§. XXIV. Jam christiana isthæc Ecclesia quamvis in republica nata sit, & fere iisdem, quibus respublica, hominibus constet, societas tamen est ab ea omnino diversa. Spectat enim a republica finem diversum, alterius nempe vitæ consecutionem. Per se igitur subsistit Ecclesia, nec quo sit & perseveret, reipublicæ indiget auxilio. Hoc distat Ecclesia a cæteris collegiis, quæ sunt in civitate, quod hæc, non vero illa, a civitate suam mutuantur *subsistentiam.* Cujus differentiæ rationem diversus collegiorum & Ecclesiæ finis suppeditat. Collegia eundem, quem civitas, spectant finem, præsentis nempe vitæ commoda; Ecclesia vero intendit culturam pietatis & alterius vitæ consecutionem. Quapropter laborante civitate collegia laborent, necesse est; Ecclesia vero inter ipsas publicas turbas & persecutiones subsistit, quin & florere potest. Nunquam sic floruit status christianorum, quam primis tribus sæculis, quando ad Ecclesiam exstirpandam armato milite tota Romanorum potentia desudavit. Quo magis in christianos ethnici sæviebant, eo magis in virtutibus, &, quod mireris, in numero filiorum Ecclesia profecit. Semen erat sanguis christianorum. Atque hunc fuisse flo-

(*a*) Lib. III. advers. hæres. cap. 3.
(*b*) Lib de unit. Ecclesiæ.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

florentem Ecclesiæ statum, passim antiqui Patres, in primis Hieronymus (*a*) & Chrysostomus (*b*), adgnoscunt.

Sed per publicam adprobationem cumulatur prærogativis.

§. XXV. Quamvis autem, ut Ecclesia sit & conservetur, reipublicæ auxilio opus non sit; per publicam tamen adprobationem plures consequitur prærogativas, quæ eam ornatiorem & potentiorem reddunt. Et primum (I) quidem quæ uniones per publicas leges erant reprobatæ, ac proinde noctu & clanculum fiebant; publica accedente adprobatione, non tantum majori pompa celebrantur, verum etiam loca ad eas habendas destinata, augustius extruuntur & liberius frequentantur. Porro (II) per publicam adprobationem Ecclesia non secus ac alia probata collegia, personam induit in civitate, & libero juris communis fruitur exercitio. Ita, ut exemplo hoc illustrem, Ecclesia ante Constantinum, quod corpus habebatur illicitum, capere ex testamento nec legata poterat, quæ, juris veteris tantisper subtilitate temperata, alia collegia capiebant (*c*). At cum publica adprobatione id etiam accessit Ecclesiæ, ut cuique liceret ex rebus suis, quod optaverit, Ecclesiæ relinquere (*d*). Publica (III) quoque accedente adprobatione præ aliis universitatibus summi imperantes Ecclesiam coluerunt, variisque privilegiis & prærogativis ornarunt, adeo ut nullum corpus reperiatur in civitate, quod majoribus donetur prærogativis. Et decebat quidem in Ecclesiam, quæ ipsius reipublicæ fundamentum est, & æternam civibus procurat felicitatem, summus imperantes esse liberaliores.

Et auxilium implorat a potestate sæculari.

§. XXVI. Per publicam adprobationem porro (IV) validior redditur Ecclesia, quum in sui auxilium libere potest advocare civilem potestatem. Scilicet imperio temporali destituitur Ecclesia, pœnisque tantum coercet spiritualibus. Quapropter sæpe contingit, ut nomine tenus christiani ecclesiastica judicia & spiritualem gladium parvi faciant. In his casibus advocatione & auxilio civilis potestatis Ecclesia utitur contra contumaces, ut ita qui matrem advocantem non intelligunt, eam metu externæ potentiæ & pœnarum temporalium adgnoscere cogantur. Tam solemne Ecclesiæ fuit civilem potestatem in sui auxilium implorare, ut ejus rei exempla sub ethnicis principibus inveniantur (*e*) Sed nihil frequentius hoc externo auxilio postquam christianam religionem professi sunt Imperatores. Quin plura exstant Conciliorum decreta, quibus in constantem regulam abiit, per *externam potentiam* esse castigandos, qui in Ecclesiam

(*a*) In vita Malchi.
(*b*) Lib. advers. Gentil.
(*c*) Lib. XX. de reb. dub.
(*d*) L. I. C. de SS. Eccles.
(*e*) Euseb. lib. VII. cap. 30.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

siam sunt contumaces (*a*). Sæcularis vero potestatis, ejus implorato auxilio, partes sunt per disciplinæ terrorem implere, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem. Et ita civiles potestates Deo serviunt, qui iis tuendam suam demandavit Ecclesiam.

Ad reorum conversionem.

§. XXVII. Verum enimvero hac externæ potentiæ imploratione unice reorum conversionem spectavit, & vero etiam spectat Ecclesia. Non admittit quidem religio coactionem, tantumque a mentis persuasione & intimo divini numinis lumine dependet. Unde sub initium nec contra Donatistas, qui a violentiis abstinebant, externam potentiam advocandam multi Episcopi cum Augustino sentiebant, ne falsos & simulatos filios pararent Ecclesiæ (*b*). Verum hac summa ratione non obstante, non alienum a mansuetudine sua duxit Ecclesia, moderatas contra rebelles filios implorare coactiones, ut eos hac ratione ad conversionem excitaret. Et sane experientia constat, multos inter angustias & afflictiones bonam mentem induisse, frugique factos esse, idque quod malis veluti excitati, in suam agendi rationem inquisierint, eamque nullo suffultam invenerint fundamento. Ita contigit cum Donatistis, quorum permulti post publicatam contra eos Honorii legem (*c*), qua pœna decem librarum auri plectebantur, nullam rationem invenientes, cur tantam sustinere pœnam deberent, ad catholicam Ecclesiam, teste Augustino (*d*), redierunt. Quapropter officii plane sui esse intellexit Ecclesia, post canonica & spiritualia remedia, armatam & violentam rebellibus filiis procurare medicinam, ut ita pro resipiscentia & conversione christianorum nihil relinqueret intentatum.

Non ad mortem inferendam.

§. XXVIII. Quæ cum ita sint, auxilium externæ potentiæ ab Ecclesia imploratum, non eo spectavit, ut christiani rebelles morte punirentur, sed ut moderatis coactionibus eos excitaret, & ad bonam frugem reduceret. Repugnat Ecclesiæ fini ad mortem sævire. Ejus est dispersas oves Deo lucrari, ac proinde potius spatium ad pœnitentiam & conversionem reis deprecari, quam eorum accelerata morte, spem omnino amputare conversionis. *Nullis bonis in catholica* (Ecclesia) *hoc placet*, inquit Augustinus (*e*), *si usque ad mortem in quemquam licet hæreticum, sæviatur*. Alia est causa provinciæ, alia Ecclesiæ. Illius non sine sanguinis effusione est gerenda administratio, hujus vero clementer est commendanda mansuetudo (*f*). Tempo-

(*a*) Can. V. Conc. Antioch., Can. XLVIII. & LIII. cod. Afric.
(*b*) August. epist. L. ad Bonif.
(*c*) Lib. XL. C. Th. de hæret.
(*d*) Epist. L. ad Bonif.
(*e*) Lib. III. contra Crescon. cap. 10.
(*f*) August. epist. CLX. ad Apringium.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

pore Augustini adeo a sanguinis effusione Episcopi abhorrebant, ut a suis inimicis mallent occidi, quam eos occidendos magistratibus deferre (*a*). Quod si olim ob causas ecclesiasticas reos capite quandoque damnarint magistratus, aut leges pœnam mortis in hæreticos inferentes jusserint Imperatores, facta hæc sunt insciis & numine probantibus Episcopis. Vix ullum ante Priscillianum hæreticum invenias, instigantibus Episcopis, ad ultimum supplicium cum suis asseclis fuisse damnatum. Quod omnibus bonis, qui alias contra Priscillianum faciebant, displicuit, præsertim vero Martino Turonensi, qui seipsum ab Episcopis sejunxit sanguinariis, ut narrat Sulpicius Severus (*b*). Verum temporis lapsu diceres pristinæ mansuetudinis Episcopos oblitos, adeo ut ipsi occidendos, quin etiam cremandos traderent hæreticos.

CAPUT II.

De variis christianorum ordinibus.

Summa christianorum divisio in clericos & laicos.

§. I. Christiani omnes, qui Ecclesiæ corpus constituunt, pro varia, qua eos consideramus, ratione, varios ordines formant. Summam vero eos distinguendi rationem Ecclesiæ inæqualitas suppeditat, quæ ex mandato Christi inducta, facit, ut alii præsint, alii subsint. Quapropter Ecclesiæ corpus in duos dispescitur ordines, *clericos* scilicet & *laicos*. Non absimilis partitio in Romanis locum habebat civitatibus, quæ *ordine* & *plebe* constabant. Et *ordo* quidem duumviros aliosque magistratus & decuriones comprehendebat: *plebs* vero reliquum designabat populum. Antiqui Ecclesiæ Patres reipsa eandem inter clericos & laicos proponunt partitionem, quamvis verbis plures ordines videantur recensere. Et Eusebius (*c*) quidem in tres ordines universum Ecclesiæ corpus dispescit, *præfectis*, *fideles*, *catechumenos*: Hieronymus (*d*) vero in quinque, *episcopos*, *presbyteros*, *diaconos*, *fideles*, *catechumenos*. Sed tam Eusebius, quam Hieronymus ex uno laicorum duos faciunt ordines, Hieronymus vero clerum in tres ordines partitur.

Laici *ministerio Ecclesiæ non addicti.*

§. II. Laici a sacris remoti, audiant in rebus religionis Clericos oportet; & tanquam Ecclesiæ plebs considerantur. Unde *laici* dicti sunt a verbo greco λαὸς *plebs*, quasi plebem constituant Ecclesiæ, nul-

(*a*) August. epist. CXXVII. ad Donatum.
(*b*) Hist. lib. II., & dialog. III. n. 15.
(*c*) Lib. VII. demonstr. evang. cap. 2.
(*d*) In jes. XIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nullo publico officio decorati. Nec enim amplius sonat verbum λαϊκὸς quam laicos non esse in officio, non notam quandam inurit servitutis. Hinc etiam dicti sunt *idiotæ*, quod vitam agerent in Ecclesia privatam, nulloque officio distinctam, sive docti essent, sive indocti. Etenim apud antiquos vox *idiota* non indoctum, sed tantum privatum denotat hominem, qui nullo munere distinguitur, ac proinde Clericis oppositum. Quo sensu vocem *idiotæ* interpretantibus Chrysostomo & Theodoreto ipse Apostolus adhibuit (*a*).

Clerici *vero*, *qui Ecclesiæ ministrant.*

§. III. Clerici vero sunt, qui aliquod publicum munus gerunt in Ecclesia, sive præsint, sive ministrent; seu, ut definit Constantinus M., *qui divino cultui ministeria religionis impendunt* (*b*). Vocati vero fuerunt *Clerici* a verbo Græco κλῆρος Est autem κλῆρος proprie sors; sed eleganti translatione denotat etiam agri portiones militibus & privatis in divisione territorii tributas, & vero etiam partes hæreditarias coheredibus obvenientes, idque quod hujusmodi divisiones per sortem instituebantur (*c*). Opinatur Augustinus, Clericos dictos fuisse ab electione Matthias, qui sortitione fuit inter Apostolos cooptatus. *Cleros & Clericos*, inquit (*d*), *hinc appellatos puto, qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.* Inter recentiores Dodwellus existimavit, Clericis nomen inditum non sine respectu ad mores inter Judæos & Ethnicos usurpatos, quibus sorte sacri ministri eligebantur (*e*). Sed Hieronymus aliam nominis Clericorum dat rationem, *ministri Dei*, inquiens (*f*), *propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est*; quasi diceret, vel quod eos Deus ad ministerium eligat, vel quod ipse Deus se illis dat in partem & hæreditatem, non secus ac olim Sacerdotibus & Levitis, qui in divisione terræ Chanaan in tributum non venerunt, se dedit in partem & hæreditatem, qua decimas & primitias Deo reservatas, consecuti sunt. Ex his duabus Hieronymi originationibus secunda moribus potius Judaicis, quam Christianis convenit, præsertim quum in novo testamento lex nulla exstet decimarum; prima vero, quæ Clericos veluti Dei electos interpretatur, instituto Clericorum & notioni τὸ κλῆρος in novo testamento usurpatæ magis convenit. Sane in novo testamento Clerici iidem sunt ac electi, eoque nomine fideles omnes etiam laici indigitantur (*g*), quod omnes in adgnitionem veritatis selecti essent. Vi-

(*a*) 1. Cor. XIV. 16.
(*b*) L. XI. C. Th. de Episc. & Cler.
(*c*) Petrus de Marca dissert. de discrimine Clericorum & Laicorum cap. 5.
(*d*) In Psalm. LXVII.
(*e*) Dodwel diss. I. in Cyprian. n. 15.
(*f*) Epist. II. ad Nepotian.
(*g*) 1. Petri V. 3., ad Ephes. I. 11.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Videntur vero sacri scriptores nomine sortium electiones expressisse, ut electorum prærogativam designarent, quasi iis, nullis meritis donatis, veluti sorte contigisset, quod in populum Dei peculiarem & in adgnitionem veritatis selecti essent. Interim vero quia ex omnibus electis Clerici speciali ratione vocati sunt, iisque potiora christianæ religionis officia fuerunt demandata, usu scriptorum generalis vox ad nobiliorem speciem restricta est, idque vel a primis sæculis factum est; testatur enim Clemens Alexandrinus (*a*), Joannem Apostolum post obitum Domitiani ex insula Patmo reversum rogatum vicinas gentes etiam ob eum finem invisisse, *ut quos spiritus designabat, in clerum cooptaret.*

Clerici omnes olim etiam dicti canonici.

§. IV. In antiquis monumentis passim quoque Clerici *Canonici* appellantur. Concilium Laodicenum (*b*) per κανονικὰς ψαλτὰς *Clericos cantores* intelligit. Et apud Cirillum Hierosolymitanum κανονικῶν παρουσία est *Clericorum præsentia* (*c*). In Conciliis quoque Nicæno & Antiocheno per τὰς ἐν κανόνι *Clerici* designantur (*d*). Et in Concilio Arverno an. IↃXXXV. (*e*) *Canonici* Ecclesiæ cathedralis & Ecclesiarum parochialium non alii sunt, quam *Clerici* earum ministerio mancipati. Profluxit vero hæc alia Clericorum appellatio a *canone*, quæ vox etiam cujusque Ecclesiæ codicillum significat, in quo omnium Clericorum nomina scripta erant. Eum Canonem Apostolis vulgo Canones tributi appellant κατάλογον τῶν κληρικῶν, *catalogum Clericorum* (*f*): Concilium vero Antiochenum ἅγιον κανόνα, *sanctam matriculam* (*g*). Quæ appellationes coincidunt cum latinis vocibus *albi* & *tabulæ Clericorum*, quarum primam Sidonius Apollinaris (*h*), alteram vero Augustinus usurpavit (*i*). Non igitur olim peculiaren in Ecclesia ordinem *Canonici* constituerunt, sed eo nomine ex æquo Clerici omnes censebantur. Sed sæculo VIII. & sequentibus institutis collegiis Canonicorum, qui ad regulam viverent, iis cessit commune hoc Clericorum nomen, qua de re in tractatu de Canonicis (*k*). Porro Clerici ab Ecclesia, cui deserviunt, etian dicuntur *ecclesiastici*; quo sensu ecclesiastici cæteris christianis opponuntur; nam alioquin vox *ecclesiastici* generaliter fideles omnes significat, quasi essent homines de Ecclesia. Et in hoc generali sensu apud Origenem, Eusebium, Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium aliosque ἄνδρες ἐκκλησιαστικοὶ, *viri*

(*a*) Hom. *Quis dives salvetur?* ap. Combefis.
(*b*) Conc. Laodic. Can. XV.
(*c*) Præfat. catech. n. III.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. XVI. seq., Conc. Antioch. Can. II. & VI.
(*e*) Conc. Arvern. Can. XV.
(*f*) Can. XIV.
(*g*) Can. I.
(*h*) Lib. VI. ep. 8.
(*i*) Hom. L. de divers.
(*k*) V. infra cap. XX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ri ecclesiastici usurpantur, & Ethnicis & Judæis opponuntur (*a*).

Clerici a laicis jure divino distincti.

§. V. His de nominibus Clericorum & Laicorum observatis, alius adsurgimus, ad ejus scilicet distinctionis originem. Mandato Christi servatoris Clericos a Laicis esse distinctos tam evidentibus demonstratur monumentis, ut mirum sit, qui dictitare potuerint Rigaltius, Salmasius & Seldenus, eam distinctionem ætate Apostolorum inauditam, sæculo tandem tertio, in quo Tertullianus & Cyprianus vixerunt, Clericorum ambitione invectam fuisse. Et sane (I) ea distinctio aperta est in verbis Pauli, *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (*b*). Nec minus evidenter Clericorum a Laicis distinctionem adstruit Petrus, Presbyteros exhortans, ut gregem Dei pascant, eique non coacte, sed spontanee provideant (*c*). Non adsunt quidem in his & similibus locis nomina Clericorum & Laicorum; at res ipsa adeo diserte proponitur; ut Clericorum & Laicorum appellationes non fecissent clariorem. Antiquissimam Patrum testimonia testatissimum etiam (II) faciunt, ætate Apostolorum distinctionem inter Clericos & Laicos obtinuisse. Refert Clemens Alexandrinus, Joannem Apostolum post obitum Domitiani ex Patmo insula Ephesum rediisse, & vicinas gentes rogatum invisisse, *partim in integras Ecclesias disponeret, & formaret, partim etiam, ut unumquemque eorum, quos spiritus designaret, in clerum cooptaret.* Et Ignatius Martyr, vir apostolicus, frequens in epistolis suis ab Episcopo, Presbyteris & Diaconis populum distinguit, eumque a presbyterio facit dependentem (*d*). Quæ Ignatii testimonia adeo evidentia sunt, ut non alia ratione potuerint declinari, quam tanquam apocryphis Ignatianis epistolis rejectis. Cui exceptioni ita a viris doctissimis Pearsonio, Usserio, Vossio, Natali Alexandro aliisque concursum est, ut nemo amplius de earum genuitate jure valeant dubitare. His accedat Tertullianus, qui adhuc in Ecclesia hæreticos sui temporis sugillat, quod mutabilia haberent sacerdotia. *Alius*, inquit (*d*), *hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras lector; hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera injungunt.* Hæc in hæreticos jacta criminatio manifeste supponit, in Ecclesia catholica divina institutione ecclesiastica munia fuisse, distincta alias parata hæreticorum fuisset responsio, se apostolicas imitari traditiones.

Chris-

(*a*) Confer. Vales. in Euseb. lib. II. cap. 25.
(*b*) Act. XX. 28.
(*c*) 1. Petri V. 2.
(*d*) Epist. ad Magnes. n. VI. & VII. epist. ad Trall. n. II., epist. ad Philad. n. VII.
(*e*) De præscript. cap. XLI.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Christianorum sacerdotium proprium & improprium.

§. VII. Quo vero tanti dogmatis veritas magis elucescat, & simul ratio distinctionis melius intelligatur, observandum, sacerdotium christianorum duplicis esse generis, unum laxioris ambitus, alterum vero proprie sic dictum, quod nobilioribus sacerdotii absolvitur proprietatibus. Sacerdotium laxioris ambitus potestate quodcunque munus religionis exsequendi continetur, hactenus ut omnia ecclesiastica munia tanquam hujus sacerdotii partes considerentur, & veluti varios gradus sacerdotii constituant. Quo sensu Optatus Diaconos *tertii ordinis Sacerdotes* appellavit. Ad hoc late sumptum sacerdotium pertinent sacrificia labiorum, hoc est laudes Deo fusæ, & cætera bona opera, quæ *sacrificiorum* nomine veniunt in scripturis (*a*). At præter hoc late fusum sacerdotium alterum speciale & proprium datur, cujus vis proprie se exserit circa Ecclesiæ gubernationem, & præsertim circa proprie sic dicta *sacrificia*, quæ in oblatione & immutatione victimæ consistunt. Hoc duplex sacerdotium ad christianos devenit ab Hebræis, apud quos eo ipso, quo erant Sacerdotes & Levitæ a reliquo populo distincti, toti populo sacerdotium communicatur (*b*).

Christiani omnes improprio donantur sacerdotio.

§. VIII. Jam quum jure divino Clericos a laicis distinctos asserimus, hoc tantum locum habet in vero & proprie sic dicto sacerdotio; nam ratione sacerdotii laxioris christiani omnes Sacerdotes & Clerici sumus. Et sane diserte Petrus (*c*) universum christianum populum sacerdotio condecorat; eum appellans *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam*: & Joannes (*d*) affirmat, fideles omnes per Christum *regnum* & *Sacerdotes* Deo esse constitutos. Generatim quidem loca ista scripturarum fidelibus omnibus sacerdotium communicant; sed de improprio sacerdotio esse accipienda tota christianæ religionis clamat œconomia, & exemplo demonstratur Judæorum, apud quos eo ipso, quo omnibus communicatum erat sacerdotium, ex divino mandato erant veri Sacerdotes a populo distincti. Ad rem Origenes (*e*): *si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ Sacerdos efficior.* Hanc autem sacerdotii speciem in Baptismo christiani consequuntur, ut docent antiqui Patres, inter quos Hieronymus diserte ait, laici sacerdotium esse Baptismum. Atque inde factum, ut inter Baptismi ri-

(*a*) Ad Hebr. XIII. 15.
(*b*) Exod. XIX. 6.
(*c*) 1. Petr. II. 9.
(*d*) Apocalyp. II. 6.
(*e*) Hom. IX. in cap. XVI. Levit.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ritus etiam chrismatis unctio adhiberetur, ut nempe christiani intelligerent, se eodem Sacramento, quo in filiorum Dei transibant adoptionem, regiæ quoque & sacerdotalis potestatis fieri participes. Vulgatum est enim apud Judæos, unde hunc chrismatis ritum accepit Ecclesia, & regnum & sacerdotium per chrismatis unctionem fuisse collata (*a*).

Explicantur verba Tertulliani de sacerdotio omnibus communi.

§. IX. Sic recte Petri & Joannis verba accepta, tantum abest, ut christianorum faveant æqualitati, ut potius eam omnino tollant & pessundent. Verum quo omnis cesset dubitatio, consistendum tantisper in memorandis Tertulliani verbis, quæ diserte christianum sacerdotium ex æquo omnibus vindicant, & inter *ordinem* & *plebem* differentiam Ecclesiæ tribuunt auctoritati. *Nonne*, inquit (*b*), *& laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus.* Scripsit quidem jam Montanista Tertullianus *exhortationem ad castitatem*; at sententiam de sacerdotio in omnibus æquali potius ex doctrina catholicorum, quam ex somniis proponere videtur Montanistarum: etenim ex sacerdotio omnibus communi, cujus lex aut castos, aut unius uxoris viros accipiebat, contra catholicos argumentatur, secundas nuptias esse rejiciendas. Quæ argumentatio, ut observat Petavius (*c*), manifeste supponit, ea de re inter partes convenisse, alioquin ex re non ab aliis agnita, cum aliis agens, non nisi stulte conclusisset. Proposuit quidem ex doctrina catholicorum Tertullianus sententiam de communi sacerdotio, verum non sine emphasi & exaggeratione. Jampridem observarunt viri doctissimi (*d*), hujus hominis scripta plena esse superjectionibus & exaggeratis sententiis; quæ si *κατὰ τὸ ῥητὸν ad verbum* accipiantur, putidas & absonas sententias complectuntur. Sane ea ingenii ferocia fuit Tertullianus, ut levissima quæque augeret, & exaggeraret, ut suis litaret Montanistis. Ut ecce ex lege uxorem fratris ducere prohibente (*e*), conclusit, christianam feminam, mortuo viro, nubere non posse, quod christiani omnes fratres sumus; atque ita si nuberet, fratris utique nuberet, quod facere erat interdictum (*f*). Vides quam intensus est hominis furor, ut *fratris* appellationem, qua omnes erant donati christiani, ad veram extollat fraternitatem, ut inde concluderet, nefas esse christiano viro secundis nuptiis innecti. Quapropter quæ ex catholicorum sententiis producit Tertullianus, rejectis exaggerationibus sunt accipienda, ut ita

(*a*) Petrus de Marca diss. de discrim. Cleric. & Laic. cap. II.
(*b*) Exhortat. ad castit. cap. VII.
(*c*) Diatr. de potest. consec. cap. II. post libros de ecclesiastica hierarchia.
(*d*) Petav. lib. III. de eccles. hierarc. cap. 3.
(*e*) Levit. XX. 21.
(*f*) Tertull. de monog.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ita veluti ad libellam reducantur. Assuetus igitur Tertullianus ad emphases & affines notiones confundendas, sententiam catholicorum de impropio sacerdotio omnibus communi ὑπερβολικῶς retulit, quasi ex æquo omnes essent Sacerdotes: quod patet ex eo, quod hoc promiscuum sacerdotium inculcat ex scripturis, quæ de sacerdotio laxioris ambitus sunt accipiendæ. Ad monogamiam, quam tuebatur Tertullianus, quam maxime faciebat, omnes ex æquo christianos esse Sacerdotes, ut inde adjecta lege sacerdotali, quæ aut castos, aut unius uxoris viros accipiebat, concluderet, christianos omnes monogamiæ lege teneri. Hinc non secus ac christianorum in Christo fraternitatem ad veram fraternitatem produxit; ita etiam improprium sacerdotium ad verum elevavit, ut utrinque de monogamia legem exsculperet. Hanc interpretationem ipse confirmat Tertullianus, ingenue confessus, se de sacerdotio omnibus promiscuo non sine emphasi & exaggerationibus proponere sententiam. *Quum extollimur*, inquit (*a*), *& inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Quum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus.* Non dissimili emphasi, seu potius confusione accipienda reliqua Tertulliani verba, quibus asseritur, inter ordinem & plebem Ecclesiæ auctoritate inductam differentiam. Nempe in sacerdotio generatim sumpto duo distinguere oportet, potestatem ipsam ministeria ecclesiastica obeundi, & modum & externam functionem, qua potestas exercetur. In primum illud Ecclesia nihil potest, sed unusquisque christianus pro mandata sibi potestate, pro parte, quam in sacerdotio habet, recte ministrat: alterum vero integrum subjacet Ecclesiæ potestati, cujus est methodum præscribere, ut pro dignitate sacerdotium in usum deducatur. Ita, ut baptismi exemplum adseram, sacerdotium baptizandi omnibus concreditum, facit, ut omnes possint baptizare; sed ut solemniter baptizetur, cæremonias & regulas quasdam Ecclesia præscripsit. Si quam igitur differentiam in causa sacerdotii inter ordinem & plebem Ecclesia constituit, spectat tantum ad ritus externos, non ad naturam sacerdotii, quæ est supra Ecclesiæ potestatem. At de more omnia miscens Tertullianus, differentiam per Ecclesiam tantum in solemnibus præscriptam, generaliter expressit, ut etiam vim ipsam apprehenderet sacerdotii. Non abhorret ab ingenio Tertulliani isthæc interpretatio. Sed dici etiam non sine ratione potest, Tertullianum differentiam inter ordinem, & plebem non ex sententia catholicorum, sed potius de proprio jecore proposuisse, tanquam sacerdotii laicorum consectarium. Quum enim videret in scripturis omnibus sacerdotium vindicari, nec distinguens de quo sacerdotio scripturæ loquebantur, tanquam necessarium consequens subjungit, auctoritate Ecclesiæ inter ordinem & plebem fuisse inductam dif-

(*a*) De monog.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ferentiam. Plura de distinctione inter Clericos & Laicos dabunt Petavius in libris *de ecclesiastica hierarchia*, & Petrus de Marca in dissert. *de discrimine Clericorum & Laicorum.*

Christiani alii sunt sæculares, *alii* ascetæ.

§. X. Differentia inter Clericos, & Laicos ab ecclesiastici regiminis forma profecta est; at ad pietatis exercitia relati fideles dividuntur in *sæculares* & *ascetas*. *Sæculares* sunt, qui christianam quidem profitentur religionem, sed non ita austeram ducunt vitam, ut ad perfectionis apicem contendant. Quapropter dicti sunt *sæculares* & *mundani*, non quod vitam agant secundum præcepta mundi; sed quod sæcularibus & mundanis curis involuti, quotidianum proficiendi propositum non sectentur. Nec enim christiana religio præcipit, ut possessionibus & mundo relictis, in montes & cavernas terræ secedamus, ut Deo liberius servire possimus. Contra *ascetæ* sunt, qui ad evangelica præcepta adjungunt, vitam duriorem, regidi evangelicæ virtutis Sacerdotes, sive Clerici sint, sive Laici. Unde dicti *ascetæ*, vocabulo a philosophis mutuato, apud quos, ut demonstrat Valesius, *ascesis* virtutis & abstinentiæ designabat exercitationem. Hinc tot sunt genera ascetarum, quot vitæ durioris exercitia. Sub ascetis etiam *monachi* comprehenduntur, quamvis monachi ad vitam contemplativam addant regulæ professionem: quum ascetæ privatum proficiendi institutum pro regula teneant. Quapropter ascetæ, & monachi, tanquam genus, & species distinguuntur, ita nempe ut institutum ascetarum monachos, non vero monachorum ordo asœtas complectatur.

Et porro alii justi, *alii* peccatores.

§. XI. His duabus Ecclesiæ partitionibus tertiam subjungemus, quæ christianos omnes in *justos & peccatores*; *bonos*, & *malos* partitur. *Justi* sunt, qui innocentiam in baptismo partam delictis non macularunt gravioribus, aut si macularint quidem, per pœnitentiam recuperarunt. Quapropter non solum idem credunt omnes; verum etiam ea charitate, quæ nunquam excidit, donati, spiritu Christi vivificantur, & spiritualem efformant Ecclesiam, de qua loquitur Augustinus (*a*), *hæc in bonis fidelibus est, & sanctis Dei servis ubique diffusis, & spirituali unitate devinctis in eadem communione Sacramentorum.* Peccatores vero, quos tanquam Ecclesiæ partem habemus, sunt, qui licet per humanitatem in crimina sunt lapsi graviora, parati tamen sunt ad ea laboriosis operibus eluenda, aut actu tolerant pœnitentiam. Unde peccatorum nomine non ii etiam veniunt, qui moniti, & rebelles extra communionem tanquam ethici & publicani projecti sunt.

CA-

(*a*) Lib. VII. de Baptis. cap. 21.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

CAPUT III.

De ecclesiastica hierarchia.

Hierarchiæ *vox a christianis sacris non abhorret.*

§. I. Nomine *hierarchiæ* intelligimus personarum ecclesiasticarum ordinem, Episcopis, Presbyteris & ministris constantem, cui jure divino regimen & ministerium Ecclesiæ commissum est. Lutherani & Calviniani, qui christianum sacerdotium tantum in ministrando posuerunt, omnique potestate spoliarunt, tanquam ad mundi pompam compositum *hierarchiæ* vocabulum traducunt: quin Germani Patribus Tridentinis, qui *hierarchiæ* vocem consecrarunt, objecerunt, eam esse sacris literis & antiquæ Ecclesiæ praxi incognitam, institutoque Christi & Apostolorum convenientius fuisse statuere *hierodiaconiam*, aut *hieroduliam* (*a*). Sed quum Christi sacerdotium ex divina institutione præter ministerium etiam imperium *spirituale* complectatur; non adeo ab ingenio Ecclesiæ, *hierarchiæ* vocabulum abhorret, quo ministerio adjuncta significetur spiritualis Pontificum potestas. Vocabula hanc in rem apta, aut merum ministerium aut meram spiritualem potestatem origine sua significabant: & ita utraque ad Ecclesiæ mentem exprimendam poterant adhiberi, modo id, in quo potestas vocum deficiebat, ex usu suppleretur. Sed vocem *hierarchiæ* videntur Tridentini Patres selegisse, ut erroribus occurrerent protestantium. Est quidem minus cognita antiquis Patribus vox *hierarquiæ* (auctor enim libri de *ecclesiastica hierarchia* hyperbolicus est, nec ante initium quinti sæculi scripsit: in quam sententiam ducibus Morino & Launojo passim eruditi conveniunt); at talia apud eos occurrunt, quæ ad *hierarchiæ* notionem proxime accedunt. Ita Ecclesiæ præposituram Origenes (*b*) & Chrysostomus (*c*) ecclesiasticam ἀρχήν; Episcopos vero Eusebius (*d*) & Chrysostomus (*e*) Ecclesiarum ἄρχοντας dixerunt, ut mittam Latinos, qui Episcopos Ecclesiæ *principes* & *præpositos* appellant.

Propriæ Episcopi & Presbyteri *notiones proponuntur.*

§. II. Hierarchia isthæc triplici ordine, Episcopis nempe Presbyteris, Diaconis a se invicem divina institutione distinctis, constat (*f*). Sunt *Episcopi* summi in Ecclesia Sacerdotes, qui Apostolis

(*a*) Suavis lib. VIII. hist. Concil. Trid.
(*b*) Homil. XI. in jerem.
(*c*) De sacerd. lib. III. cap. 25.
(*d*) Lib. VII. cap. 38.
(*e*) Lib. III. de sacerd. cap. 14.
(*f*) Trid. sess. XXIII. Can. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

lis succedentes, non solum Patres per ordinationem gignunt, verum etiam totius religionis & sacrorum curam habent. *Presbyteri* vero sunt secundi ordinis Sacerdotes, qui sub Episcopis constituti, excepta ordinatione, vi suæ potestatis fere omnes obeunt sacerdotii partes. Atque hæ sunt receptæ *Episcopi* & *Presbyteri* notiones, nam alioquin hæ voces natura sua tales sunt, ut invicem confundantur. *Episcopus* ab inspectione & curatione est: *Presbyter* vero proprie a dignitate & auctoritate, quæ ætatem consequuntur, nominatur. Cura autem & inspectio etiam Presbyteri, ut dignitas competit Episcopis. Præsertim vero confusio isthæc obvia est in scriptis apostolicis, ubi nomine *Episcoporum* fere veniunt meri *Presbyteri*; quemadmodum Chrysostomus (*a*) & Theodoretus (*b*) observarunt.

Jure divino Episcopi a Presbyteris distinguuntur.

§. III. Jam nulla pars est christiani dogmatis, de qua majori animorum contentione concertatum est, quam de ecclesiastica hierarchia. Et olim quidem Aerius, inde Wicleffus, Albigenses, Waldenses, & tandem Lutherani & Calviniani quidquid habent Episcopi supra Presbyteros non ex divina institutione, sed ab ecclesiastica consuetudine contendunt promanasse, idque ut inter plures pari potestate Ecclesiam administrantes schismatum occasiones tollerentur. Integris editis libris hanc opinionem propugnarunt inter alios Claudius Salmasius & David Blondellus. Contra catholicum dogma est, eminentiam Episcoporum supra Presbyteros non ex consuetudine, sed ex dispositionis dominicæ veritate descendere. Nobiscum sentiunt quotquot in Anglia fuerunt episcopatus adsertores. Ad ea, quæ facti sunt, pertinent inquisitio isthæc, testium proinde fide dignorum terminanda auctoritate. Et primum (I) quidem inde usque ab Apostolis scriptores omnes ecclesiastici semper ut distinctos Episcopos & Presbyteros proponunt. Nulla est ex Ignatianis genuinis epistolis, quas Vossius & Usserius ediderunt, quæ Presbyteros ab Episcopis non distinguat: & quidem tam sæpe & diserte (*c*), ut Jo. Franc. Buddeus (*d*) non audens cum aliis protestantibus ad spuria epistolas Ignatianas ablegare, coactus fuerit statuere, circa extremam Apostolorum ætatem inter Episcopum & Presbyteros inductum fuisse discrimen. Similiter circa sæculi secundi medietatem Pius, Episcopus Romanus (*e*), de Presbyteris tanquam ab Episcopis diversis loquitur. Eandem quoque adhibent distinctionem Clemens Alexandrinus (*f*) Origenes (*g*) & Tertullianus

(*a*) Hom. I. in epist. ad Philip.
(*b*) Comm. in 1. Tim. III.
(*c*) Ad Ephes. n. II., ad Philad. n. IV., ad Smyrn. n. VIII.. V. Natal. Alexand. sec. IV. H. E. diss. XLIV.
(*d*) Præf. ad Bingh.
(*e*) Epist. II. ad just. Vien.
(*f*) Strom. VI. pædag. lib. III. cap. 12.
(*g*) Hom. II. in Num er.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nus (*a*). Præsertim vero Origenes, qui plus decies in operibus suis a Presbyteris sistit Episcopos diversos; quæ loca collegit Pearsonius. Nec tantum antiquissimi scriptores ecclesiastici semper Episcopos & Presbyteros tanquam duos diversos exhibent ordines; verum etiam (II) diserte episcopatus faciunt Apostolos institutores. *Ordo Episcoporum*, inquit Tertullianus (*b*), *ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem.* Et de eodem Joanne refert Clemens Alexandrinus, eum ex Insula Patmo Ephesum reversum, vicinas provincias invisisse, ut *Episcopos* constitueret, & homines a divino spiritu indicatos in clerum cooptaret. Quod vero (III) invictum pro divina episcopatus institutione argumentum suppeditat, est non interrupta Episcoporum series, quæ in multis Ecclesiis ab ipsis derivatur Apostolis, quemadmodum Ecclesiarum latercula ab antiquis Patribus, in primis Irenæo, Eusebio & Hieronymo proposita, demonstrant (*c*). Qui enim fieri potest, ut series Episcoporum ab Apostolis procurrat, nisi Apostolis ipsi episcopatus sint institutores?

Initio christianismi Ecclesiæ fere a Presbyteris gubernatæ.

§. IV. Verum enimvero quamvis inconcussis demonstretur monumentis, jure divino niti Episcoporum a Presbyteris discrimen; initio tamen prædicationis evangelicæ pleræque Ecclesiæ non integram habuisse videntur hierarchiam, Episcopis, Presbyteris & Diaconis constantem. Apostoli nempe in Ecclesiis, quas fundabant plerumque non morabantur, sed earum cura Presbyteris demandata, Evangelium prædicaturi, alio transcurrebant. Quin ii ipsi, qui in Ecclesiis ab Apostolis veri Episcopi constituebantur, Evangelium quoque prædicaturi, aut, ob alias Ecclesiarum necessitates sæpe per provincias discurrebant. Ita passim eveniebat, ut Episcopo carerent Ecclesiæ: quod ex veteribus in primis Epiphanius (*d*). observavit, qui speciem etiam addit Ecclesiæ sine Presbyteris solum Episcopum habentis: quamvis id factum esse non recte forsan adfirmet propter hominum penuriam, qui primis illis temporibus vel episcopatum gerere, vel Presbyteri fieri possent. In hoc statu constitutæ Ecclesiæ per merces regebantur Presbyteros, qui exceptis iis, quæ erant ordinis episcopalis, munia omnia pastoris obibant, & inde etiam *Episcopi* dicebantur, quasi greges inspectores. Tale Ecclesiæ Philippensium regimen videtur fuisse, quo tempore Paulus ad eos literas dabat. Et sane Epaphroditus, Philippensium Apostolus (*e*), eo tempore Romæ erat, quo profectus erat Paulo delaturus oblationes (*f*): discedensque videtur presbyterio Ecclesiæ curam demandasse.

Un-

(*a*) De Bapt. cap. XVII.
(*b*) Adv. Marcion. lib. IV. cap 5.
(*c*) V. Petav. lib. I. de eccles. hierar. cap. 2., & Bingh. lib. II. orig. eccles. cap. 1. §. 4.
(*d*) Hæres. LXXV.
(*e*) Ad Philip. II. 25.
(*f*) Ad Philip. IV. 18.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Unde factum, ut Paulus Presbyteros Philippenses ab Ecclesiæ regimine *Episcopos* appellaret, literasque *Episcopis & Diaconis* inscriberet. Certe Chrysostomus rationem redditurus, cur Paulus in inscriptione Epistolæ ad Philippenses Presbyteros omiserit, adfirmat *Episcopos* illos secundi ordinis fuisse Sacerdotes. *Quid hoc rei est?* inquit (*a*). *An unius civitatis plures erant Episcopi? Nullo modo; verum Presbyteros vocavit sic, tunc enim nomina invicem communicabant, & Diaconus dicebatur Episcopus.* Quod idem Theodoretus, Œcumenius, Theophilactus aliique veteres tenuerunt. Similiter Ecclesia Ephesina per secundi ordinis Sacerdotes videtur administrata, quo tempore Paulus ejus *Presbyteros* Miletum accersitos, ad gregis, quem per Spiritum sanctum regendum suscepissent, solicitudinem cohortatus est (*b*). Condecorat quidem Apostolus Presbyteros istos *episcopali* nomine; at id videtur factum ob Ecclesiæ, quæ tum eis incumbebat, inspectionem. Et sane minus veteribus Patribus arridet, in una Ecclesia eodem tempore plures fuisse Episcopos: nec videtur admittendum, Presbyteros Ephesinos per Paulum advocatos, non tam fuisse unius Ephesinæ Ecclesiæ, quam reliquarum Ecclesiarum, qui tum erant in Asiæ civitatibus: quam opinionem Irenæus videtur tenuisse (*c*): minus enim apte unius civitatis nomen ad integram Asiam, quando aperta desunt argumenta, producitur. Videtur autem ipse Paulus regimen Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteris commisisse; antequam ei Timotheum, qui tum in itinere eum comitabatur, tanquam Apostolum præponeret. Hujusmodi autem Ecclesias per presbyterium administratas subinde Apostoli, aut proprii pastores, ad functiones obeundas episcopales, invisebant, ut exemplo esse potest Ecclesia Samariæ a Philippo, uno ex Diaconis fundata, quam ut manibus impositis darent Spiritum sanctum, Petrum & Joannem Apostoli miserunt. (*d*)

Solvuntur argumenta Presbyteros Episcopis exæquantium.

§. V. Hac admissa observatione de secundi ordinis Sacerdotibus sub initium christianismi Ecclesias administrantibus, non inconcinna forsan ratione solvuntur argumenta omnia ex scripturis deprompta, quibus Episcoporum & Presbyterorum æqualitatem protestantes, & in primis Blondellus, inædificarunt. Ad duo autem summa capita ea argumenta referuntur. Nam (I) asserunt passim in scripturis Presbyteri episcopali nomine donati, Ecclesiam regunt & administrant (*e*): & deinde (II) Paulus passim Episcoporum & Diaconorum meminit, ordine intermedio prætermisso, ut videre est in literis ad Philippenses *Episcopis & Diaconis* inscriptis, & ad Timo-

(*a*) Hom. I. in epist. ad Philip.
(*b*) Act. XX. 17. 28.
(*c*) Lib. III. advers. hæres. cap. 14.
(*d*) Act. VIII. 14. seq.
(*e*) Act. XX. 28, 1. Petri V. 1. seqq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

motheum tantum *Episcoporum & Diaconorum* describit qualitates (*a*). Unde consequi ajunt, unum tum fuisse Episcopi & Presbyteri gradum, alias non erat, cur Apostolus *Presbyteros* faceret Ecclesiarum inspectores, & uno gradu decurtatam proponeret hierarchiam; præsertim quando alibi idem Apostolus sic efingit *Presbyteros*, ut eosdem *Episcopos* fuisse diserte pronunciet (*b*). Verum quidem est, initio christianismi Presbyteros episcopali nomine condecoratos Ecclesias in communi administrasse; at inde non sequitur, unum eundemque gradum primi & secundi ordinis sacerdotium efformasse; nam Presbyteri illi Ecclesiarum rectores erant secundi ordinis Sacerdotes Episcopi ab Ecclesiarum regimine nuncupati, Apostolis, eorumque comilitonibus longe inferiores. Sane hac tempestate primi ordinis Sacerdotes *Apostoli* dicebantur, qui fundatarum Ecclesiarum regimine in secundi ordinis Sacerdotes rejecto, ad augendam rem christianam & apostolatus functiones obeundas provincias peragrabant. Non sola Ecclesiarum administratio facit Episcopum, sed sacerdotii plenitudo accedat oportet. Nec uno gradu ab Apostolo deminuta hierarchia, eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros arguit. Pro re nata scribebat & loquebatur Apostolus; quumque eo tempore plerumque ab Ecclesiis, per presbyterium administratis, aberant Apostoli, summa certe fuit ratio, cur Apostolus ad Philippenses scribens, absente Epaphrodito, summo gradu deminutam proponeret hierarchiam, literasque *Episcopis*, hoc est Presbyteris inspectoribus, & *Diaconis* inscriberet. Regimen porro istud Ecclesiarum tum secundi ordinis Sacerdotibus incumbens, ad summam, quamvis sacerdotii plenitudine carentem, eos elevabat potestatem. Et hinc Apostolus recensens sacrorum ministrorum qualitates, in literis ad Timotheum unum ex duobus superioribus gradibus omisit, ad Titum vero utrumque confudit. Nempe quibus qualitatibus Sacerdotes primi ordinis, iisdem secundi ordinis Antistites volebat ornatos. *Sola manuum impositione*, inquit ad rem Chrysostomus (*c*), *Episcopi superant, & hoc uno videntur excellere Presbyteros.* Non me latet, viros doctissimos, in primis Petavium (*d*) Sacerdotes primi ordinis nomine *Episcoporum* apud Paulum intelligere; at eorum auctoritas tanta non est, ut contrariæ sententiæ non possimus adhærere, quam alias ipse Petavius (*e*) etiam proponit, & nos catholico dogmati conformiorem reputamus.

Ipsis Apostolis viventibus omnibus Ecclesiis Episcopus datus.

§. VI. Non diu autem stetit isthæc Ecclesiarum per Presbyteros administratio, datusque vel ipsis Apostolis superstitibus verus Episco-

(*a*) 1. ad Timoth. III.
(*b*) Ad Tit. I.
(*c*) Hom. IV. in 1. ad Timoth.
(*d*) Lib. I. dissert. Eccles. cap. 2. post. libros de ecclesiastica hierarchia.
(*e*) Lib. II. de eccles. hierarch. cap. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

copus, qui præesset presbyterio. Ita nomina *Episcopi & Presbyteri* inter se disctinta, proprias induerunt notiones. Ipsis Apostolis viventibus charitas aliquatenus refrigerata, dissidia inter rectores æquali potestate gubernantes invexit. Hinc optimum schismatum tollendorum remedium visum fuit singulis Ecclesiis unum Episcopum præesse, & Presbyterorum regimen Episcopo reddere obnoxium. Extrema Apostolorum ætate omnes Ecclesias proprios Episcopos habuisse, invictum argumentum suppeditat apocalypsis Joannis, quæ sub nomine *Angelorum* scripta est ad septem Episcopos Ecclesiarum Asiæ, inter quas primum locum obtinet Ephesina, quæ vivente Apostolo per Presbyteros videtur gubernata. Idem plane demonstrant successiones Episcoporum in Ecclesiis quas, ab ipsis Apostolis Patres repetunt antiquiores. Porro eadem ipsa Apostolorum ætate æquale Ecclesiarum regimen obnoxium evasisse, expresa est Hieronymi sententia, qui ex scripturis æqualitate inter Episcopos & Presbyteros adserta, concludit, ipso Apostolo vivente ad schismata tollenda unum certis fuisse prælatum.

Explicatur Hieronymus Episcopos Presbyteris exæquans.

§. VII. Hic autem rei dignitas postulat, ut quæ de episcopatu & presbiteratu vera fuerit Hieronymi sententia, paulo uberius disquiramus. Constat enim ejus præcipue auctoritate æqualitatem Episcoporum & Presbyterorum sustineri, adeo ut ea super re elucubratum librum *S. Hieronymi apologiam* Blondellus inscripserit. Nec defuerunt inter nostros, qui emphasi Hieronymiana & copia verborum oppressi, Ariani erroris illustriorem Ecclesiæ latinæ scriptorem incusarent; aut saltem docerent, episcopatum esse presbyteratus extensionem, nec ratione sacerdotii Episcopos a Presbyteris differre. Duobus præsertim locis æqualitatem Episcoporum & Presbyterorum propugnare videtur Hieronymus, in commentariis nempe ad cap. I. epist. ad Titum, & scribens ad Evagrium; sed quum utriusque loci eadem sententia sit, prioris tantum verba referam, quæ videri possint expresiora. *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Quam sententiam quum adductis scripturarum locis, quorum multa paulo ante produximus, deinceps confirmasset, subjungit: *Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatum. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veri-*

ta-

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tate Presbyteris esse majores. Sunt quidem verba ista Hieronymi impeditissima; talia tamen quæ possunt cum catholico dogmate conciliari. Ante omnia observandum, eundem hunc Hieronymum a potestate ordinandi Presbyteros excludentem, propriam inter Episcopos & Presbyteros adgnoscere differentiam. *Quid enim facit*, sunt ejus verba (*a*), *excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Hic character Episcopi proprios per Hieronymum inculcatus & admissus, facit, ut non per omnia Presbyteros Episcopis æquarit. aliter sibi ipsi esset adversus. Exæquavit igitur Hieronymus Presbyteros Episcopis qui ætate apostolica in plerisque Ecclesiis obtinebant, qui erant meri Presbyteri, Ecclesiarum regendarum donati potestate. Et sane si veris Episcopis ætatis apostolicæ Presbyteros æquasset, ordinationem non excepisset, & potius Apostolis, quam Episcopis comparasset. At si ita esset, maximo conatu magnas nugas egisset Hieronymus, dum Presbyteros sibimetipsis æquaret. Ita profecto non est. Episcopi apostolicorum temporum quamvis secundi ordinis essent Sacerdotes; Ecclesiam tamem in omnibus regebant, nec eorum regimen erat obnoxium: in quo differebant a Presbyteris quarti sæculi, quando regimen Ecclesiæ erat penes veros Episcopos. Itaque dum Presbyterorum sortem augere adnititur Hieronimus, provocat ad Ecclesiæ gubernationem, quæ plerumque penes Presbyteros, nomine episcopali condecoratos, ætate Apostolorum erat. Nec hanc interpretationem convellunt, quæ mox subjungit Hieronymus, consuetudini potius, quam institutioni dominicæ deberi, quod Episcopi Presbyteris sint majores; nam contextus ipse satis demonstrat, Hieronymum non generatim eminentiam Episcoporum supra Presbyteros a consuetudine derivare; sed pro ea parte, quæ Ecclesiæ spectat gubernationem, quæ ætate ipsa Apostolorum ad tollenda schismata ex consuetudine in Episcopos translata fuit. In eo vero, quod naturam effingit episcopatus, tantum abest, ut Hieronymus tribuat consuetudini Episcoporum supra Presbyteros eminentiam, ut potius ordinandi facultatem omnino Presbyteris adimat.

In una civitate unus Episcopus.

§. VIII. Jam ab ea regiminis forma, quæ presbyterium in omnibus Ecclesiis Episcopo fecit obnoxium, manavit constans regula juris ecclesiastici, unum tantum Episcopum debere esse in una civitate. Pluribus enim admissis Episcopis seminaria schismatum iterum redirent contra finem regiminis ipso ævo apostolico inducti. Constanter omnes Ignatianæ epistolæ unum Episcopum cum presbyterio uni Ecclesiæ exhibent præsidentem: nec post Ignatium scriptor reperitur, qui de Episcopis loquens, unum semper in unaquaque Ec-

(*a*) Epist. ad Evagr.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Ecclesia fuisse, non dicat. Inde Cyprianus cum aliis Episcopis Africanis Novatianum Romæ contra Cornelium ordinatum & sedentem, Episcopum esse negabat (*a*). Nicæni Patres hanc apostolicam confirmarunt regulam, de Episcopis Cataris ad Ecclesiam reversis statuentes (*b*), ut meri sint Presbyteri, aut Chorepiscopi, aut nomine tenus tantum Episcopi, idque ne in una urbe duo essent Episcopi. Tritissimum erat Romæ, unam sedem duos non capere Episcopos, quo tempore Constantius imperator populo significavit, velle se Liberium & Felicem esse socios sedis episcopalis; repudiarunt enim hanc conditionem omnes exclamantes, *unus Deus*, *unus Christus*, *unus Episcopus* (*c*). Inducta quidem fuit regula ista ad schismata avertenda. Hinc si aliter Ecclesiæ concordia restitui non posset, ratio inducti Canonis Episcopos quandoque movit, ut socios in thronum advocarent (*d*). Salus scilicet Ecclesiæ est suprema lex ecclesiastica.

Episcopi alii aliis eminentiores.

§. IX. Jam uno excepto Pontifice Romano, qui jure divino in universam Ecclesiam *primatum* habet, inter Episcopos ex dispensationis dominicæ veritate nulla est prærogativa. At lapsu temporis hic primus hierarchiæ gradus faciem induit angustiorem. Inter Episcopos enim inductæ variæ prerogativæ quæ *metropolitas* & *patriarchas* peperunt. Metropolitæ sunt Episcopi civitatis in provincia Principis, qui universæ provinciæ tenent solicitudinem. Patriarchæ vero Episcopi, qui in plures provincias habent jurisdictionem, pluribusque præsunt metropolitis. Sed de metropolitis & patriarchis inferius ex instituto.

Presbyteri in omnibus ab Episcopo pendent.

§. X. Hierarchiæ secundus gradus proprios sic dictos complectitur Presbyteros, qui excepta ordinatione reliqua fere omnia munia ecclesiastica vi suæ ordinationis possunt exercere. Multitudo sacrorum officiorum, ad quæ explicanda in populosis Ecclesiis Episcopi non sufficiebant, dubio procul Presbyteros induxit. Sed in explicandis officiis utrique ordini promiscuis inter Episcopos & Presbyteros interest. Episcopi enim absoluta nullique obnoxia agunt potestate; Presbyteri vero in omnibus ab Episcopo pendent; nec est officium, quod exercent, nisi Episcopus jubeat, aut demandet (*e*). Atque hæc Presbyterorum ab Episcopo dependentia Ecclesiæ efformat honorem, *quo salvo salva pax est*, inquit Tertullianus (*f*). Jure divino inter Presbyteros nulla est prærogativa, nemo aliis eini-

(*a*) Cyprian. epist. LXVII. al. LXVIII. ad Stephan.
(*b*) Conc. Nicæn. can. VIII.
(*c*) Theodor. lib. II. cap. 14.
(*d*) Theodor. lib. X. cap. 3., collat. Carthag. 1. die C. XVI. V. Bingh. lib. II. orig Eccles. cap. 13.
(*e*) Conc. Laodic. Can. LVII.
(*f*) De Bapt. cap. XVII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

eminentior. At jure ecclesiastico gradus quidam inter eos inducti, *Archipresbyteros*, *Parochos*, *Pœnitentiarios &c.* pepererunt. Scilicet quæ officia mandante Episcopo olim in commune per Presbyteros exercebantur, specialiter quibusdam Presbyteris in perpetuum mandari utilitas postulavit Ecclesiarum. Ita cæteris Presbyteris non eorum officiorum explicandorum ablata potestas, sed tantum intra certos limites inclusa est, ut nempe in casibus ordinariis in usum deduci non possit.

Diaconi, tertii ordinis Sacerdotes, Ecclesiæ ministrant.

§. XI. Postremum hierarchiæ gradum efformant *Diaconi*, seu Ecclesiarum ministri, qui tertii ordinis constituunt sacerdotium, cujus natura in ministrando posita est. Diaconorum institutioni mensarum servitium dedit occasionem. Primis temporibus christiani vita inducta communi, una alebantur mensa, cui ipsi inserviebant Apostoli. Inde vero aucto christianorum numero, quum Apostoli propter viduarum & mensarum servitium a gravioribus apostolatus officiis distinerentur, in omnium concione, prævio jejunio, & impositis manibus, Diaconi fuerunt instituti, quibus demandata sunt temporalia, & ea occasione data, etiam sacrum ministerium. Nec enim Apostoli sic temporalibus Diaconos addixerunt, ut in sacro ministerio partem non haberent: quam opinionem amplius, quam par erat, literæ scripturarum adhærentes, tenuerunt, olim Trullani Patres (*a*); Salmasius vero inter recentiores. Quid (I) enim attinuisset ad temporalium curatores curandos concionem advocare, ut tales eligerentur, qui *Spiritu sancto pleni* essent? Quid necesse fuisset jejunio præcedente, & impositis manibus eos consecrare? Deinde (II) ii ipsi, qui communibus mensis præpositi sunt, Dei etiam prædicarunt Evangelium (*b*). Tota (III) præterea clamat antiquitas ad ministerium ecclesiasticum etiam vocatos Diaconos. Ita Ignatius Martyr Diaconis Jesu Christi ministerium asserit demandatum (*c*). Et Justinus Martyr scribit, eos panem & vinum distribuere consecratos (*d*). Clara est sententia Cypriani (*e*), Apostolos sibi constituisse Diaconos *episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Quin ipse Hieronymus, qui Diaconorum sortem imminuit, quantum potest, eos inter *populi duces* (*f*), non minus quam Episcopos & Presbyteros recenset (*g*).

Ex diaconatu varii ordines educti.

§. XII. Ex apostolica institutione Diaconorum omnium sors æqualis.

(*a*) Conc. Trull. Can. XVI.
(*b*) Act. VI. & VIII.
(*c*) Ad Magnes. u. VI.
(*d*) Apolog. II.
(*e*) Epist. XXV. al III.
(*f*) Comm. in Mich. VII.
(*g*) Petav. lib. II. diss. Eccles. cap. I. post. libros de ecclesiastica hierarchia.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

lis. Verum lapsu temporis unus inter eos caput extulit, dictus propterea *Archidiaconus*. Porro magisque crescente christianorum numero, nec solis sufficientibus Diaconis ad ea quæ sui muneris erant, explicanda, officia quædam ex ipso diaconatu excerpta & in alios Clericos conjecta sunt, qui *Clerici minores* nuncupantur. Varius pro varia Ecclesiarum disciplina fuit minorum Clericorum numerus; quamvis inde usque a multis sæculis in Ecclesia latina, hypodiaconatu inter majores ordines rejecto, quatuor tantum numerentur *acolyti* nempe, *exorcistæ*, *lectores*, & *ostiarii*. His tandem accesserunt Clerici nullo ordine initiati, sed tantum sola tonsura & habitu in censum relati Clericorum: atque ita tertius hic hierarchiæ gradus majores habet subordinationes.

Proponuntur variæ Clericorum partitiones.

§. XIII. Sic adserta ecclesiastica hierarchia, ut juris divini esse minime possit dubitari, varias Clericorum subjiciam partitiones. Ratione officii (I) alii sunt in *sacerdotio*, alii in *ministerio*. Qui sunt in *sacerdotio* curam habent animarum, & sacra omnia eo spectantia peragunt, quales sunt Episcopi & qui ab Episcopis pendent, Presbyteri. Qui sunt in *ministerio*, Episcopis & Presbyteris sacris operantibus & in aliis ecclesiasticis necessitatibus deserviunt, quales sunt Diaconi, & ex diaconatu educti Clerici minores. A dignitate porro spectati Clerici, dividuntur (II) in *majores* & *minores*. Majores, quos *sacratos* etiam vocamus, sunt *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi* & *hypodiaconi*: minores *acolyti*, *exorcistæ lectores*, *ostiarii*. Procedit isthæc majorum & minorum Clericorum recensio secundum præsentem Ecclesiæ latinæ disciplinam: nam olim hypodiaconi erant inter minores Clericos, & minorum ordinum numerus pro varia Ecclesiarum disciplina variavit. Demum (III) Clerici aut sunt in *ordine*, aut in *officio* (*a*), aut tantum *habitu & tonsura* in censum veniunt Clericorum. Qui in *ordine* erant, vi ordinationis, qua erant initiati, munia obibant ecclesiastica, & proprie *Clerici* & *ordinarie* dicebantur: qui vero erant in *officio* sine ordine ecclesiasticis defungebantur ministeriis, & proprie erant in *Canone*, hoc est matricula Ecclesiæ adscripti, & *promoveri* dicebantur (*b*). Nec enim officia omnia ecclesiastica ita pendent ab ordinatione, ut non dentur aliqua, quæ a non ordinatis possunt exerceri, ut exemplo esse possunt diaconissæ. Itaque ex laicis erant, qui miro *officio* Clerici censebantur, nisi hujusmodi officia veris Clericis, quod frequens fiebat, demandarentur. In *ordine* secundum Chalcedonenses Patres sunt *Episcopi*, *Chorepiscopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, & alii in clero existentes: in *Canone* vero *œconomi*, *defensores*, *paramonarii*, cæterique, qui sunt

in

(*a*) Conc. Chalc. Can. II.
(*b*) Conc. Chalc. Can. II.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

in Canone (*a*). Omnes in Clericorum censum erant relati, propria obibant officia, de altari pro modulo suo vivebant; sed non omnes per veram ordinationem erant in clerum cooptati. Clerici solo *habitu & tonsura* insignes nec ordine, nec officio donantur, tantumque solemni habitus clericalis susceptione ad ordines suscipiendos veluti in via constituuntur.

CAPUT IV.

De externa Ecclesiæ politia.

Politia eeclesiastica ad formam civilis instituta.

§. I. Regimen ecclesiasticum sic est comparatum, ut a minoribus incipiens, in majores adsurgat Ecclesias, ac tandem in Ecclesiam Romanam centrum desinat unitatis. Episcopatus subsunt Ecclesiis metropolitanis, hæ patriarchalibus, omnes Ecclesiæ Romanæ. Pulcherrima est isthæc Ecclesiarum ordinatio, & ad Ecclesiæ unitatem accommodatissima. Verum in hac ordinanda politia non a seipsa, sed a regimine politico exemplar Ecclesia sumpsit; ut ita mutua connexione Ecclesia & respublica procederent. In Imperio Ecclesia nata optimum judicavit in sua ordinanda politia, & in prima Ecclesiarum plantatione, & deinceps in mutationibus publicas civitatum formas imitari. Et sane (I) Imperii civitates cum Ecclesiis collatæ, paucis exceptis, demonstrant, eminentiores in imperio civitates majoribus etiam in Ecclesia donari prærogativis (*b*). Porro (II) Ecclesiæ politiam ab imperio dimanasse alia evincunt monumenta, quæ eam praxim diserte supponunt. Ut ecce Emmaus pagus Hierosolymitanus in civitatem, *Nicopolim* dictam, evectus, sedes evasit episcopalis. Et Majuma in Palæstina, quæ ad Gazæos pertinebat, jure civitatis a Constantino donata, statim proprium accepit Episcopum (*c*). Nec alia ratione Ecclesiam Constantinopolitanam ad honorem & dignitatem patriarchalem evexerunt Patres Constantinopolitani & Chalcedonenses, quam ob auctam urbis dignitatem (*d*). Constantinopolis enim evaserat nova Roma. Exorta de primatu inter Arelatensem & Viennensem Episcopos controversia, eam ex dignitate urbium censuit Concilium Taurinense dirimendam (*e*): *Ut qui ex eis comprobaverit, suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat.* Nec (III), desunt expressa Conci-

(*a*) Thomas. de benef. part. I. lib 2. cap. 14.
(*b*) Bingh. lib. IX. orig. eccles. cap. I. §. 5 & 6.
(*c*) Sozom. lib. V. cap. 3.
(*d*) Conc. Constantinop. Can. III., Conc. Chalc. Can. XXVIII.
(*e*) Can. II.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ciliorum decreta, quæ immutatis per Imperatores civitatum formis, jubent etiam immutari Ecclesiarum politiam. *Si qua civitas*, sunt verba Can. XVII. Concilii Chalcedonensis, *ab imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles & publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur*. Quam eandem regulam Patres Trullani iisdem plane verbis confirmarunt. (*a*).

Divisio Imperii in provincias & diœceses.

§. II. Quo tempore orbi illuxit christianismus, una excepta Italia, quæ in XI. tributa erat regiones (*b*), in provincias Romanum dividebatur imperium. Provincia ambitu suo plures complectebatur civitates, quæ ab una pendebant metropoli. Sub Hadriano etiam ipsa Italia abiit in provincias (*c*): quin & reliquæ provinciæ immensum deminutæ, alias efformarunt. Constantini vero tempore pluribus inter se adnexis provinciis, exorta est partitio in *diœceses*. Erat diœcesis ingens terrarum tractus, diversas provincias complexu suo coercens & continens. Meminit quidem diœcesium non uno loco M. Tullius (*d*); sed diœceses hæ Ciceronianæ longe distant ab iis, quas posterior ætas invexit, ut manifeste ex ipso constat Cicerone, qui uni Ciliciæ tres adsignat diœceses. Quidquid ergo Imperii Romani erat, quarto saltem exeunte sæculo, in CXX. plus minus tribuebatur provincias, quæ non æquali numero, sed prout regimini politico conveniens visum fuit, inter se connexæ, tredecim efformarunt *diœceses*. Harum vero diœcesium, eisque tributarum provinciarum, liber inscriptus *notitia Imperii*, qui circa tempora Arcadii & Honorii creditur confectus, exhibet laterculum.

Partitio Imperii in orientale, & occidentale.

§. III. Ab eodem præterea Constantino profecta est Imperii divisio in *orientale* & *occidentale*. Quum magis cura & caritate filiorum, quam Imperii salute Constantinus tangeretur, eorum consulens dominationi, *orientis* & *occidentis* instituit divisionem. Ita fecit, quod nunquam antea factum fuisse memoriæ proditum erat, ut de Constantino scribit Eusebius (*e*). Sane partitio Imperii in *orientem*, & *occidentem*, quam fecerat Diocletianus, potius adsignatio partis, quam ex toto quisque sociorum specialiter regere debebat, quam vera partitio fuit. Vera autem inducta partitione, limites orientis, atque occidentis in Illyrici & Thraciæ finibus positi sunt; ut quidquid a Thracia per Ægyptum & Asiam minorem usque Euphratem & Tigrim extendebatur, Imperii esset orientalis; occidentalis vero quidquid

(*a*) Can. XXXVIII.
(*b*) Plinius lib. III. cap. 5.
(*c*) Spart. in Hadriano.
(*d*) Lib. XIII. famil. 53. & 67.
(*e*) Lib. VIII. cap. 17.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quid ab Illyrico ad oceanum occidentalem protendebatur, comprehensa etiam Africa, quæ ex adverso his adjacet regionibus: quod adductis Ammiani Marcellini, Socratis, Concilii Aquilejensis aliorumque locis Petrus de Marca (*a*) demonstravit.

Romani Imperii regimen politicum.

§. IV. His ita observatis de Imperii Romani partitione, regimen politicum adnectamus, oportet. Ætate Apostolorum quælibet civitas inter Græcos & Romanos proprium ex suo corpore habebat magistratum, qui *ordinis*, aut *curiæ* nomine nuncupatus, plurimum personarum numero constabat, ejus loci veluti senatum constituentium. Verum non ita omnes erant inter se æquales, ut plerumque cæteris unus non emineret, qui *defensor civitatis*, aut *dictator* dictus, in totum civitatis territorium jus dicebat. In civitatibus provinciarum principibus superior erat magistratus, qui *proconsul*, aut *præses*, aliove nomine dictus, universam regebat provinciam, & de adpellationibus ab inferioribus magistratibus cognoscebat. Sub Constantino singulis diœcesibus præpositus adhuc amplior magistratus, qui sub nomine *eparchi*, vel *vicarii Imperii Romani*, & pro diœcesi Ægyptiaca sub nomine *præfecti Augustalis Alexandriæ*, in civitate diœcesis principe residens, in omnem diœcesim habebat imperium, & de provinciarum cognoscebat adpellationibus.

Status Ecclesiæ regimini politico conformis.

§. V. Ex hac civili politia ecclesiasticam facile cognosces. Etenim in minoribus civitatibus, ubi cum senatu *defensor*, aut *dictator* rem civilem administrabat, Ecclesia magistratum suum sacrum constituit, Clericorum senatui præpositum, qui *Episcopus* dictus, de senatus consilio intra fines civitatis rem divinam procuraret. A minoribus civitatibus ad provinciarum & diœcesium metropoles, ob oculos habens civilem politiam, adsurgens Ecclesia, in iis ampliori donatos potestate Episcopos constituit. Et in civitatibus quidem provinciarum principibus sic dictos collocavit *metropolitas*, qui in universam provinciam exercerent jurisdictionem: in civitatibus vero diœcesium metropolibus adhuc majorem posuit Episcopum, qui *patriarcha*, vel *exarchus* dictus, jus diceret toti diœcesi. Ita triplicis generis natæ Ecclesiæ *episcopales*, *metropolitanæ*, *patriarchales*: quarum episcopales certæ apostolicæ sunt originis; reliquarum vero origonum Apostolis debeatur, an ecclesiasticis moribus & decretis, non convenit inter eruditos.

In parvis oppidis non constituuntur episcopatus.

§. VI. Constitutio isthæc episcopatuum ad civilis politiæ formam

(*a*) Lib. I. de C. S. & I. cap. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mam instituta, peperit regulam juris canonici, qua vetatur in parvis oppidis & villis constitui episcopatus. Et decebat quidem tantum in populosis civitatibus, quæ in Imperio proprium habebant magistratum, Episcopum constitui, ne summum Christi vilesceret sacerdotium. *Præter majorum traditionem* esse, scribit Anastasius (*a*), in pagis Episcopos constitui. Traditio isthæc majorum dubio procul ab Apostolis profluxit. Hanc antiquam regulam Patres confirmarunt Sardicenses (*b*), minime licere statuentes, *Episcopum constituere vel in aliquo pago, vel in parva urbe, cui vel unus Presbyter sufficit: non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur.* Semper autem regula isthæc non obtinuit. Nam tum ante, tum post Concilium Sardicense in parvis vicis & exiguis oppidis Episcopi reperiuntur constituti (*c*): idque aliquando salute Ecclesiæ postulante, ut exemplo esse possunt episcopatus, quos tempore schismatis Donatistarum in pagis & villis ad augendam rem catholicam Patres erexerunt Africani. Quod si in pago aliquo admodum creverit Dei populus, in eo quidem episcopatus constitutionem Canones admittunt Africani (*d*), nec menti repugnat Patrum Sardicensium, qui ob eam rationem in pagis vetuerunt constitui episcopatus, ne ob minores plebes vilescat sacerdotale fastigium.

Partitio Ecclesiæ in orientalem & occidentalem.

§. VII. Ex Imperii porro divisione in orientale, & occidentale Ecclesiæ in *orientalem & occidentalem* partitio profluxit. Nomine Ecclesiæ orientalis veniebant Ecclesiæ omnes finibus orientalis Imperii conclusæ, quæ non secus ac in civili politia, quinque efformabant diœceses, *orientalem* proprie sic dictam, *Ægyptiacam*, *Asianam*, *Ponticam*, & *Thracicam*. Unde interest, num Ecclesia *orientalis* opponatur *occidentali*, an vero ipsis orientis diœcesibus: nam primo casu Ecclesia *orientalis* omnes orientis denotat diœceses; altero vero strictius sonat, designatque proprie sic dictam orientalem diœcesim, cujus metropolis erat Antiochia (*e*). Ecclesia *occidentalis* ambitu Imperii occidentalis coercebatur; & non secus ac occidentis Imperium, octo aut novem constabat diœcesibus, tribus nempe *Illyricianis*, *Macedonica*, *Dacica*, & *Illyriciana* proprie sic nuncupata (quarum duæ priores, adscitu per Gratianum in Imperium Theodosio, an. scilicet CCCLXXIX., Imperio cesserunt orientali, immutata licet Ecclesiarum politia), *Italica* proprie sic dicta, *præfectura Romana*, *Gallica*, *Hispanica*, *Britannica* & *Africana*. In epistolis Romanorum Pon-

ti-

(*a*) Apolog. II.
(*b*) Can. VI.
(*c*) Bingh. lib. II. orig. eccl. cap. 12. §. 2.
(*d*) Conc. Carthag. II. Can. V.
(*e*) Conc. Constantinop. Can. II., Petrus de Marca lib. I. de C. S. & I. cap. 4. num. 2.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tificum quarti & quinti sæculi Liberii, Damasi, Siricii, Innocentii & Cælestini celebris est isthæc orientis & occidentis Ecclesiæ distinctio, ut videre est apud Petrum de Marca (*a*), qui earum Pontificum loca congessit.

Divisio provinciæ ab Episcopis procurata nulla est.

§. VIII. Optima dubio procul fuit ecclesiastica politia ad civilis exemplum conformata. Verum quum ea sit hominum improbitas, ut sanctissimis abutantur institutis, inde ambitiosi Episcopi ad propria jura extollenda sumpserunt occasionem. Subinde enim a principibus civitatibus suis metropoliticum exorarunt honorem, ut ita jura sibi adsererent metropolitica. Tantæ ambitionis exemplum tempore Concilii Calcedonensis obvium erat in Eustachio, Episcopo Berytensi, qui a Theodosio juniore, citra realem provinciæ partitionem, erectionem suæ civitatis in metropolim obtinuerat. Hinc Ecclesiæ suæ jura deminuta ægre ferens Photius, Tyriorum metropolita, cui subjecta erat Ecclesia Berytensis, Marcianum rogavit Imperatorem, ut in integrum Ecclesiam restitueret suam. Causæ cognitionem Concilio Chalcedonensi Marcianus demandavit, eo tamen addito, ut cessantibus *pragmaticis*, hoc est rescriptis imperialibus, ea de re secundum Canones cognosceret (*b*). Causa discussa adnuentibus judicibus Canon generalis conditus est, quo hujusmodi Episcoporum ambitus depositione puniuntur (*c*). Sic vero suam regulam Patres temperarunt, ut præcipuum etiam honorem iis tributum velint Episcopis, qui civitates illas tenent, quibus sponte sua principes metropoleos decus rescriptis indulgent suis.

Occidentalis Ecclesiæ diœcsses distant a civilibus.

§. IX. Verum enimvero quamvis Ecclesia in sua ordinanda politia exemplar politici regiminis expresserit; non tamen ita civilibus formis se adstrinxit, ut ab iis ne hilum quidem discederet. Libertatis, non necessitatis erat, publicas formas imitari. Unde præsertim in occidente quantum ad Ecclesias patriarchicas & metropoliticas a politia civili immane quantum discrepat ecclesiastica. Et pro Ecclesiis patriarchicis inter varias opiniones de ambitu Romani patriarchatus, semper verum est, politiam ecclesiasticam a civili in occidente discrepasse. Nam si cum Sirmondo, N. Alexandro aliisque dicas, patriarchatum Romanum per totum occidentem extendi, in tot diœcesibus civilibus unum constitues patriarcham; si cum Dupinio patriarchatum Romanum præfectura Romana, quæ decem Italiæ provincias sub vicarii urbis jurisdictione constitutas comprehendebat, includas; nec ita imitatam invenies civilem politiam; nam

(*a*) Gothof. ad lib. VIII. C. de metallariis, Vales. in Theodor. lib. V. cap. 8. & 9.
(*b*) Act. IV. Conc. Chalc.
(*c*) Conc. Chalc. Can. XII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nam diœceses Galliarum & Hispaniarum exarchum non habuerunt.

In præfectura Romana pauci metropolitæ.

§. X. Porro in metropolibus provinciarum alicubi in occidente, & præsertim in Romana præfectura, a civili distat ecclesiastica politia. Præfectura Romana decem constabat provinciis, Piceno scilicet subu.bicario, Campania, Tuscia & Umbria, Apulia & Calabria, Bratiis & Lucania, Samnio, Valeria, Sicilia, Sardinia, & Corsica. In his, excepta Sicilia, quæ Syracusis, & Sardinia, quæ Calaris metropolitam habebat, nulli alii erant metropolitæ. In antiquis enim Conciliis & aliis monumentis Episcopi civitatum principum earum provinciarum, non ut metropolitæ, sed ut simplices Episcopi describuntur. Ægre quidem patitur Petrus de Marca has provincias metropolitis destitui, totusque in eo est, ad eas tanto honore decorandas (*a*). Quæ proprius ad rem adducit, sunt exempla civitatis Capuæ, metropolis Campaniæ, & Rhegii, metropolis Brutiorum, quarum illam ad sedem metropolitanam attollit auctoritate Athanasii (*b*), qui Capuam *Campaniæ metropolim* appellat; hanc vero metropolitanam facit Ecclesiam auctoritate *notitiæ veteris Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, quæ inter metropoles avulsas a Romana diœcesi, & throno subjectas Constantinopolitano, Rhegium recenset. Appellat quidem Athanasius *Capuam* Campaniæ *metropolim*, at potius civilem, quam ecclesiasticam intelligit. Loquens enim de legatis per Concilium Sardicense missis ad Constantium, ut hic Episcopos ab Ecclesiis suis extorres ad Ecclesias suas redire sineret, hæc habet verba: *missis a sancto Concilio in legationem Episcopis, Vincentio Capuæ, quæ metropolis est Campaniæ* &c. Deinde ex forma, quam induxerunt Græci in Ecclesias Romanæ diœcesi subtractas, & throno subjectas Constantinopolitano, nulla ratione colligi potest, politiam Ecclesiæ Rheginæ, etiam quo tempore ad Ecclesiam pertinebat Romanam, eandem fuisse. Media enim ætate Græci Imperatores sic politiam ecclesiasticam arbitrio subjecerunt suo, ut de thronis ecclesiasticis ut libitum disponerent. Sed temporis lapsu præfecturæ Romanæ metropolitas acceperunt.

In Africa fere primatus non adnexus civitatibus.

§. XI. Quanta demum cunque fuerit in aliis Ecclesiis varietas inter civilem & ecclesiasticam politiam, semper major fuit in Ecclesiis Africanis. Sex constabat provinciis Africana diœcesis; sed si Africam proconsularem excipias, quæ Carthagine fixam & immobilem sedem tenebat primatis, in reliquis provinciis primatus non metropolibus erat adfixus, sed Episcopos sequebatur seniores: quod mul-

(*a*) Lib. I. de C. S. & I. cap. 7. n. 4.
(*b*) Epist. ad solit. vit. agent.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

multi, præsertim Dupinius (*a*), demonstrarunt. Sane (I) in provincia Numidiæ metropolis Constantina fuit, & tamen ejus provinciæ primas tempore Constantini fuit Secundus Tigisitanus (*b*); tempore Augustini Megalius Episcopus Calamensis, qui pro jure suo Augustinum ordinavit (*c*): deinde vero Xantippus successit Tagastensis, quem proinde Augustinus & Canones Africani (*d*) *senem* appellant. Provinciæ quoque Byzacena, Mauritaniæ Sitifensis & Cæsariensis variarum sedium Episcopos diversis temporibus habuerunt metropolitas: quod constat ex Africanorum Conciliorum subscriptionibus. Porro (II) idipsum demonstratur Canone quodam Concilii Milevitani, qui in provincia Numidiæ metropolim civilem diserte ab ecclesiastica distinguit; ita quidem ut diserte innuat primam sedem fuisse mutabilem (*e*). Disciplina ista de mobilitate primæ sedis stabat in Africa etiam tempore Gregorii M., quod ex ejus verbis Dupinius observavit.

Mutationes civiles etiam sequebantur Ecclesiæ.

§. XII. Semel autem ad reipublicæ formam expressa ecclesiastica politia, non ita invariata stetit, ut subinde publicis civitatum motibus non etiam variaretur. Sic distracta in odium Basilii per Valentem in duas partes Cappadocia, provinciarum quoque ecclesiasticarum partitio secuta est (*f*): exstantque alia bene multa in antiquitatibus exempla, quæ ad mutationem reipublicæ mutatam quoque demonstrant Ecclesiam. Nec porro erat, cur ambitiosi Episcopi divisionem provinciarum ab Imperatoribus exorarent, nisi civitatum formas regiminis ecclesiastici ratio sequeretur. In ipso Concilio Chalcedonensi statutum fuit, ut innovatis pro reipublicæ necessitatibus per Imperatorem civitatibus, *civiles & publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur* (g). Quæ generalis videtur regula omnem adprehendens civilem mutationem, videnturque, qui eam suggesserunt Patribus, ad urbem spectasse Constantinopolitanam, mox in eodem Concilio ad patriarchalem evasuram dignitatem: tantum abest, ut cum Petro de Marca (*h*) ad pagos a vicinis civitatibus avulsos, & de novo excitatis civitatibus contributos, restringi possit.

Sed ea libertate, ut subinde starent immutatæ.

§. XIII. Verum enimvero regula isthæc, quæ ad civilem mutatio-

(*a*) Diss. I. de antiq. eccles. discipl. § 9.
(*b*) Aug. epist. LXVIII. ad Januar.
(*c*) Possid vit. Aug. cap. VIII.
(*d*) Can. C. cod. Afr.
(*e*) Can. LXXXVI. cod. Afr.
(*f*) Nazianz. orat. XX.
(*g*) Can. XVII. Conc. Chalc.
(*h*) Lib. II. de C. S. & I. cap. 8. num. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Quo tempore inducta tonsura clericalis.

§. VII. Sed temporis lapsu modesta brevisque Clericorum coma abiit in tonsuram, quæ detonso, & inde etiam raso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat: quod ex tonsura Monachorum videtur dimanasse (*a*). Scilicet pro femineis longisque crinibus, quos nonnulli Monachi affectarunt, eorum plerique casta informitate & inæqualiter capillos ad cutem tondebant, ut ludibrio hominibus essent (*b*). Inæqualiter ad cutem attonsi tandem perspecta eorum sanctitate fuerunt admirationi, & ex monachatu ad clericatum assumti, pristinum capillorum servarunt cultum, eosque alii Clerici cœperunt imitari. Ne vero informis tonsura Clericos deformaret, eam in meliorem formam adornarunt, quæ æqualiter detonso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat: quod non ante sæculum sextum in occidente factum videtur (*c*): etenim ante Isidorum Hispalensem, qui sub finem sexti sæculi floruit, & Concilium Toletanum IV. an. DCXXXVI. celebratum, scriptor forsan non invenitur, qui eam formam tonsuræ tribuat. Quamvis vero non ita pridem sic descripta tonsura invaluisset, ejus institutorem statim Beatum Petrum dictitarunt (*d*), eamque a *tonsura Pauli*, quæ ab oriente per Theodorum Monachum in Angliam allata, totum caput radebat, nulla corona relicta, distinxerunt (*e*). Et ne mystici sensus deessent, tonsura significari dixerunt regale Christi sacerdotium (*f*), & spineam Christi coronam (*g*): quin in ipsa etiam capillorum detonsione temporalium omnium contemtum invenerunt (*h*). Interim in omnibus Clericis æqualis tonsura videtur fuisse, nec adhibebatur novacula, quæ verticem capitis omnino denudaret; constanter enim sexti & septimi sæculi scriptores caput superius tonsum non rasum memorant. Sæculo octavo Clericorum, capiti videtur accessisse novacula; in falsis enim decretalibus sub nomine Aniceti ita scribitur: *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant* (*i*): nec forsan antiquius prostat monumentum, quo in modum sphæræ abradi capita Clericorum præcipiatur. Et ex hoc tempore videntur Clerici totum superius caput rasisse, donec tandem inductum, ut cuique ordini tonsura responderet (*k*).

For-

(*a*) Thomass. loc. cit. cap. 37. n. 13.
(*b*) Paulin. ep. 7. Salvian. de gubern Dei lib. 8.
(*c*) Isidor. Hispalens. de off. eccles. lib. 2. cap. 4., Conc. Tolet. IV. Can. XLI.
(*d*) Isidor. loc. cit. Greg. Turonens. de gloria mar. lib. 1. cap. 28.
(*e*) Beda lib. 4. cap. 1. & lib. 5. cap. 12., Conf. Disser. antiquit. Britan.
(*f*) Isidor. loc. cit.
(*g*) Beda lib. 5. cap 22.
(*h*) Isidor. loc. cit.
(*i*) Can XXI. D. 23.
(*k*) Cap. XV. ex. de vit. & honest. Cleric.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Pontificem Romanum devolutum est: quod vel assiduis moribus, scientibus & tacentibus Episcopis, inductis, ut sentit Thomassinus (*a*), vel potius, observantibus Fleuryo, Espenio (*b*) aliisque, tribuendum falsis Decretalibus, quas invexit Pseudo-Isidorus. In his enim sub nomine Clementis (*c*) & Anacleti (*d*) refertur, B. Petrum & Clementem non solum Episcopos, sed & Metropolitanos, Archiepiscopos, Primates & Patriarchas instituisse. Quisquis vero sit, qui novum episcopatum, aut metropolim erigit, adsentientibus, seu potius postulantibus Principibus faciat, oportet. Constitutio enim episcopatuum & metropoleon, quamvis origine sua curam spectet animarum, sic tamen est comparata, ut civilem etiam attingat politiam. Utraque igitur potestas in hoc opus concurrat, oportet, quamvis civilis tantum sit accessoria. Quapropter jura sua ultra, quam par erat, mediis sæculis produxerunt Græci Imperatores, qui politiam ecclesiasticam arbitrio subjecerunt suo; prorsusque contra Canones faciunt quotquot post Marcum Antonium de Dominis principibus vindicant episcopatuum erectionem.

CAPUT V.

De Episcopis eorumque in regenda Ecclesia potestate.

Episcopi sunt Apostolorum successores.

§. I. Christus, Servator noster, Ecclesiam, quam in terris fundavit, non unius ætatis esse voluit, sed æternam promisit duraturam. Quapropter Apostolis dedit suis, ut eam colligerent & ordinarent, & in suimet ipsorum locum alios substituerent. Eos misit eadem potestate, qua ipse a Patre missus erat (*e*). Unde sicut ipse a Patre alios in ministerio cooptandi accepit potestatem; ita eadem suos donasse Apostolos non est dubitandum. Qui enim alias fieri poterat, ut Ecclesia staret æternum? Ecclesia enim quamvis ipsius Christi spiritu vivat & crescat; talis tamen natura sua est, ut externo verbi & Sacramentorum indigeat ministerio. Tanta autem potestate Apostoli donati, in apostolatus ministerium Episcopos adsumserunt, sibique constituerunt successores: quod universa testatur antiquitas, cui adhærentes Tridentini Patres (*f*), Episcopos in *Apostolorum locum* successisse declararunt. Spectavit autem successio isthæc tantum ea, quæ sunt regiminis ecclesiastici: nam in personalia Apostolorum, qualia dona linguarum, miraculorum, prophe-

(*a*) Par. I. lib. 1. cap. 55.
(*b*) Par. I. tit. 19 cap. 1.
(*c*) Can. II. D. 80.
(*d*) Can. I. D. 99.
(*e*) Io. XX. 21.
(*f*) Ses. XXIII. de ord. cap. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

phetiæ, Spiritus sancti gratia, qua repleti erant, dubio procul Episcopi non successerunt.

Nomina Episcoporum recensentur.

§. II. Jam Episcopi, qui Apostolorum locum in Ecclesia tenent, sub initium prædicationis Evangelicæ & ipsi *Apostoli* dicti sunt (*a*). Sed Apostolis vita defunctis, quod vitæ sanctitate & miraculorum testimonio seipsos Apostolis cernerent impares, nomen abjecerunt *Apostolorum*, & modesto adsumto nomine, semet *Episcopos* (*b*), quasi *inspectores*, & vero etiam *Apostolorum successores* (*c*) nominarunt. Sunt & alii tituli, quibus in antiquis monumentis Episcopi designantur. Ab Ecclesiæ regimine dicuntur *Principes*, *Præpositi Præsides Ecclesiæ*, *Antistites*, ἔφοροι: ab eminentia supra Presbyteros, *principes Sacerdotum*, *summi Pontifices*, *sumi Sacerdotes*. Frequenter etiam appellantur *Patres Patrum* & *Patres Episcoporum*: idque vel quia Patres gignerent per ordinationem, vel propter singularem meritorum, aut sedis eminentiam, qua eorum nonnulli donabantur. Commune omnibus etiam fuit nomen *Papa*: nec enim aliud denotat, nisi Patrem. Vocantur quoque *Vicarii Christi*, quod vices Christi in Ecclesia gerunt; & *angeli Ecclesiarum*. Quæ omnia nomina veterum adductis monumentis Binghamus (*d*) recenset.

Plenitudo sacerdotii in episcopatu continetur.

§. III. Jam omnem sacerdotii plenitudinem in se continet episcopatus. Nulli (I) dubium esse potest, quin humanæ naturæ consors factus Dei Filius & universam a Patre acceperit sacerdotii plenitudinem, & in sinum Patris reversurus Apostolis infuderit suis. *Sicut misit me vivens Pater, ita mitto vos*. Quumque episcopatus nihil aliud sit, quam ipsum Christi sacerdotium per Apostolos in Ecclesia propagatum; plenitudinem omnem sacerdotii amplectatur oportet. Concors porro (II) est universæ antiquitatis sententia, quæ in episcopatu omnem sacerdotii ubertatem adgnoscit & prædicat. Omnes Patres Episcopos tanquam *summos* sistunt *Sacerdotes*. Ignatius Martyr eis Christi adpingit personam *e*): *revereantur omnes Episcopum, ut Jesum Christum existentem filium Patris*. Ex æquo omnibus idem sacerdotium tribuit Cyprianus (*f*), *episcopatus unus est, cujus singuli in solidum partem tenent*. Et Hieronymus (*g*) omnes ejusdem meriti & sacerdotii esse pronunciat: *ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegi, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem est meriti, ejusdem est sacerdotii.*

Epis-

(*a*) Ad Philip. II. 28., Theodor. comm. in 1. ad Timoth. III. 1.
(*b*) Auctor. comm. in epist. Pauli ap. Amalar. lib. II. de offic. Eccles. c. 33.
(*c*) Cyprian. epist. XLV. ad Cornel.
(*d*) Lib. II. orig. eccles. cap. 2.
(*e*) Epist. ad Trall.
(*f*) De unit. Eccles.
(*g*) Epist. LXXXV. ad Evagrium, Can. XXIV. D. 93.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Episcopatus recta a Christo in Episcopos derivatur.

§. IV. Plenitudo autem ista sacerdotii non a Romano Pontifice, sed a Christo in Episcopos derivatur. Primatum inter Apostolos Christus Petro dedit, ut Ecclesia una monstraretur: non ut inde spiritualis potestatis emanaret plenitudo. Sane (I) quum Apostoli recta a Christo episcopatum ejusque plenitudinem acceperit, eaque instructi sibi constituerint successores; in novos ordinatos eadem, quam a Christo acceperant, transfuderunt plenitudinem. Vix est, ut alias Episcopi sint Apostolorum successores. Porro (II) disertis constat Pauli verbis regimen Ecclesiarum *per Spiritum sanctum* Episcopis demandari, quod argumentum majorem vim habet, si apud Paulum nomine Episcoporum meri Presbyteri intelligantur. Tota demum (III) clamat antiquitas, sacerdotii plenitudinem a Christo in Episcopos transfundi. *Episcopos*, scribit Cyprianus (*a*), *Ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos.* Et Clarus a Mascula Episcopus in Concilio Carthaginense, *manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolis mittentis, & ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.* Et Pacianus (*b*), *quare sibi baptizamus, ad pœnitentiam cogimus, sive veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus.* Adfirmant quidem ex veteribus Patribus nonnulli, in primis Optatus (*c*), Gregorius Nyssenus & Leo Magnus (*d*), per Petrum cæteris Apostolis cælorum claves fuisse transfusas, non tamen eorum sententia est, per Petrum Apostolos potestatem accepisse suam, quum ex Evangelio constet, eos ab ipso Christo clavibus regni cælorum solidaque potestate fuisse donatos; sed tantum innuere voluerunt, Apostolis communicatas claves indivulsa consensione & charitate cum capite esse administrandas, ut Ecclesia una monstraretur. Et certe Patres per Petrum communicandas Apostolis claves adserentes, dubio procul promissionem Christi de dandis Petro clavibus spectarunt. Petro autem claves tribuens Christus ad Ecclesiæ unitatem commostrandam Apostolos complexus est universos: quod constanter docuerunt Patres, Cyprianus (*e*), Hieronymus (*f*), & in primis Augustinus, qui centies inculcat, Petrum *quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significasse* (*g*). Ipse Optatus, qui claves cæteris communicandas Petrum scripsit accepisse, mox subjungit verba Christi, quamvis Petro directa, omnibus fuisse communia.

(*a*) Epist. LXIII.
(*b*) Epist. III.
(*c*) Lib. VII. contra Parmenian.
(*d*) Serm. III. anniver. assumt. suæ cap. 1.
(*e*) De unit. Eccles.
(*f*) Lib. advers. Lovin. cap. 14.
(*g*) Tract. L. in Jo. & serm. de quatuor quæstionib.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nia. Nec minus diserte Pacianus (*a*), *ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ut unitatem fundaret in uno. Mox idipsum in commune præcipiens.* Formula quoque, qua Episcopi se *Dei et apostolicæ sedis gratia* Episcopos inscribunt, melioribus sæculis incognita est (*b*), tantumque secundum præsentem disciplinam significare potest, hujus alteriusve Episcopi vocationem per Romanum Pontificem Deum operari.

Episcopis Ecclesiæ regendæ competit potestas.

§. V. Jam Episcopis competit potestas, qua jure suo sacra omnia obeunt munera, & gladium exercent spiritualem. Est episcopatus plenitudo sacerdotii, qua universa spiritualis potestas continetur. Et Apostolos & eorum in episcopatu successores eadem potestate, qua ipse a Patre missus erat, Christus misit. Unus ex Canonibus vulgo dictis apostolicis (*c*), Episcopum eum esse dicit, *cujus fidei populus, est creditus, & a quo pro animabus ratio exigetur.* Similiter Patres Antiocheni (*d*) Episcopo omnem populum adserunt creditum, & eorum, qui in Ecclesiam conveniunt, animas. Omnibus Episcopis Augustinus communem facit *speculam pastoralem* (*e*). Et quamvis multitudo officiorum fecerit, ut episcopalis potestas in plures rivulos dispergeretur; non tamen quidquam de fontis plenitudine decessit. Inferiores Sacerdotes Episcopi vices implere intelliguntur, advocati in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quod adeo verum est, ut constans sit Ecclesiæ sententia, non debere inferiores ministros quidquam eorum, quæ ad Ecclesiam spectant, sine Episcopo operari.

Potestas episcopalis alia ordinis, *alia* jurisdictionis.

§. VI. Passim in episcopali potestate ea, quæ *ordinis* sunt a *jurisdictione* dispescunt. Spectat potestas *ordinis* ea, quæ characterem requirunt episcopalem, *jurisdictio* vero externam Ecclesiæ politiam & administrationem. Invexit distinctionem istam potestatis episcopalis separata ab ordinatione Episcoporum confirmatio. Quum enim inde a multis sæculis sola electionis confirmatio pastorem Ecclesiæ constituat; tanquam necessarium consequens inductum, posse confirmatum Ecclesiam in omnibus administrare, iis tantum exceptis, quæ ἀμίσως ab ordinatione dimanabant. Quæ disciplina, ut observat Espenius (*f*), parum cum natura sacerdotii videtur convenire; vix enim videtur congruum, ut, qui modum Christi sacerdotii particeps est, Ecclesiam, tanquam pastor, administret. Certe ignotum veteribus fuit,

(*a*) Epist. III.
(*b*) Thomas. part. I. de benef. lib. 1. cap. 60.
(*c*) Can. XXXVIII.
(*d*) Can. XXIV.
(*e*) Contr. epist. Pelag. in præf. ad Bonif.
(*f*) Part. I. tit. 14. cap. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

fuit, posse aliquem jure proprio quidquam ex sacris functionibus exercere ante acceptum sacerdotium, unde omnen spiritualem potestatem recte statuebant emanare.

Distinctio legis diœcesanæ *a* lege jurisdictionis.

§. VII. Jam Episcopi in universam diœcesim potestas in Canonibus & Decretalibus adpellatur *jus diœcesanum*, *& lex diœcesana*, quasi quæ ambitu diœcesis coercetur (*a*). Ita *lex diœcesana* eadem est cum Episcopi jurisdictione (*b*). Verum lapsu temporis *lex diœcesana* a *lege jurisdictionis* distincta est: cœpitque nomine legis jurisdictionis intelligi potestas ordinis & juris dicundi; nomine vero *legis diœcesanæ* potestas in res ecclesiasticas & jura Episcopo debita, qualia *cathedraticum*, *synodaticum*, similia. Hanc distinctionem commenti glossatores, qui observantes in antiquis Canonibus, bona monasteriis oblata subinde vel ab oneribus Episcopis debitis liberari (*c*), vel eximi ab episcopali potestate, & quidem sub ea formuli, quam adhibet Synodus Ilerdensis (*d*), *in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur*, salva interim Episcopis in monachos spirituali potestate; ad onera restrinxerunt, *legem diœcesanam*, *legem* vero *jurisdictionis* ad alias episcopalis potestatis partes retulerunt: & porro concluserunt a *lege diœcesana* libera esse omnia monasteria, non vero a *lege jurisdictionis*, nisi speciali privilegio a *jurisdictione* obtinuerint immunitatem. Sed dupliciter peccarunt; & contra Canonum mentem ad onera *legem diœcesanam* restringentes, & generatim ab omnibus juribus Episcopo debitis immunia asserentes monasteria. Et sane quando Canones asserunt, oblationes monasteriis factas non debere ab *Episcopis in nullo lege diœcesana* contingi, non *legem diœcesanam* ad jura restringunt, sed tantum asserunt Episcopi jurisdictionem ad oblationes, ob immunitatem alicubi indultam, non extendi: & deinde nullus exstat Canon, quo generaliter a juribus episcopalibus immunia declarentur monasteria: quod ipse adgnoscit Gratianus (*e*). Semel inductam distintionem Innocentius IV. primus videtur confirmasse (*f*). Alia porro ratione in gratiam quoque monachorum a *lege diœcesana jurisdictionem* Honorius III. distinxit. Etenim ad *legem diœcesanam* omne sacrum retulit imperium præter *citationem*, *examinationem & decisionem quæstionis*, *& emendas*, quæ simplici tribuit *jurisdictioni* (*g*). Quæ quum ita sint, facile intelligitur, cur in definiendis *lege diœcesana & jurisdictione* inter interpretes non conveniat, quod nempe multi Honorium III., alii sequantur glossatores.

Dis-

(*a*) Can. I. c. 10. q. 1. Can. XXXIV. c. 16 q. 1. cap. IX. ext. de minorit & obedien.
(*b*) Florens in cap. auditis ex. de præscript.
(*c*) Can. VIII. c. 10. q 3. Can. XLII. c. 17. q. 4.
(*d*) Can. XXXIV. c. 16. q. 1.
(*e*) Ad Can. XXIX. c. 18. q. 2.
(*f*) Cap. I de V. S. in 6.
(*g*) Cap. XVIII. ex. de off. jud. ordin.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Episcopalis potestas ordinis causa certis finibus inclusa.

§. VIII. Quidquid vero hujus distinctionis sit, potestas omnis episcopalis origine sua nulla locorum & personarum distinctione coercetur. Apostolos in mundum universum ad Evangelium prædicandum Christus misit (*a*). In eandem vineam multi missi sunt laborantes. Unde origine sua episcopatus unus est, Episcoporum multorum concordi universitate diffusus. *Nemo*, inquit Cyprianus (*b*), *fraternitatem seducat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat, episcopatus unus est, cujus a singulis pars in solidum tenetur.* Id porro confirmatur ex natura Ecclesiæ, quæ licet catholica sit, una tamen semper manet, Sacerdotum glutine copulata. Verum quoniam isthæc in solidum administrandæ Ecclesiæ forma confusionem in Christi corpus inducebat, maxime quod Episcopi in regimen Ecclesiarum, non in charitatem Apostolorum succederent; & re ecclesiastica visum fuit, singulorum Episcoporum potestatem certis includere limitibus, quos ultra suam potestatem exercere vetarentur. Ita, quemadmodum docet Cyprianus, *singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet.* Hujusmodi Ecclesiarum circumscripti limites ipsis Apostolis viventibus cœperunt induci: quod alias observavimus.

Explicatur vox paroecia.

§. IX. Fines autem, quibus Episcoporum includitur potestas, nomine *parœciæ* passim designantur. In quatuor priorum sæculorum monumentis fere *parœcia* solos denotat episcopatus (*c*), fuitque prorsus ejusdem significationis ac πρόαστια, *suburbia*, quæ vicos omnes uni civitati contributos, quamvis ab ea longum distarent, continebant (*d*). Verum quarto sæculo in uno episcopatu pluribus constitutis inferioribus Ecclesiis, *parœcia*, retenta episcopatus significatione, & has inferiores adprehendit Ecclesias (*e*). Quin, quod mirum videri potest, & provinciæ & plurium provinciarum tractus aliquando etiam *parœciæ* nomine veniunt (*f*). Omnes istas paroeciæ notiones forsan complexi sunt Patres Chalcedonenses statuentes (*g*), ut civiles & publicas formas τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν *ecclesiasticarum parœciarum* ordo consequatur. Ita vagam *parœciæ* notionem vocis induxit proprietas, quæ observantibus Filesaco (*h*), Zieglero (*i*) aliisque, plurium

(*a*) Marc. XVI. 15.
(*b*) Lib. de unit. eccles. Can. XVIII. c. 24. q. 1.
(*c*) Conc. Ancyr. Can. XVIII., Antioch. Can. IX., Euseb. lib. II. cap. 24., Hieron. epist. LIII. ad Ripar.
(*d*) Bing. lib. IX. orig. eccles. cap. 2. §. 3.
(*e*) Hieron. contra Vigilant. cap. II. Conc. Chalc. Can. XVII.
(*f*) Cangius in glossar. v. *Parochia* in addit.
(*g*) Can. XVII.
(*h*) De orig. paroec. cap. 1.
(*i*) Ad jus can. de Roye lib. II. tit. 14.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rium domorum viciniam & circumhabitationem denotat. Nam & qui in ædibus contiguis sub paroeco, & qui in locis & civitatibus inter se vinculis civilibus, vel religionis connexis inhabitant, recte dicuntur commorari. *Parœciæ* loco frequenter in monumentis Ecclesiæ latinæ occurrit *parochia*, quæ vox quamvis observante Budæo (*a*) barbara sit, adsiduo tamen usu consecrata, etiam a politioribus adhibetur.

Explicatur vox diœcesis.

§. X. Ab eo tempore, quo *parœcia* Ecclesias sub Episcopis constitutas adprehendit, ad episcopatus significandos vox *diœcesis* cœpit adhiberi. Apud Græcos & in legibus civilibus tractum plurium provinciarium sub una metropoli positarum semper denotat *diœcesis*; at apud latinos episcopatus unius limites frequenter etiam ea voce designantur (*b*). Imo apud latinos nomine *diœcesis* etiam veniunt Ecclesiæ parochiales. Jubet Synodus Aurelianensis IV., ut si quis in agro habeat, aut postulet habere *diœcesim*, hoc est Ecclesiam in diœcesi constitutam, ei & terras & Clericos adsignet (*c*). Et longe ante Patres in collatione Carthaginense de quadam regione dixerunt, *unitas illic perfecta est, non solum in ipsa civitate, verum etiam in omnibus diœcesibus* (*d*). Et ipsa vocis proprietas fecit, ut *diœcesis* tam vario adhiberetur sensu; significat enim divisam habitationem & administrationem: quæ notio non minus sibi invicem adhærentibus provinciis, quam episcopatibus & paroeciis convenit. Unde diverso licet sensu apud latinos *diœcesis* idem sonat ac *parœcia*; & subiecta materia varias utriusque vocis distinguit & separat notiones.

Vocati Episcopi extra suas Ecclesias evangelizant.

§. XI. Semel autem circumscriptis Ecclesiarum limitibus, ad spiritualem potestatem in alienis Ecclesiis exercendam proprii pastoris auctoritas accedat, oportet: quæ constans est Canonum sententia (*e*). Speciatim Patres Antiocheni adeo exercitium spiritualis potestatis in alienis exhorrent Ecclesiis, ut omnia peracta irrita pronuncient, & Episcopum depositione coerceant (*f*). Hanc antiquam omnique tempore servatam disciplinam, pœnis tantum mutatis, confirmarunt Tridentini Patres, statuentes, Episcopum in aliena diœcesi nemine invitante *pontificalia* exercentem ab exercitio pontificalium, & ordinatos ab exsecutione ordinum ipso jure esse suspensos (*g*). Quo decreto non solum pontificalia, verum etiam actus cæ-

te-

(*a*) Ad L. ult. D. de muner.
(*b*) Can. CXVII. & Can. CXVIII. cod. Afr.
(*c*) Can. XXXIII.
(*d*) Die 1. cap. 176., Cangius in glossar. v. *diœcesis*.
(*e*) Caus. IX. q. 2.
(*f*) Can. XIII. & XXII. Conc. Antioch.
(*g*) Trid. sess. VI. de ref. cap. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

teri, qui pontificalium usum requirunt, aut jurisdictionem præseferunt, comprehenduntur (*a*). At non vetatur Episcopus extra suos fines actus voluntariæ jurisdictionis in subditos exercere suos: quales sunt collationes beneficiorum, delegationes causarum &c. Quum enim ad voluntariam jurisdictionem explicandam usu pontificalium opus non sit, nec ejus actus jurisdictionis proprie sic dictæ speciem præferant, nulla injuria ei fit, in cujus exercentur diœcesi.

Et necessitate urgente etiam non vocati.

§. XII. Disciplina de finibus non turbandis quum mero jure ecclesiastico inducta sit, locum tantum habet in casibus ordinariis; nam si salus Ecclesiæ periclitetur, pristinam potestatem induunt Episcopi, & ubique evangelizant. Salus Ecclesiæ suprema lex est ecclesiastica, & necessitate urgente jura non adstringunt humana, viresque resumit suas de uno per totam Ecclesiam episcopatu doctrina. Ad rem Cyprianus (*b*), *copiosum est corpus Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim fecere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri. Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus.* Et hinc magnus Athanasius ab exilio redux in diversis civitatibus ad Ecclesiam suam minime pertinentibus, fecit ordinationes (*c*). Periculum enim erat, ne Ecclesia obrueretur Arianismo. Et Eusebius Samosatensis, quo tempore sub Valente in fidem Nicænam gravis exardebat persecutio, militari veste indutus & tiara capiti imposita, varias provincias, Presbyteros & Diaconos ordinans & alios ordines sufficiens ecclesiasticos, peragravit (*d*).

Jure ordinario omnes Episcopo subjecti.

§. XIII. Jam in casibus ordinariis intra limites unius diœcesis coacta Episcoporum potestas, omnes, quotquot in ea reperiuntur, animas adprehendit. Quælibet enim Ecclesia pastori adhæret suo, hactenus ut extra Ecclesiam exsistant, qui cum Episcopo non sint: quæ trita est simul & vera Cypriani sententia (*e*). Ab Episcopo non pendentes congregationes Canones tanquam schismaticas traducunt, & in earum auctores severe animadvertunt (*f*. Et dum Episcopo concreditum populum asserunt Canones, neminem prorsus excipiunt (*g*). Exemptiones ab Episcoporum potestate inventa sunt poste-

(*a*) Espen part. I. tit. 16. cap. 3. n 1°.
(*b*) Epist. LXVIII. ad Stephan. al. LXVII.
(*c*) Socrat. lib 2. cap 24.
(*d*) Theodor lib 4. cap 12.
(*e*) Epist. LXX al. LXVII.
(*f*) Can apost XXXII.
(*g*) Can. apost. X., Can. XXV. Conc. Antioch.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

terioris ætatis, quæ Ecclesiæ nonnihil turbarunt pacem, quemadmodum suo loco disseremus.

CAPUT VI.

De Episcoporum officiis.

Primarium Episcopi officium est prædicatio.

§. I. Officia omnia Episcoporum ab Ecclesiæ cura dimanant, ambituque suo omnes religionis adprehendunt functiones. Nulla enim sacri Einisterii pars est, quam non continet episcopatus. Cæteri inferiores Clericî in vinea Domini laborantes, Episcoporum adjutorio esse intelliguntur, vocati potius in partem solicitudinis, quam in plenitudinem potestatis. Et primum (I) quidem, idque præcipuum Episcoporum munus est verbi Dei *prædicatio*, quo nomine quidquid ad christianorum institutionem pertinet, intelligimus, sermones nempe publice in Ecclesia habitos, privatas instructiones & epistolas ad populum erudiendum, & in fide & bonis operibus confirmandum exaratas. Ita prædicationis munus obierunt Apostoli, ita obire debent successores. Tam proprium episcopatui reputarunt Apostoli verbi ministerium, ut ad illud liberius & promtius exsequendum, mensuram & viduarum servitium, quo distinebantur, in Diaconos rejecerint. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis* (*a*). Et Paulus sine hæsitatione pronuntiavit, se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum fuisse missum (*b*). Sane quum primum christianæ religionis fundamentum sit evangelicæ doctrinæ professio, qui fieri potest, ut in Christum credatur, nisi Christus prædicetur? Fides est ex auditu. Quumque ita comparati sint homines, ut a primis institutionibus facile desciscant, ut iidem semper maneant, necesse est, ut subinde eadem inculcentur. Tam alte necessitas evangelizandi Episcopis incumbens, Patribus antiquis insederat, ut thronum Episcopi *doctrinæ* & *doctoris* sedem appellarint (*c*): nec ullam dari posse exceptionem crediderint, qua Episcopi ab onere prædicandi levarentur: quod adeo verum est, ut eos etiam non audierint, qui exemplo potius, quam verbo se prædicare dicebant. Etenim ut recte Hieronymus (*d*), *Sacerdotis innocens, sed absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet.*

Cau-

(*a*) Act. VI. 2.
(*b*) 1. ad Cor I. 17.
(*c*) Chrysost. hom. II. in Tit. Conc. VI. gener. act. XII.
(*d*) Epist. LXXXIII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Causæ intermissæ ab Episcopis prædicationis.

§. II. Feliciter per quinque priora Ecclesiæ sæcula Episcopi hanc spartam exornarunt. Nec aliud sunt Basilii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi & aliorum Episcoporum *homiliæ*, *sermones*, *tractatus*, quam conciones ad populum habitæ. Nulla missa celebrata est sine scripturarum prælectione & eam consequenti prædicatione. Sæculo deinde sexto in prædicando remissiores facti sunt Episcopi, donec paulatim conticuerint. Remissionis causam primum (I) præbuerunt barbarorum incursiones, quæ ex eo tempore in Europam frequentiores, Episcopos ab Ecclesiis suis sæpe abesse coegerunt. Inde (II) in novis per Europam constitutis dominationibus vel ratione feudorum, quibus Ecclesiæ jam erant donatæ, vel quia laici rerum peritia erant destituti, sæpe Episcopi relinquere Ecclesias, & in Imperatorum & Principum comitatu esse cogebantur, ut iis essent a consiliis. In tanta (III) porro temporum barbarie & confusione, quibus media sæcula fuerunt obruta, plerique Episcopi qualitatibus ad prædicandum necesariis, hoc est doctrina & bonis moribus, destituebantur (*a*). Nec parum (IV) Episcoporum a tractando cessationem promovit ipsa Ecclesiarum opulentia, qua factum, ut potius tanquam dignitas commodis affluens, quam ut onus angelicis humeris impar episcopatus haberetur. Tandem (V) rem perfecerunt mendicantes, qui artem prædicandi unice sectantes, & nulli certæ Ecclesiæ addicti, quocunque mittebantur, prædicabant: in quo dicendi genere quum omnium essent exercitatissimi, factum est, ut Episcopi & Parochi pœne conticuerint: quod Papirius Massonius (*b*) & Fleuryus (*c*) observarunt.

Decreta Conciliorum prædicationem inculcantia.

§. III. In tanta præcipui muneris pastoralis remissione in id unice incubuit Ecclesia, ut Episcopos ad officium revocaret. Observabat, lubricum morum & disciplinæ lapsum magnam partem ministerio verbi prætermisso originem debere suam. Defectu spiritualis alimoniæ animæ Deo moriuntur. Mediis sæculis nullum fere Concilium celebratum est, in quo de concionibus ad populum habendis tractatum non fuerit (*d*). Sed eorum pleraque magis prædicationi consuluisse, quam adegisse videntur Episcopos ad prædicandum. Statuunt enim, ut Episcopi vel per se, per vel alios ministerio verbi defungantur. Nec hanc indifferentiam Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. videtur sustulisse. Etenim quamvis decreverit, ut quo casu, præsertim in amplis diœcesibus, Episco-

(*a*) Cap. XV. ex. de offic. ordin.
(*b*) Lib. III. annal.
(*c*) Inst. jur. eccles. part. I. cap 12. n. 4.
(*d*) Thomassin. part. II. de benef. lib. 3. cap. 85.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

copi ipsi minus possint, disertos piissimosque viros ad prædicandum adsumant; inter causas tamen, quibus a prædicando Episcopi distinentur, *multiplices* etiam recenset *occupationes* (*a*). Non ita fecerunt Apostoli, qui alias omnes adjecerunt curas, ut soli fere verbi incumberent ministerio. Successit tandem Concilium Tridentinum, quo non solum pronunciatum, Episcoporum præcipuum munus esse verbi prædicationem; verum etiam per se teneri Episcopos ad prædicandum, nisi legitimo vetentur impedimento (*b*). Nec Tridentini Patres *legitime impeditos* Episcopos videntur dixisse, quos multiplices detinent occupationes.

Ad Episcopum spectat prædicatoris constitutio.

§. IV. Jam quo casu justa impedit causa, quo minus ipsi Episcopi verbi defungantur ministerio, eorum est seligere, quos mittant ad evangelizandum. Sine Episcopo nemo aliquid eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent, operetur (*c*). Generalis isthæc prohibitio, multo magis locum habet in prædicationibus instituendis, quas semper tanquam præcipuum Episcoporum munus habuit Ecclesia. Antiqua monumenta, quæ subinde Presbyteros sistunt prædicantes, semper potestate ab Episcopo accepta id factum esse testantur. Post institutas etiam parochias integra videtur stetisse Episcoporum potestas ad mittendos per omnem diœcesim prædicatores. Certe Concilium Lateranense IV. Episcopis injungens, ut quo casu ipsi minus possent, viros adsumant idoneos, quos datis alimentis, per omnem dioecesim ad prædicandum mittant, nullam Parochorum rationem habuit (*d*). Forsan mediis sæculis prædicationem, quæ præcipuum munus censebatur esse Episcoporum, necdum Parochi plerique exercebant. Et sane B. Thomas (*e*) quanquam Parochos appellet *minores Principes Ecclesiæ*; propriam tamen iis adsignat baptizandi functionem, sicut Episcopis prædicandi. Sed ab hoc jure nonnihil discesserunt Tridentini Patres, statuentes, ut in Ecclesia cathedrali, si Episcopi minus per se possint, pro libitu; in aliis vero Ecclesiis, Parochis ad prædicandum impeditis, prædicatores constituant, impensis tamen eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent (*f*). Medio inter Concilium Lateranense IV. & Tridentinum tempore ex officio certe omnes Parochi cœperant prædicare, ita tamen ut semper verum esset, primarios prædicatores esse Episcopos. Unde cessantibus Parochis, jus Episcoporum ad constituendos prædicatores vires resumit suas. Generalis est ejusmodi Tridentina constitutio, quam tamen ita acceperunt, ut consuetudini immemorabili,

(*a*) Cap. XV ex. de offic. ordin.
(*b*) Sess. XXIV. de ref cap. 4
(*c*) Ignat. martyr. epist. ad Smyrn. 8. Conc. Laodic. Can. LVII.
(*d*) Cit. cap. 15.
(*e*) B. Thom. part. III. q. 67 art. 2.
(*f*) Sess. XXIV. de ref. cap. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Regjón de Murcia

li, per alios ab Episcopis in Ecclesiis non cathedralibus prædicatores seligendi, minime derogaret, præsertim quando qui nominant, aiunt etiam prædicatores (*a*).

Episcopi etiam ad prædicandum mittunt regulares.

§. V. Jus prædicatores per diœcesim seligendi Episcopis competens, apprehendit etiam regulares. Vi privilegiorum, quæ de plenitudine pontificiæ potestatis obtinuerunt, per longam annorum seriem Episcopis restiterunt regulares, iisque invitis munia sibi adseruerunt pastoralia. Jure evangelizandi, quod sibi vindicabant regulares, in utramque partem per Patres Tridentinos expenso, decretum est, in Ecclesiis suorum ordinum licere regularibus verbi ministerio defungi, modo cum licentia suorum superiorum se Episcopis sisterent, & ab iis peterent benedictionem; in aliis vero omnibus Ecclesiis tum demum iis prædicatio permissa est, quum superiorum licentiæ Episcopi accederet auctoritas (*b*). Vix dici potest, quantopere nonnullis Patribus hoc decretum displicuerit. Gravi grandique oratione, quæ tomo XIV. Conciliorum inserta est, in illud declamavit Brachius Martellus, Episcopus Fesulanus. Inter cætera dixit, regulares in suis monasteriis prædicantes non fratribus suis & tectis & parietibus; sed christiano populo, Episcopis commisso, prædicare. Et fateri omnino necesse est, hoc decretum unum fuisse ex iis, quæ a Patribus Tridentinis extorsit temporum injuria, præsertim quod nondum frequentibus Patribus editum sit. Inde vero quum jam Episcopi frequentes convenissent, eadem materia ad examen revocata, statutum est, *ut nullus sæcularis sive regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat* (*c*). Ita tandem provisum, ut invitis pastoribus, in Christi ovile lupi non ingrediantur: quod ex primo decreto evenire nox laudatus Fesulanus declamabat (*d*).

Materia concionis utilis & apta sit.

§. VI. Quo vero Episcopi aliique verbi administri officium impleant suum, conciones ad populi ædificationem habeant, oportet. Quod non alia ratione fieri potest, quam utili selecta concionis materia, eaque apto dicendi genere pronuntiata. Et materia quidem omnino esse debet fides & morum compositio. Fide enim & charitate Ecclesia crescit, & ædificatur. Nec quemvis fidei articulum, aut quamvis christianæ morum philosophiæ partem, ut collibuerit, materiam concionibus seligant suis. Omnia enim tempestive dicant oportet, & periti medici exemplo morbis aptent medicinam. Scilicet

(*a*) Fagn. ad cap. *inter cætera* ex. de offic. ordin. n. 28.
(*b*) Trid. ses. V. de ref. cap. 2.
(*c*) Ses. XXIV. de ref. cap. 4.
(*d*) Ap. Pallavic. lib. 7. hist. Conc. Trid. cap. 4. n. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

cet non iidem ubique & omni tempore invalescunt errores, & eadem vitia succrescunt. Quanti sit, perinde ac tritici, verbi mensuram tempestive dare, & dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare, optime viderunt veteres, qui contra sui temporis errores semper declamarunt. Errores Marcionitarum, Manichæorum, Arrianorum aliorumque hæreticorum veterum concionibus materiam suppeditarunt. Sed temporis lapsu adeo scena mutata fuit, ut alia omnia adnuntiasse videri possint prædicatores, quam Jesum Christum crucifixum. Pro evangelica veritate anicularum visiones artificiose contextas ad popellum aucupandum retulerunt: qua de re merito optimi quique conquesti sunt. Utinam nostris temporibus tantæ stoliditatis non superessent vestigia!

Propria concionum elocutio.

§. VII. Selecta utilis in rem præsentem materia non artificioso & sublimi dicendi genere, sed verbis tractari debet ad vulgi captum accommodatis. Summa elegantia, nisi intelligatur, nullius est usus. Et prædicationes auditorum causa instituuntur. Athanasium summopere laudat Gregorius Nazianzenus, quod pro varia hominum conditione varia utebatur oratione, humili nempe cum humilioribus, grandi cum sublimioribus (*a*). Observat Hieronymus, simplicem esse oportere concionatoris orationem, magisque in auditoribus gemitus, quam plausus excitare. *Docente te*, inquit, *in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrimæ auditorum laudes tuæ sunt* (*b*). Effari oportet prædicatores ex corde puro, & eam artem adhibere, quam charitas & pectus rebus Dei oppletum suppeditat. Cæterum simplicitas isthæc non omnem dicendi artem excludit. Nuda veritas in intimos cordis humani recessus quandoque non penetrat, vel quia ab audiendo homines facile distrahuntur, vel quia nude proposita animos non concutit, nec ad adsentiendum impellit. Quapropter verbis claris & simplicibus prius veritate proposita, ut sentiant auditores, quid agatur, & quo ducuntur; altius adsurgant concionatores, suaviter loquantur, & affectus commoveant. Ita de auditoribus facile triumphabunt. Nam si perpetua adhibeatur declamatio, vereor ut dicentis mentem auditores adsequantur, & ita cæco impetu, quod non intelligunt, admirentur. Rectum in concionibus artis dicendi usum proponunt summi Ecclesiæ oratores Chrysostomus & Augustinus (*c*). Sed in elocutione non minus peccarunt prædicatores, quam in rebus ad prædicationem seligendis. In dicendo, nisi verborum lenocinia, flosculos sententiarum & continuas declamationes stilo concitatiori elaboratas, ad popularem captandam auram, & plausus excitandos, plerumque non quæsierunt. In-

va-

(*a*) Orat. XXI. de laud. Athanas.
(*b*) Epist. II. ad Nepot.
(*c*) Chrysost. lib. 5. de sacerd. August. lib. 4. de doctr. christ.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

vasit hoc cacoethes prædicatores ex eo tempore, quo Gregorius Nazianzenus perspicuitati antiquiorum ornatiorem & concitatiorem substituit orationem, quem eo nomine Hieronymus tacite sugillat (*a*). Ipsi horridiores scholastici in sua barbarie & squaloribus etiam hunc fucatum quæsiverunt ornatum. In tanta literarum luce nec nostris temporibus rectus artis dicendi usus in Ecclesia per omnia est restitutus.

Episcoporum quoque est Sacramenta administrare.

§. VIII. Proximum (II) Episcoporum officium est Sacramentorum administratio. Quo christiani sumus, non sufficit in Christum credere; sed insuper necesse est media ad salutem per Christum instituta, nobis exhiberi, ut ita in gratia, semel cordibus nostris infusa, stare & crescere, & deperditam possimus recuperare. Quapropter Episcoporum, ad quos cura spectat Ecclesiæ, est Sacramenta, quæ sunt media salutis, administrare. Integram hanc provinciam olim Episcopi per se procurarunt; nec, nisi Episcopis impeditis & jubentibus, Presbyteri & Diaconi Sacramenta, quæ eorum non excedunt potestatem, exhibuerunt. At temporis lapsu auctis bonis temporalibus, feudis per Ecclesiam adquisitis, & regimine politico spirituali adjecto, eorum fere Sacramentorum, quæ ab episcopali non pendent charactere, Episcopi administrationem Presbyteris demandarunt. Nec minus (III) ad officium Episcoporum pertinent rerum omnium consecrationes & benedictiones, ut chrismatis, olei sancti, Ecclesiarum, sacrarum virginum, & similium, quamvis nonnullas per Presbyteros explicent.

Et continuas fundere preces.

§. IX. Inter officia Episcoporum locum quoque (IV) sibi vindicat *oratio*. Prædicatio ab oratione sejuncta, nihil quidquam operatur, quum neque qui plantat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. Et Apostoli videntes, quod propter mensuram & viduarum curam a prædicatione & oratione distraherentur, in Diaconos ea cura abjecta viliori, sibi prædicationem & orationem reservarunt: *nos orationi & ministerio verbi instantes erimus* (*b*). Episcopos igitur totos precibus deditos esse oportet, publicas preces præire, alios ad orandum inducere, orationum formulas concipere, libros eo spectantes evulgare, receptos repurgare, publicas preces extra ordinem indicere, & orandi formulas minus pietati congruas abolere.

Offi-

(*a*) Epist. II. ad Nepot.
(*b*) Actor. VI. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Officia Episcoporum ab imperio sacro pendentia.

§. X. Ex sacro ministerio recensita Episcoporum emanant officia, quibus adnectere oportet, quæ ex sacro proficiscuntur imperio. Nempe non tantum verbi & Sacramentorum ministerium Episcopis commisit Christus, verum etiam eis dedit, ut circa sacra jus dicerent, & in sontes spirituali gladio animadverterent. Quapropter (V) Episcoporum est, quæstiones de fide & moribus in diœcesi exortas ex scripturis & traditione decidere; Canonibus ecclesiasticam constituere politiam, modo nihil universali Ecclesiæ adversum inducant; legum ecclesiasticarum veniam cum sapientia indulgere, modo ea non attentent, quæ nova disciplina Pontificibus reservavit; de criminibus ecclesiasticis judicare; pœnas infligere spirituales; &, ut verbo omnia complectar, universam sacram exercere jurisdictionem.

Nonnullarum personarum specialem curam habet Episcopus.

§. XI. Christianos omnes cura apprehendit episcopalis; at (VI) sunt quædam personæ, quarum Episcopi curam habeant, oportet, specialiorem. Tales sunt pauperes, orphani, viduæ, peregrinantes, præsertim causa religionis, aliæque miserabiles personæ. Laus Episcoporum per plura sæcula in personis curandis miserabilibus quam maxime enituit. Ipse Julianus apostata, ut ad humanitatem Sacerdotes impelleret suos, eis christianos, quos de more appellat *Galilæos*, imitandos proponit, aitque, eos hac officii specie factionem corroborasse suam (*a*). Hinc factum ut nosocomiorum, & omnium operum charitatis Episcopi sint moderatores: quamvis in hac parte eorum nonnihil oblangueat auctoritas, legibus fundationis, aut qualitatibus hospitalium Episcoporum curam excludentibus. Ad specialem Episcoporum curam pertinent quoque quotquot vitam amplexi sunt duriorem, virgines & viduæ Deo dicatæ, & vero etiam monachi, quos speciali Episcoporum curæ subjecerunt Patres Chalcedonenses (*b*): quamvis posterioribus temporibus in id unice incubuerint, ut excusso Episcoporum jugo, sedi apostolicæ subjicerentur.

Bona temporalia Ecclesiarum Episcopi procurant.

§. XII. Postulat porro (VII) cura pastoralis, ut Episcopus bonorum ecclesiasticorum curam habeat. Sunt Ecclesiarum bona patrimonium, unde pauperes vivunt, & Ecclesiarum sarctis tectis providetur. Unde Canones curæ & administrationi Episcoporum bona ecclesiastica subjecerunt. Et olim quidem bona omnia in Episcopi ærarium confluebant, unde non sine administris dispensabantur. Tum pau-

(*a*) Epist. ad Arsac.
(*b*) Conc. Chalc. Can. IV. ap. Grat. Can. XII. c. 16 q. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

paulatim in partes tributa, singulis titulis & officiis perpetuum adnexa sunt, unde nata ecclesiastica beneficia, & tot reddituum ecclesiasticorum emerserunt procuratores, quot beneficiarii. Hac stante disciplina licet ἀμίσως omnia bona ecclesiastica per Episcopos non administrentur; adhuc tamen eos veluti primarios eorum administratores habet Ecclesia. Inde vetitum, nisi adsentientibus Episcopis, bona ecclesiastica alienari: & inde Episcopi sunt beneficiorum collatores, quamvis hæc omnia ubique secundum præsentem disciplinam non obtineat.

Epsiscopi ex bono & æquo lites componunt.

§. XIII. Partes quoque (VIII) sunt Episcoporum dissidentes christianorum animos in concordiam revocare, litesque ex bono & æquo componere. Christiana religio, cujus cura est Episcopis demandata, ad charitatem inter christianos inducendam & fovendam quam maxime spectat. Id muneris ex Apostoli verbis, qui Corinthiis præcepit, ut si negotium haberent adversus aliquem, potius apud *sanctos*, quam apud *iniquos* litigarent (*a*), nonnulli Patres, & præsertim Augustinus (*b*), derivarunt. Unde sanctum, ut sanctissimi quique Episcopi, præsertim vero Ambrosius & Augustinus, summo zelo & charitate, prorsusque omni spe lucri abjecta, litigiosos homines quotidie audirent, eorumque lites potius ut arbitri, quam ut judices componentes, ad mutuam concordiam & pacem dissidentes animos revocarent. Hanc piam & vere christianam litium dirimendarum rationem perspicientes christiani Principes, legibus confirmarunt suis, modo ex consensu litigantes Episcopos adirent, (*c*). Sed temporis lapsu quas lites Episcopi ut arbitri componebant, per formulas forenses ut judices decidere cœperunt: unde factum ut in causis laicorum episcopalia cessarint arbitria.

Episcopi apud magistratus pro reis intercedebant.

§. XIV. Non postrema (IX) officii episcopalis pars olim fuit pro reis capite; aut alia graviori pœna damnatis, ad eorum liberationem, aut pœnarum mitigationem apud civiles magistratus intercedere. Statuerunt Patres Sardicenses reis exilio, deportatione, aut simili pœna damnatis, qui *egent misericordia*, & ad Ecclesiam confugiunt, auxilium ab Episcopis non esse denegandum, & veniam sine cunctationem petendam (*d*). Eluxit hac in parte officii pastoralis zelus Ambrosii & Augustini, qui sæpe suorum temporum magistratus, ad veniam reis implorandam, convenerunt (*e*).

Tri-

(*a*) 1. ad. Cor. VI.
(*b*) Serm. XXIV. in psal. 118.
(*c*) L. VII. & VIII. C. de epist. aud.
(*d*) Concil. Sardic. Can. VII.
(*e*) Paulin. in vit. Ambros., August. epist. CLIX. & CLX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Tritissimum erat quarto sæculo pro reis apud magistratus Episcopos deprecari, hactenus ut nonnulli latissime sibi accipiendos putarent magistratus, ad eorum facilitatem & benevolentiam promerendam, quam perversam agendi rationem merito perstrinxit Hieronymus, quod *judex sæculi plus deferet clerico continenti, quam diviti, & magis sanctitatem* ejus *admirabitur, quam opes* (*a*). Hac autem intercessione Episcopi, non scelestissimorum hominum ad reipublicæ eversionem sumebant patrocinium; sed tantum eorum saluti spirituali providebant, spatiumque, remissa pœna, procurabant ad pœnitentiam (*b*). Unde intercessio veluti curæ spiritualis, Episcopis competentis, consectarium reputabatur. Nec pro omnibus reis intercesserunt, sed in casibus, quibus crimina miseratione digna videbantur, & indulgentia manifeste in Ecclesiæ cedebat honorem, ut quum circumcellionibus ob homicidium quorundam Clericorum convictis, & capite damnatis, vitam a magistratibus, per omnia sacra eos adjurans, Augustinus impetrabat (*c*). Nolebat passiones servorum Dei sanguine suorum inimicorum fœdari. Rei quoque pœna civili liberati, publicam tenebantur subire pœnitentiam, cujus labores tot tamque diuturni erant, ut non immerito pro capitali pœna, tanquam mors quædam importunior, suponi possent (*d*). Inde usque a multis sæculis ab intercessionibus abstinent Episcopi; partim quod in abusus & vim apertam degeneraverant (*e*), partim etiam quod in novis dominationibus fuerunt interruptæ, ut mittam quod non ea sanctitate & meritis plerumque fuerunt posterioris ætatis Episcopi, ut civiles commoverent magistratus. Sed de plerisque hactenus recensitis Episcoporum officiis suis locis fusius disseremus.

CAPUT VII.

De visitatione diœcesis.

Visitatio diœcesis descendit a cura pastorali.

§. I. Inter officia Episcoporum censetur etiam frequens parœciarum perlustratio. Cura enim pastoralis omnes ambitu diœcesis inclusas complectitur Ecclesias, & nisi medici ægrotos conveniat, aptat m morbis non adhibebunt medicinam. Sanctissimi quique episcopi ab eo tempore, quo in vicis parœciæ fuerunt constitutæ, ad munus pastorale semper pertinere putarunt frequentes diœcesis lustrationes; hactenus ut Augustinus intelligens se non posse sæpe cas-

(*a*) Epist II. ad Nepotian.
(*b*) Ambros. epist XXV. August. epist. CLIII. ad. Macedon.
(*c*) August. cit. epist. CLX. ad Apringium.
(*d*) Espen diss de asylo temp. cap. 1.
(*e*) L. XVI. C. Th. de pœnis.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

castrum invisere Fusalense, quod Hippone milliaribus quadraginta sejungebatur, novam ibi curarit cathedram constituendam (*a*). In diœcesibus circumeundis suis Episcopos pro modo suo imitari oportet Apostolos, qui ad animas Christo lucrandas totum peragrabant orbem.

Per se, aut per alios Episcopi parœciam visitant.

§. II. Per se autem debent Episcopi visitatione defungi, quod antiqui pariter ac recentiores Canones decernunt (*b*). Nisi proprius pastor frequens oves invisat, periculum est, ne illæ negligantur & pereant. Detentis autem valetudinibus, aut aliis occupationibus implicatis Episcopis, iidem Canones, qui Ecclesias per Episcopos jubent visitari, iis permittunt tantam provinciam aliis demandare. Quæ enim officii sunt nostri, nobis explicare non valentibus, subinde per alios explicamus. Sæculo quarto alicubi apud Orientales ad Ecclesias invisendas stabile fixumque institutum videtur officium quique eo donabantur *περιοδευται circulatores* dicti, nulli, observante Zonara, Ecclesiæ erant addicti, ut sollicitudine sua complecterentur universas. Abolitis enim per Synodum Laodicenam chorepiscopis, & ob continua cum Arianis certamina Episcopis ad parœcias invisendas impeditis; non abs re visum fuit officium *περιοδευτὴ* instituere, quo ii ad visitationes uterentur (*c*). Sed Ecclesia latina hujusmodi stabile visitatiores officium ignoravit, voluitque, impeditos ad visitandum Episcopos, in eam rem opera Presbyterorum, Diaconorum (*d*), aut archidiaconorum (*e*) & decanorum uni. Quicumque vero essent, qui ad diœceses invisendas mittebantur, semper Episcoporum sustinuerunt vices, donec Episcoporum negligentia archidiaconorum & decanorum universa vicaria jurisdictio, ac per consequens etiam potestas visitandi, evaserit ordinaria. Hinc mediis sæculis archidiaconi & decani aliis mandare visitationem consueverunt, non secus ac ordinarii judices jurisdictionem mandant suam. Fecit quidem inde archidiaconorum insolentia, ut de iis in antiquam sortem redigendis serio Episcopi cogitarent; quamvis non ubique rem perficere potuerint. In aliquibus enim Ecclesiis tempore Concilii Tridentini stabat adhuc archidiaconorum & decanorum ordinaria visitandi potestas, quam Patres ad augustos reduxerunt fines, statuentes, ut deinceps notario de consensu Episcopi adsumpto, per seipsos tantum Ecclesias invisant, & unius mensis spatio acta visitationis ad Episcopos transmittant (*f*): quod & de aliis visitatoribus Decretum est.

Fi-

(*a*) Aug. spist. XXLXI.
(*b*) Conc. Tolet. IV. Can. XXXV., ap. Grat. Can. XI. c. 10. q. 1., Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3.
(*c*) Conc. Laodic. Can. LVII.
(*d*) Cit. Can. XXXV. Conc. Tolet. IV.
(*e*) Cap. I ex. de off. archid.
(*f*) Sess. XXXIV. de ref. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Finis visitationis doctrinæ & politiæ restitutio.

§. III. Jam visitationis ecclesiasticæ finis alius esse non potest, quam inductio sanæ doctrinæ, ecclesiasticæ disciplinæ restitutio, morum compositio, & totius pastoralis muneris explicatio. Instituuntur visitationes pro bono Ecclesiarum, non Episcoporum. Id recte intellexit Augustinus, qui frequentibus ad castrum Fussalense itineribus, ejus cives schismate Donatistarum infectos ad catholicam fidem reduxit. Similiter Theodoretus diœcesim lustrans suam, quæ octingentis constabat paroeciis, omnibus hæreticis erroribus eam liberavit. Singula visitationis capita recensent, sacri Canones, quæ ad doctrinam, mores, disciplinam referuntur *a*). Nullibi vero & distinctius proponuntur, quam in formulis *inquisitionum* a Reginone compositis, quæ ad rite instituendas visitationes visitatioribus inserviebant.

Episcopi visitantes Synodos *cogebant.*

§. IV. Quo vero constare posset de abusibus extirpandis, solemne fuit Episcopis visitantibus mistos indicere conventus, in quos Clerici, nobiles & laici ejus regionis convenirent. Hos conventus *Synodos* a Reginone appellatos (*b*), pro more suæ ætatis *placita* dixerat Hincmarus Rhemensis. Erant *placita* conventus generales, in quibus de rebus ad salutem publicam pertinentibus deliberationes instituebantur (*c*). Synodo jam coacta Episcopus residens de vita Clericorum generale plebis testimonium exquirebat, de moribus laicorum interogabat, & ex optimis quibusque viris septem seligebat testes dictos *synodales*, quos jurejurando obstrictos, de sceleribus, quibus scatebat paroecia, & de clericorum & laicorum officiis sigillatim interrogabat, ut constat ex formulis Reginonis. Temporis lapsu placita in desuetudinem abierunt, nec testes synodales ab Episcopis visitantibus seliguntur, tantumque sine coactione & jurejurando de omnibus, quæ pertinent ad visitationem, inquiritur: quod ab Innocentio IV. statutum est (*d*).

Visitant Episcopi res omnes & personas diœcesis.

§. V. Jam quantum ad ea, quæ subsunt visitationi id generaliter tenendum est, natura sua personas & res omnes diœcesis, quatenus tamen spectant ad religionem, subjici visitationi. Etenim tam late patet visitatio, quam cura pastoralis. Non ob alium finem Episcopi paroecias lustrant suas, quam ut sanam doctrinam inducant, vitia evellant, & ecclesiasticam foveant & restituant disci-

pli-

(*a*) Capitul. reg. Franc. lib. 7. cap. 94., Trid. ses. XXIV. de ref. cap. 3.
(*b*) Lib. II. de eccles. discipl. cap. 1.
(*c*) Hincm. de ordin. palat. cap. 29.
(*d*) Cap. I. §. 4. de censib. in 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

plinam. Hinc ratione personarum nemo est, qui spiritualem Episcopi visitantis curam potest declinare, inquirunt, emendantque pœnis spiritualibus Episcopi omnia crimina, quæ per loca committuntur. Speciatim vero ad Clericos, monachos & alias miserabiles personas spectat Episcopi visitantis sollicitudo. Et quantum ad monachos, quorum vita continua ascesis est, statuit Synodus Aurelianensis, ut *non semel, sed sæpius in anno Episcopi visitent monasteria monachorum* (*a*). Et Gregorius M. Episcoporum permissit arbitrio, ut quoties placuerit, ad monasteria visitandi exhortandique causa accedant (*b*). Nec tantum personas, verum etiam Ecclesias omnes, earumque bona Episcopis visitantibus subsunt. Quin etiam hospitalia aliaque loca pia Episcopi visitant. Utraque enim potestas ecclesiastica & civilis curam hospitalium Episcopis demandavit (*c*).

Sed jure novo visitant exemtos potestate delegata.

§. VI. Hæc autem tam late patens Episcopi visitantis potestas lapsu temporis multum decrevit, inductis monachorum, capitulorum, ecclesiarum, hospitalium, quin etiam singularum personarum a jurisdictione Episcoporum exentionibus. Hinc lapsa monachorum disciplina, passimque morum pravitate exepmti infecti omnes, dum tam longe aberat, qui poterat, arguere. Tantis malis pluries occursum est, sed nunquam efficaci medicina. In comitiis tandem Tridentinis de restituenda Episcoporum jurisdictione, & abolendis exepmtionibus magnis animis tractatum est. Et res quidem quamvis ex sententia meliorum non ceciderit; sic tamen multis editis decretis composita est, ut salvis exemptionibus integra fere restituta, fuerit Episcoporum visitantium potestas. Scilicet cautum in primis est, ut Episcopi visitarent capitula omnia quantumvis exepmta (*d*), beneficia omnia ecclesiastica curata unita, & Ecclesias omnes sæculares & regulares, etiamsi sæculares *nullius* esse dicantur (*e*), nec non monasteria commendata, in quibus non viget regularis disciplina, & beneficia omnia tam curata, quam non curata sæcularia vel regularia, qualitercunque commendata (*f*). Porro Episcopis datum visitare monasteria in societatem non adunata, quæ sub immediata sedis apostolicæ protectione regi consueverunt (*g*), & Clericos omnes exepmtos & monachos extra monasterium degentes, quo casu delinquerent (*h*). Item Episcopis facta est potestas visitandi

(*a*) Can XXIX. c. 18. q. 2.
(*b*) Can. XXVIII. eod.
(*c*) Conc. Chalc. Can VIII., L. XLVI. §. 3. c. de episc.
(*d*) Trid ses. V. de ref. cap. 4.
(*e*) Trid. ses. VII. de ref. cap 7. & 8., & ses. XXI. de ref. cap. 9.
(*f*) Ses. XXI. de ref. cap. 8.
(*g*) Trid. ses XXV. de regul. cap. 8.
(*h*) Trid. ses. VI. de ref. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

di hospitalia & collegia quæcunque & confraternitates laicorum, non tamen quæ sub Regum immediata potestate sunt, sine eorum licentia, & pia omnia loca, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat (*a*): quo decreto non comprehendi hospitalia & alia loca pia, quæ privata auctoritate fundata sunt, Fagnanus tradit (*b*). Quo vero integra in exemptos Pontifici potestas esset, in plerisque ex recensitis decretis additæ sunt formulæ salutares, ut Episcopi *tanquam delegati apostolicæ sedis*, vel *etiam auctoritate apostolica* visitarent, quarum formularum prima tantum delegata potestate Episcopis facere videtur visitandi potestatem, altera vero apostolicam auctoritatem episcopali adjungit. Decretum de visitandis hospitalibus aliisque locis piis in plerisque provinciis ad verbum admissum non fuit; at apud nos, pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium olim Regem nostrum, in spiritualibus tantum datur Episcopis Ecclesias, extauritas, capellas, confraternitates & alia loca pia per laicos gubernata visitare (*c*).

Visitatio quotannis est facienda.

§. VII. Jam Episcopi munere non defunguntur suo, si semel tantum in vita parœciam lustrent. Inductio sanæ doctrinæ & abusuum exstirpatio certe non est opus unius visitationis. Quoties visum fuerat parœcias circumibant suas Episcopi antiquiores: nec olim Ecclesia ad visitationem tempus præscripsit. Inde forsan in visitando Episcopis factis tardioribus, singulis annis visitationes institui varii decreverunt Canones, quos confirmantes Tridentini Patres, subrogarunt, omnino biennio circumiri parœciam, quo casu ejus amplitudo vetet, quo minus integra anno visitetur (*d*). Quod si Episcopi frequentiores visitationes adgnoscant necessarias, plures singulis annis instituent. Mens sacrorum Canonum est, ne ultra annum visitatio differatur, nec vetant, ut etiam frequentius fiat. Quo frequentius medici ægrotos invisunt, eo facilius morbis quærunt medicinam.

Procurationum origo.

§. VIII. Jam Episcopis visitantibus debentur *procurationes*, quo nomine intelligimus sumptus ad frugalem victum necessarios; procurare enim apud latinos quandoque est cibaria præbere. In mediæ ætatis monumentis iisdem donantur nominibus, quibus apellantur cibaria, Principibus, aut dominis feudorum iter facientibus, jure debita, dicuntur enim, *mansiones*, nempe, & *paratæ*, hoc est hospitium & cibaria, *circata*, *circatus*, a *circatu*, hoc est, visitatione, *cir-*

(*a*) Trid. ses. XXII. de ref cap. 8.
(*b*) Ad cap. 4. ex. de relig. domib. n. 44.
(*c*) Concord cap. 5. art. 1.
(*d*) Ses. XXIV. de ref. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

circuitionis obsonia, *comestiones*, *mansionatica*, & *servitium* (*a*). Passim ab eo jure, quo laborantibus præstari oportet alimenta, interpretes nostri repetunt procurationum necessitatem. Justum est, ut qui Evangelio servit, de Evangelio vivat. Et certe ita sentire oporteret, si statis perpetuisque reditibus non essent donati episcopatus. Verum quum procurationes mediis invaluerint sæculis, quibus propriis reditibus erant donati episcopatus, certique juris erat de bonis ecclesiasticis Clericos, quibus aliunde erat ad vitam satis, vivere non posse, potius ab imperio sacro, & institutione beneficiorum, quæ naturam sapiunt feudorum, videntur repetendæ. Vulgatum est, *mansiones & paratas*, ut olim vocabantur, hoc est hospitium & cibaria, subditis & vassallis incubuisse in signum subjectionis & fidelitatis, Principe, ejusque ministris, vel domino feudi iter facientibus, vel in locum quendam adventantibus, quod Hieronymus Bignonius (*b*), Cangius (*c*) aliique observarunt. Quum vero imperium sacrum in totam diœcesim exercerent Episcopi, & bona ecclesiastica jure quodam feudi beneficiariis contulissent; factum est, ut a monachis, Clericis, locisque piis exigerent procurationes. Inferiores esse noluerunt dominis temporalibus, qui in signum subjectionis & fidelitatis procurationes exigebant. Multa sunt, quæ hanc esse procurationum originem videntur demonstrare. Procurationes inter *jura episcopalia*, hoc est quæ ab imperio sacro fluunt, Innocentius III. recenset (*d*), easque *procurationis* appellat *obsequium* (*e*); passimque in mediæ ætatis monumentis nominibus civilibus designantur. Inde nata doctrina magis in *signum* & *professionem subjectionis*, quam *visitationis operam* procurationes deberi (*f*), & inde etiam forsan Gregorius IX. *censuum*, *exactionum & procurationum* in unum titulum congessit tractationem.

Abusus in procurationibus mediis sæculis qui emendati.

§. IX. Quidquid vero sit de prima procurationum origine, certi tamen juris est, procurationes debere esse frugales, ut pastores decet animarum, qui non sibi, sed Ecclesiis diœceses perlustrant. At mediis sæculis visitatorum rapacitate, fastu, gula immane quantum excreverunt procurationes. Nam Episcopi, non ut pastores animarum, modico stipati comitatu, Ecclesias circumibant, sed ut belli duces, magno equitum apparatu superbientes, additis canibus venatoriis & avibus, tanquam si ad venandum, non ad evangelizandum prodirent. Immanibus igitur opus erat sumptibus, adeo ut subinde ad egestatem Ecclesias visitationes reduxerint (*g*), coactique subinde fuerint subditi ad Episcopos procurandos ipsa Ecclesiarum divendere ornamen-

ta

(*a*) Bohemerus lib. 3. I. E tit. 39. §. 89.
(*b*) Not. in lib. 1. Marculfi. cap. 3.
(*c*) Gloss. v. *procuratio*.
(*d*) Cap. XIX. ex de censit.
(*e*) Cap. XVII. eod.
(*f*) Altaserra diss. de jur. canon. lib. 4. cap. 5.
(*g*) Can. VIII. C. 10. q. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ta (*a*). Variis editis Canonibus tantæ rapacitati mediis sæculis obviam ivit Ecclesia (*b*). Celebre est ea de re decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III., quod, præmisso Apostolum se & suos manibus sustentasse suis, ut locum prædicandi Pseudo-Apostolis auferret, & Ecclesiis gravis non exsisteret, vetat quidem canes venatorios & aves, & in cibis præcipit frugalitatem, sed pro comitatu Archiepiscopis paroecias visitantibus pro diversitate provinciarum & facultatibus Ecclesiarum quinquaginta aut quadraginta *evectiones*, hoc est equos, permittit, Episcopis vero triginta vel viginti, cardinalibus, qui nondum tanta aucti erant dignitate, vigintiquinque, archidiaconis septem vel quinque, duos vero decanis (*c*). Ad hunc modum reductas procurationes inde Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. etiam probavit & admissit (*d*). Admirationi profecto est, cur patres præfati, Apostolum se suosque propriis sustentasse manibus, inde tan enormem pompam visitatoribus permittant. Sed (I) adeo excreverat visitatorum pompa, ut ad eum modum redigi esset Ecclesiis consuluisse, quod demonstrat Concilium Lateranense IV., quod sic reductas evectiones equorum dixit *mediocritatem*. Deinde (II) potius tempori servientes & tolerantes, quam probantes tam enormem pompam Patres decreverunt, quod expresse sub decreti finem edicunt. Intuta (III) porro ea tempestate ob continua bella privata erant itinera, nec facile poterant visitatores paroecias circumire, quin in discrimen se conjicerent, nisi armato milite cincti incederent. Paroecias (IV) quoque visitantes ubique ex suggestu Episcopi jus dicebant, lites dirimebant, pœnitentias publicas, multas pecuniarias in multis causis in Clericos, non minus quam in Laicos indicebant. Cui episcopali jurisdictioni cum sæpe domini temporales contradicerent, ad eam tuendam militum cuneo Episcopis opus erat (*e*).

Synodus Tridentina reduxit procurationes ad frugalitatem.

§. X. Post hanc moderationem a Concilio Lateranensi probatam variis per sequentes Pontifices editis constitutionibus variam fortunam subierunt procurationes, donec tandem ad rectos limites eas Tridentini Patres redegerunt (*f*). Statuerunt enim, ut Episcopi modesto comitatu visitationes instituant, nihil muneris, nec sponte dati, occasione visitationis accipiant, exceptis puris victualibus, quæ *frugaliter moderateque* Episcopo & suis, pro temporum tantum necessitate, erunt ministranda. Ita renovarunt Christi præceptum Apostolis edicentis, ut intrantes civitates, quæ iis adponerentur, manducarent

(*a*) Cap. VI. ex de censib.
(*b*) Can. VII. VIII. C. 10. q. 3.
(*c*) Cap. VI. ex de censib.
(*d*) Cap. XXIII. ex eo.
(*e*) Thomas. par. II. lib. 3. cap. 80.
(*f*) Ses. XXIV. de ref. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rent (*a*). In arbitrio tamen eorum, qui visitantur esse voluerunt, num ipsa in specie victualia, an certam pecuniæ quantitatem, de qua conventum est, malint exhibere, integris tamen remanentibus cum Ecclesiis, monasteriis, aliisque piis locis antiquis conventionibus. Quod si alicubi omnino gratuitæ essent visitationes, mores hactenus receptos servandos statuerunt. Sapiunt hujusmodi mores sanam Ecclesiæ doctrinam, quæ non patitur ex Evangelio eos vivere, quibus est ad vitam satis. Quod si aliquid amplius exactum fuerit, intra mensem duplum restitui jusserunt, integris relictis aliis pœnis in jure præscriptis, & in Concilio statuendis provinciali.

Visitatio est de plano & sine solemnitatibus judiciorum.

§. XI. Quamvis visitationis finis sit sanæ doctrinæ & politiæ restauratio, non tamen omnia, quæ emendari oportet, visitatorum potestas apprehendit. Etenim non admittit longiores moras visitatio: quod ob tot impensas, quæ mediis sæculis visitationes comitabantur, merito videtur inductum. Quapropter ad ea tantum, quæ notoria sunt, nec longo indigent examine, pertinet visitatio; hactenus ut visitatores ædilibus Romanis, qui lustrabant potius & obvia corrigebant, quam judicabant, recte compararint canonistæ (*b*). Procedunt igitur visitationes sine formulis judiciariis, sed sola summaria cognitione, correctionibus potius, quam pœnis adhibitis ordinariis: quod constitutione Innocentii IV. comprehensum est (*c*). Inde est, quod exemptio non excludit visitationem, quæ magis in corrigendo, quam judicando consistit: & a correctione & reformatione in visitationibus facta interposita appellatio, correctionis non moratur executionem (*d*), idque ne sancta Episcoporum consilia ad politiæ restitutionem effectu careant suo.

Episcopos visitantes comitabantur missi dominici.

§. XII. Quoniam vero malitia perditorum hominum, qui remedia contemnunt spiritualia, frustra sæpe sunt sanctissima Episcoporum consilia; olim moris fuit, ministros regios, quos *missos dominicos* appellabant, Episcopos visitantes comitari, ut armata manu ad pietatem reducerent, quos sacerdotalis admonitio non flectebat (*e*). Non rara in Regum Francorum capitularibus hujusmodi missorum mentio occurrit, quod ad jus suum ii recte putabant pertinere, in hac parte Ecclesiam matrem adjuvare (*f*). Scientibus tamen & prudentibus, quia & postulantibus Episcopis Reges missos mittebant suos (*g*). Liberos tan-

(*a*) Luc. X. 8.
(*b*) Espen. par. I. tit. 17. cap. 4.
(*c*) Cap. 1 §. 4. de cens. in 6.
(*d*) Trid sess. XXIV. de ref. cap. 10.
(*e*) Capitul. lib. 2 cap. 26.
(*f*) Apud Baluz. tom. 1. capitul. pag. 209.
(*g*) Capit. Caroli Calvi apud Baluz. tom. 2. capitul. pag. 207.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tantum homines Episcopis obedire detrectantes ad *placita* venire *missi* cogebant, ut constat ex formula, qua Episcopi ad Carisiacum congregati, a Ludovico Germaniæ Rege missos postulant (*a*). Nam pro rusticis & agricolis regia donati erant Episcopi potestate, qua eos cogebant ad pœnitentiam, ut observat Thomassinus (*b*).

CAPUT VIII.

De metropolitanis.

Nomina metropolitanorum.

§. I. *Metropolita*, seu *metropolitanus* propie est civis μητροπόλεως, seu civitatis in provincia Principis; at assiduis Ecclesiarum moribus est Episcopus, qui toti in rebus ecclesiasticis provinciæ præest. In antiquis monumentis metropolitæ multis aliis appellantur nominibus, quæ eorum supra cæteros Episcopos designant prærogativam. Ut ecce eos apostolici canones πρώτους (*c*), Illiberatini *primæ cathedræ* (*d*), Carthaginenses *primæ secundis* appellant Episcopos (*e*). Ab his appellationibus profluxit vox *primatis* ad metropolitas designandos olim frequentissima, nec, nisi post Isidorum Mercatorem ad magnarum urbium Episcopos designandos traducta, ut recte Dupinius observavit (*f*). Concilium porro Sardicense (*g*) ἐξάρχους τῆς ἐπαρχίας, *exarchos provinciæ* metropolitas vocat, *Principes* vero Augustinus; quamvis hujusmodi appellationes, quod mundanam saperent celsitudinem, improbarint Patres Carthaginenses (*h*). In Africa vero speciali nomine dicti sunt *seniores* ob primatum non Ecclesiæ, sed ætati tributum.

Origo metropolitarum non videtur esse ab Apostolis.

§. II. Quæ fuerit prima metropolitarum origo, vix est, ut certo possit definiri. Jacobus Usserius, Beveregius, Hammondus, & in primis Petrus de Marca (*i*), contendunt, metropolitas per Apostolos fuisse constitutos. Moventur ex eo, quod in scriptis apostolicis Ecclesiæ compellantur per provincias, in quas ea ætate tributum erat Romanum Imperium: & præsertim ex Apostoli facto, qui Titum universæ insulæ Cretæ præfecit, ut ibi *Presbyteros* constitueret. Sed compellatio Ecclesiarum per provincias tantum probat fuisse distinctas Ecclesias propter urbium & provinciarum distinctionem. Nec enim

(*a*) Apud Baluz. tom. 2. pag. 108.
(*b*) Par. II. lib. 3. cap. 79. n. 7.
(*c*) Can. XXXV., apostol.
(*d*) Conc. Illiber. Can. LVIII.
(*e*) Conc. Carth. III. Can. XXVI.
(*f*) Dupin. diss. I. de antiq. eccles. discipl. §. I.
(*g*) Conc. Sardic. Can. VI.
(*h*) Conc. Carth. III. Can. cit.
(*i*) Lib. VI. de C. S. & I. cap. I.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

enim aliud sunt Ecclesiæ, quam cœtus christianorum in urbibus & provinciis exsistentes, ac proinde aptius non poterant designari, quam nominibus provinciarum, in quibus morabantur. An autem metropolibus provinciarum Episcopos Apostoli dederint, qui toti præessent provinciæ, Ecclesiæ a provinciis nuncupatæ certe non demonstrant. Præfuit porro toti Cretæ insulæ Titus, & in ea Presbyteros instituit; at ut mittam, certum non esse, num Presbyteri in Creta per Titum constituti, proprie sic dicti fuerint Episcopi; prærogativa isthæc non fuit certæ urbi adligata, sed tantum Tito propria, idque ad exemplum cæterorum Apostolorum, qui eo ipso, quo Ecclesiis a se institutis cum summo jure præerant, iis non videntur jura communicasse metropolitica, saltem id antiqua non dicunt monumenta (*a*).

Sed potius a moribus Ecclesiarum.

§. III. Quæ quum ita sint, non dubitant Dupinius Caveus, Binghamus, aliique viri docti primam metropolitarum institutionem moribus primum inductam, postea decretis Conciliorum constabilitam. In comperris est, in imperio fuisse civitates primarias & metropoles, unde cæteræ pendebant inferiores. Undique provinciarum incolæ ad eas conveniebant, sive ad judicia expedienda, sive ad merces comparandas. Post Apostolorum excessum simile quid observari cœptum in Ecclesia. Quum Apostolis extinctis ad dirimendas, quæ passim erumpebant, controversias, non esset in provincia qui certo jure eas posset definire; commodum visum fuit supra cæteros Episcopos prærogativis ornare Episcopum metropolitam, idque ob ejus conveniendi facilitatem, quum ob negotia frequentior esset ad metropolim accessus. Hanc opinionem de institutione metropolitarum diserte confirmare videntur Patres Antiocheni (*b*), qui ea ratione statuunt, omnes Episcopos scire debere, metropolitam curam totius provinciæ habere, *quod in metropolim undequaque concurrant omnes, qui habeant negotia.* Nec porro minus promovit Episcoporum civitatum Principum majorem potestatem auctoritas Apostolorum, vel virorum apostolicorum, qui Ecclesias illas fundaverant, vel datis literis instituerant. Etenim, testibus Tertulliano & Ireneo, vel ipso secundo sæculo mos fuit catholicis contra hæreticos disputantibus ad Ecclesias provocare apostolicas, quæ sacræ doctrinæ depositum conservabat integrius.

Potestas metropolitica explicabatur in Synodo provinciali.

§. IV. Jam potestas regendæ provinciæ non sic erat penes metropolitanum, ut a cæteris quoque Episcopis non penderet. Nempe omnes provinciæ Episcopi unum componebant corpus, cujus caput metropolita, membra vero erant Episcopi provinciales. Ita nihil magni momenti in suis paroeciis præter metropolitæ sententiam Episcopi facri-

(*a*) Dupin. loc. cit. §. VI.
(*b*) Conc. Antioch. Can. IX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

citabant, & vicissim absque omnium sententia res magni momenti nec agebat metropolita: quod in Canonibus vulgo dictis apostolicis (*a*), & Antiochenis (*b*) statutum est. Quapropter in Synodo provinciali, quæ bis in anno cogebatur, tractari Ecclesiarum negotia Canones voluerunt, ut *communi cunctorum decreto rationabili & secundum ecclesiasticam regulam comprobato, obtineat sententia plurimorum*, ut Nicæni Patres decreverunt (*c*). Universæ autem Synodi provincialis principatus penes metropolitam erat, hactenus ut præter ejus sententiam nihil ratum & firmum haberetur: quod statuerunt etiam Nicæni Patres (*d*), *firmitas autem eorum, quæ geruntur, τὸ κῦρος, per unamquanque provinciam metropolitano tribuatur.* Integra stabat penes Synodum provincialem sæculo octavo auctoritas administrandæ provinciæ. Sed inde Synodis provincialibus factis rarioribus, sensim ad solos transiit metropolitas, penes quos fere tota stabat quo tempore compilatæ fuerunt Decretales. (*e*).

Proponuntur jura metropolitarum.

§. V. Jam metropolitarum plura fuerunt jura, quæ ab auctoritate illis per Canones tributa descendunt. Et primum quidem (I) metropolitarum est una cum Episcopis provincialibus Episcoporum dirigere electiones, eosque ordinare, vel ordinandi dare potestatem: quod ex antiqua disciplina receptum, Nicæni confirmarunt Patres, & deinceps in omnibus Conciliis & Pontificum Decretalibus repetitum est (*f*). Tantæ autem necessitatis auctoritatem metropolitæ in ordinandis Episcopis fecerunt Nicæni Patres, ut absque illius sententia celebratas ordinationes irrita pronunciarint. Metropolitæ porro (II) est Synodus indicere provinciales. Quum exorta in provinciis negotia, ibi tractari & definiri oporteret, necesse omnino erat, ut penes eum, qui provinciæ præerat, potestas esset statis temporibus, vel, quum exorta negotia ad usque legitimam Synodum differri non poterant, extra ordinem Synodum indicere provincialem (*g*). Et quemadmodum metropolitarum est Synodos indicere; quod datis *tractoriis* & *synodicis* literis faciebant; ita Episcoporum est stato tempore convenire, & & in Synodo suffragium ferre, nisi gravis excuset necessitas (*h*). Atque hinc factum, ut Episcopi provinciales *suffraganei* dicerentur. Ad metropolitam (III) spectat quoque in delictis & causis contra Episcopos objectis judicare, & de appellationibus ab eorum sententiis cognoscere, idque, si causæ sint graviores, in Synodo provinciæ: quod

(*a*) Can. apost. XXXV.
(*b*) Conc. Antioch. Can. IX.
(*c*) Can. VI.
(*d*) Can. IV.
(*e*) Cap. LII. ex. de sent. excom.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. IV., et VI. Conc. Laodic. Can. XII., V. Dupin. dissert. de antiq. eccles. discipl. §. 12.
(*g*) Conc. Antioch. Can. XX.
(*h*) Conc. Chalc. Can. XIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quod jus fere omnes Canones confirmant (*a*). In Africa vero loco Synodi quandoque a primate judices dabantur, vel ipsi contendentes Episcopi de illius consensu eos seligebant (*b*). Cura porro (IV) totius provinciæ incumbit metropolitis, ut in omnibus paroeciis omnia recte fiant, & Episcopi rite suo defungantur officio. Hinc negligentia Episcoporum laborantibus paroeciis metropolitæ succurrunt: totam provinciam, vel ejus partem perlustrant (*c*): & Episcopis ab Ecclesiis suis discedere coactis dant literas *formatas* (*d*).

Quæ lapsu temporis fuerunt imminuta.

§. VI. Atque hæc sunt potiora metropolitanorum jura, quæ Canones spiritu Dei conditi ad rectum disciplinæ ordinem in omnibus paroeciis conservandum consecrarunt. At eorum pleraque temporis lapsu metropolitis & Synodo provinciæ ablata, sedi cesserunt Romanæ. Ita Episcoporum confirmationes & consecrationes non amplius metropolitarum, sed Pontificis auctoritate expediuntur. Quæ disciplina a pluribus sæculis inducta, auxit quidem Romanæ sedis majestatem; at ordinem & unionem, quam inter varias Ecclesias promotum iverunt Canones, nonnihil infregit, & laxavit. Abrupta enim obedientia, quam Episcopi in consecratione metropolitis spondebant suis, Romanæ sedi strictius adhæserunt. Similiter auctoritas metropolitarum in cognoscendis causis Episcoporum immane quantum oblanguet, sedi Romanæ reservatis majoribus Episcoporum causis. Cœpit id jus occasione falsarum Decretalium, quas Pseudo-Isidorus invexit, sensimque ita crevit, ut Innocentius III. inculcarit, translationes, cessiones & depositiones Episcoporum illum ipsum, qui Petro primatum dedit, sedi apostolicæ reservasse (*e*). Hanc pluribus sæculis servatam disciplinam confirmarunt Tridentini Patres (*f*), qui eo ipso, quo causas criminales graviores Episcoporum, quæ dispositione, aut privatione dignæ sunt, sedi vindicant Romanæ, statuunt, ut minuta Episcoporum delicta in Concilio provinciali, vel a judicibus in eo Concilio statutis cognoscantur, & terminentur. Ita tam longe posito, qui arguat, & pene desuetis Conciliis provincialibus, Episcoporum crimina omnia non semper pro merito puniuntur. Sed de ordinationibus & judiciis Episcoporum fusius locis tractabimus suis.

Metropolitæ non pro arbitrio invisunt suffraganeos.

§. VII. Porro nec invisendarum paroeciarum provinciæ jus, quod jure Decretalium a metropolitarum pendebat arbitrio, novissimo jure

(*a*) Can. XXV. apost. Conc. Chalc. Can. IX.
(*b*) Conc. Milevit. Can. XXI.
(*c*) Cap. I. de censib. in 6.
(*d*) Conc. Antioch. Can. XI. & XIII., Conc. Carth. III. XXVIII.
(*e*) Cap. II. & III. ex. de transl. Episc.
(*f*) Ses. XXIV. de ref. cap. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

re integrum relictum est. Statuerunt enim Tridentini Patres, non nisi causa expensa & probata in Concilio provinciali, metropolitas suffraganeos visitare suos (*a*). Prorsus exacte ad antiquam disciplinam, qua metropolitæ nihil magni momenti sine Concilio agebant provinciali. Forsan eo ventum fuit, ut metropolitarum compesceretur ambitio, qui subinde, nulla urgente necessitate, tantum ad lucrandas procurationes, paroecias circumibant. Id tamen omnino dolendum, occasione ejus decreti præter Patrum mentem, rationibus, imo pæne desuetis, Conciliis provincialibus, metropolitarum desiisse visitationes.

Qualis est potestas metropolitæ.

§. VIII. Extra ordinationes & causas majores Episcoporum & vero etiam limitatam provinciæ visitationem integra remanet in universam provinciam metropolitani jurisdictio, nisi Episcopi speciali privilegio a metropolitica jurisdictione subducti, sedi Romanæ ἀμέσως subjaceant. Quæcumque vero fuit & vero etiam est in totam provinciam metropolitæ potestas, non est episcopalis, complectens ordinarias episcopatus functiones, sed epis opali superior, qua a sacris Canonibus devios coercet Episcopos. Equidem metropolitarum institutio nihil quidquam deminuit de pastorali Episcoporum cura; sed tantum eis, qui invigilarent, præposuit. Certe Canones Antiocheni universæ provinciæ curam metropolitæ committentes, statuunt, *unumquemque Episcoporum haberet suæ parochiæ potestatem* (*b*). Itaque ordinarias Episcoporum functiones exercere vetantur metropolitæ, tantumque iis cessantibus defectus supplent, & emendant. Quod jus adeo stricte servatum fuit, ut primis saltem octo sæculis ipsi etiam Romani Pontifices, quamvis jure metropolitico simul & patriarchali in præfectura Romana eminerent; nequaquam tamen extra propriæ paroeciæ fines jura exercuerint episcopalia (*c*).

Præter primates potestatis sunt primates honoris.

§. IX. Præter primates jurisdictionis & potestatis fuerunt & vero etiam sunt in plerisque provinciis *primates honoris*, quorum tria genera fuisse videntur. Primi generis erant Episcopi earum urbium, quas, nulla provinciæ facta partitione, Imperatores ad Ecclesias decorandas sponte sua in metropoles erigebant. Ita ad decorandam Ecclesiam Chalcedonensem Marcianus Imperator Chalcedonem metropolis titulo decoravit; qui honor integris Nicomediæ metropolis prærogativis, loci Episcopo in Concilio Chalcedonensi confirmatus est (*d*). Posteriori præsertim ætate Græci Imperatores sacris suis jussioni-

(*a*) Ses. XXIV. de ref. cap. 3.
(*b*) Conc. Antioch. Can. IX.
(*c*) Espen. part. I. tit. 19. cap. 4. n. 3.
(*d*) Conc. Chalc. act. VI.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nibus metropolis prærogativas Episcopis passim concesserunt, quos nomine tenus metropolitas *Archiepiscopos* dicebant. Alterum genus honorariorum primatum constituerunt Episcopi earum Ecclesiarum, quas propter sedis prærogativam cæteræ ab antiquo venerabantur, qualis Episcopus Hierosolymitanus, qui antiquis moribus honoris primatum obtinuit, quem Nicæni Patres confirmarunt. *Quoniam*, inquiunt (*a*), *obtinuit consuetudo & antiqua traditio, ut qui est in Ælia Episcopus, honoretur; habeat honoris consequentiam, metropoli propria dignitate servata.* Demum primatis honore censentur Episcopi seniores in provinciis, qui etiam secundum novam disciplinam, metropolitis impeditis Synodum cogunt provincialem (*b*).

CAPUT IX.

De auctoritate & usu pallii.

Pallii *forma.*

§. I. Quo primum tempore *pallium* vestis pontificalis esse cœpit, certe fuit præclarissimum indumentum, quo totum corpus amiciebatur, cappis hodiernis non absimile. Sane Pelagius & Gregorius M. (*c*) docent fuisse augustam vestem, quæ præclaro cultu illum qui ea utebatur, ornaret. Refert porro Zonaras (*d*), Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ, pallium calcasse, ut eum, ne festinaret, admoneret. Verum temporis lapsu, primigenia amissa forma, in exiguam abiit fasciam, quæ de candida lana in modum circuli contexta, humores cingit; habetque ab utraque parte duas lineas in pectus & humeros impendentes cum quatuor purpureis crucibus intextis ante & retro, a dextris & sinistris, tribusque aciculis aureis, quas spinas alii dicunt, consuitur & adligatur, ut Innocentius III. pallium describit (*e*), quamvis hodie sex & nigri coloris cruces sint. Forsan quo primum tempore ex liberalitate Pontificum pallium datum fuit, sumptibus parcentes Pontifices, extremam tantum ejus oram transmiserunt, ut inde proprio ære eam Archiepiscopi supplentes, integrum pallium formarent, quod tamen ab iis etiam omissum est.

Pallium Ecclesiæ datum ab Imperatoribus.

§. II. Præclarum hoc ornamentum ex liberalitate Imperatorum primum

(*a*) Conc Nicæn Can. VII.
(*b*) Trid. ses XXIV. de ref. cap. 2.
(*c*) Pelag. Papa ep. ad Sapaudum Arelat., Greg. M. lib. 7. epist. 112.
(*d*) Vit. Constant. Copronymi.
(*e*) Lib. I. de myster. Missæ cap. 63.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

mum processit, qui regale Christi sacerdotium imperialibus insigniis condecorare voluerunt: in quam sententiam passim eruditi conveniunt (*a*). Sane a sua sede per Agapetum Papam Anthimus Constantinopolitanus Patriarcha extrusus, *pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit*, quod narrat Liberatus (*b*). Reddere enim ad eum, unde res quædam accepta est, refertur. Apud Imperatorem pro Anastasio Anthiacheno Patriarcha, qui sede sua pulsus erat, enixe intercessit Gregorius M. (*c*), ut eum, *concesso usu pallii*, Romam transmitteret, quatenus si ei ad suam Ecclesiam minime reverti liceret, saltem Romæ in honore viveret suo, & sacra mysteria posset celebrare. Non omnibus autem Episcopis, sed tantum Patriarchis, & forte etiam insignioribus metropolitis, pallia Imperatores concesserunt. Sed quinam eorum primus fuerit, qui veste imperiali Patriarchas condecoravit, incertum est: scimusque tantum ex facto Anthimi ætate Justiniani Patriarchas Constantinopolitanos pallio insignes fuisse. Monumenta enim quæ vel a Constantino, vel a Valentiniano III. asserunt pallium processisse, nullius incertæque fidei sunt.

Pallium hodie sponte sua Pontifex concedit.

§. III. Semel autem ab Imperatore acceptum pallium, de ejus assensu Patriarchæ aliis communicabant: quod Vigilii (*d*) & Gregorii M. (*e*) literis constat. Nefas videbatur, imperialem vestem, Imperatore invito, aliis communicare, præsertim usu purpuræ & regiæ vestis privatis interdicto. Sed inde & propria auctoritate sibi sumere, & posthabito Principis adsensu Pontifices pallia communicare cœperunt. Dissidia inter Iconoclastas Imperatores & Romanos Pontifices, multum certe contulerunt, ut Pontifices pallium propria sumerent auctoritate, illudque concedentes amplius imperialem non requirerent adsensum. Sæculo sexto, quo Constantinopoli pallium ab Imperatore petebatur, mos erat Alexandriæ, ut statim ab exequiis defuncti Patriarchæ, novus *manibus suis* collo suo pallium B. Marci acciperet (*f*). Sed inde videtur inductum, ut Patriarchæ Constantinopolitani sine permissione Pontificis pallio non uterentur, idque stetit usque ad Joannem XII., a quo Romanus Cæsar Theophylacto Patriarchæ ejusque successoribus injussu Pontificis utendi pallii privilegium impetravit, si vera narrat Luitprandus, qui hoc tempore legatus in Græciam missus erat (*g*). Quidquid vero hujus rei sit, certe Græco imperio per latinos subjugato in Concilio Late-

(*a*) Petrus de Marca lib. 6. de C. S. & I. c. 6. Thomas. part. I. lib. 2. cap. 53.
(*b*) Brev. cap. 21.
(*c*) Lib. I. epist. 27.
(*d*) Epist. I. ad Auxanium.
(*e*) Lib. VII. epist. 3.
(*f*) Liberatus breviar. cap. 10.
(*g*) Apud Baron. an. DCCCCXXXIV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

teranensi statuit Innocentius III., ut deinceps Patriarchæ omnes orientales a Romano Pontifice acciperent pallium, illudque a Papa acceptum deinceps *suffraganeis* impertirent suis (*a*). *Sed* isti *omnes Patriarchæ*, inquit Franc. Florens, *& latini & latinorum fuerunt, non aliorum.*

Olim pallio in occidente concessus vicariatus apostolicus.

§. IV. Jam in occidente quo primum tempore Romani Pontifices pallium communicarunt, tanto honore præcipuos ornarunt metropolitas, qui ad eorum consecrationem pertinebat, aut eos, quibus vicem suam in provinciis demandabant: quod literis Vigilii ad Auxanium, & Pelagii ad Sapaudum Arelatenses abunde demonstratur. E dignitate Romanæ sedis profecto erat, ut qui vices ejus in provinciis sustinebant, pontificio etiam eminerent ornatu. *Digna credimus ratione compleri*, inquit Vigilius ad Auxanium, *ut agenti vices nostras pallii non desit ornatus.* Ita factum, ut extra Romanam præfecturam metropolitis concessum pallium fere pontificiam legationem simul adferret: quod aperte indicat Gregorius M., qui Augustino legato suo nullam potestatem in Episcopos Galliarum concedit, quia *pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate præcepta minime debemus* (*b*). Jampridem enim Arelatensis Episcopus sedis apostolicæ per Gallias acceperat vicariatum. Hinc factum, ut sæculo sexto pallii cupidissimi essent metropolitæ, illudque meritis exigentibus, precibusque petentium & subinde etiam regum fatigati parce admodum Pontifices concederent. Per pallium enim concesso vicariatu apostolico metropolitæ supra cæteros eminebant, & eximia dignitas passim & sine delectu non erat communicanda. Pallio autem accepto metropolitæ, qui extra præfecturam Romanam hactenus summa egerant libertate, arctius sedi Romanæ propter acceptum vicariatum adhæserunt. Qui vicaria alterius opera agit, ab eo, unde accepit potestatem, pendeat necesse est.

Metropolitæ pallium necessario petunt.

§. V. Verum qui honos initio parce admodum precibus & meritis præcedentibus dabatur, temporis lapsu, vicariatu sedis apostolicæ a pallio distracto, non tantum omnibus metropolitis fuit communicatus, verum etiam pallii petitio abiit in necessitatem. Non desunt (*c*), qui pallii necessitatem omnibus metropolitis injectam arbitrantur summorum Pontificum machinis, ut qua facilitate pallio dato insigniores subegerant metropolitas, eadem submitterent omnes. Probant ex facto Episcoporum Galliæ, qui in Synodo IↃCCXLII. adlaborante Bonifacio, Germanorum Apostolo, decreverunt

(*a*) Cap. XXIII. ex. de privil.
(*b*) Lib XII. epist. 31.
(*c*) Marca lib. 6. de C. S. & I. cap. 7. n. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

runt quidem, ut in subjectione viverent Ecclesiæ Romanæ, & metropolitæ ab ea sede pallium peterent; palliorum tamen petitionem metropolitæ distuleruut, quasi subodorarint sub specie illa honoris veram inesse servitutem. Sed decretum Episcoporum Galliæ de pallio a sede apostolica petendo libertati potius, quam servituti adscribit Thomassinus (*a*), ut nempe pallii honore constaret, extincto semel per Gallias vicariatu Arelatensi, metropolitas secundum antiquas consuetudines a vicario liberos, recta apostolicæ sedi esse subjectos: dilationem vero petitionis evenisse suspicatur, ut ex æquo omnes metropolitæ pallia peterent, quum initio pro tribus tantum petita fuissent. Sed Galliarum metropolitæ ante institutum vicariatum Arelatensem Patriarchæ Romano non videntur fuisse subjecti, & dilationis palliorum maturiori Gallorum consilio ipse Bonifacius iteris ad Zachariam tribuere videtur. Quidquid vero hujus rei sit, inde commonstrato, pallium externum tantum signum esse quo Archiepiscopi distincti a suffraganeis admonerentur, se ad vitam teneri sanctiorem, & strictiorem Canonum observantiam, metropolitæ pallia petere cœperunt: inductamque petitionis consuetudinem Synodus VIII. confirmavit: coactique postea sunt metropolitæ novo cum Sacramento primum canonicam obedientiam, & inde fidelitatem de more vasallorum sedi apostolicæ promittere, qua de re inferius.

Pallium continet pontificalis potestatis plenitudinem.

§. VI. Pallii autem virtus prorsus insignis est. Ante ejus receptionem vetantur metropolitæ munia exercere pastoralia, & ipsum nomen sumere *Archiepiscopi*, utut fuerint consecrati. Passim ætate Nicolai Papæ obtinebat, ut metropolitæ ante pallii susceptionem non nisi corpus Christi consecrarent. Sed eundo majores hoc dogma vires adquisivit, hactenus ut post Paschalem II. diserte docuerit Innocentius III., *in pallio pontificalis officii plenitudinem cum archiepiscopalis nominis appellatione conferri* (*b*). Cujus dogmatis consequens fuit, metropolitas, nonnisi recepto pallio, munia explicare posse pastoralia. Quod non ita est intelligendum, quasi pallium ipsum plenitudinem conferat potestatis; sed ita, potestatis in ordinatione receptæ exercitium non nisi pallio accepto posse explicari. Novum profecto non est, Ecclesiam modum imponere potestati, utut jure divino traditæ. Qua in parte melior videtur conditio Episcoporum, quorum munera pastoralia nulli externo ornamento sunt addicta.

Unde conciliata pallio plenitudo potestatis.

§. VII. Unde autem profectum sit, ut pallium plenitudinem conti-

(*a*) Part. I. de benef. lib. 2. cap. 55.
(*b*) Cap. III. de auct. & usu pall.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tineret potestatis, nodus est implicatissimus, quem facilius exscindas, quam solvas. Pallio tantam virtutem a Pontificibus tributam post Petrum de Marca multi arbitrantur, ut metropolitas omnes sibi redderent obnoxios (*a*). Contra Thomassinus (*b*) assiduis metropolitarum moribus factum opinatur, ut plenitudo potestatis pallio tribueretur. Percupidi scilicet metropolitæ pallii recipiendi, utut consecrati, a pontificalibus abstinebant, atque ita sensim plenitudo potestatis pallio conciliata. Mihi vero plenitudo potestatis pallio intexta, a vicariatu, quem principio pallium deferebat, videtur repetenda. Sane qui vicariatum sedis apostolicæ in pallio olim accipiebant, saltem patriarchalia jura pallio referebant accepta, nec ea, nisi pallio impetrato, poterant explicare. Ita plenitudo patriarchalis potestatis, in metropolitas a pallio derivabatur. Sequentibus temporibus vicariatu a pallio distracto, plenitudo potestatis in pallio contenta, quæ erat patriarchalis, sic acepta fuit, quasi esset pastoralis. Cui dogmati magis adhæserunt Pontifices, postquam necessitas petendi pallii omnibus injecta est metropolitis.

Pallium desumitur a corpore B. Petri.

§. VIII. Pallium porro non tantum a liberalitate Pontificum procedit, sed etiam a *corpore sancti Petri* desumi oportet: quæ disciplina per plura sæcula inaudita, sub sæculi XI. finem jam recepta erat (*c*). Forte hoc inductum fuit, ut reipsa explicaretur opinio de plenitudine potestatis in solo Pontifice residente, quæ sic alios vocabat in partem solicitudinis, ut nihil de fontis detraheret plenitudine. Etenim disertius explicari non poterat partem solicitudinis a Pontifice in alios derivari, quam pallio de corpore B. Petri desumpto. Antequam vero de corpore B. Petri sumantur pallia, solemniter scrupulosaque ratione prius confecta, in altari sepulturæ B. Petri benedicuntur (*d*).

Pallium instanter *peti debet.*

§. IX. Jam pallium intra tres a consecratione menses peti *fortiter* oportet (*e*) consueta formula *instanter*, *instantius*, *instantissime*. Inde usque ab eo tempore, quo in occidente pallium una cum apostolicæ sedis vicariatu majoribus communicatum est metropolitis, non nisi enixis petentium, & Regum precibus concedebatur. *Prisca consuetudo obtinuit*, inquit Gregorius M. (*f*), *ut honor pallii nonnisi exigentibus meritis*, & *fortiter postulantibus dari non debeat*. Justum nempe erat, ut eximia dignitas apostolicæ sedis vicariatus, non nisi meritis præcedentibus & enixe postulantibus concederetur. Sed temporis lapsu etiam

(*a*) Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 7. n. 9.
(*b*) Part. I. lib. 2 cap. 57.
(*c*) Cap. IV. ex. de elect.
(*d*) Nicolaus de Bralion diss. de pallio.
(*e*) Can. II. D. 100.
(*f*) Cit. Can. II.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

etiam post distractum a pallio apostolicum vicariatum, & post injectam pallii sumendi omnibus metropolitis necessitatem, retenta est instantia petitionis.

Pallium per se petebant metropolitæ.

§. X. Petitio autem isthæc pallii adeo solemnis erat, ut ad instar *actuum legitimorum* vicariam alterius operam excludens, metropolitas ipsos ad ejus petitionem Romam ire compelleret. Receptissima erat sæculo XI. isthæc disciplina, hactenus ut Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus negavit, uno constare exemplo absentibus pallia mitti (*a*). Hujus disciplinæ originem post Thomassinum repetit Espenius (*b*) a ficta Decretali, quam Petrus Damianus, Burcardus & Anselmus Damaso, Ivo vero Carnotensis & Gratianus Pelagio tribuunt. Verum Decretalis statuit, ut intra tres a consecratione menses ad exponendam fidem & pallium petendum Romam potius mittant, quam accedant (*c*). Magis ergo est, ut ea mente dicamus inductum; metropolitas tantum præsentes Romæ pallia accipere debuisse, ut cum iis Pontifex de publicis Ecclesiæ negotiis iniret, consilia, eisque ad strenue sua obeunda officia animum adderet, quod diserte scribit ad Lanfrancum Cantuariensem Hildebrandus, confirmatque status Ecclesiæ Romanæ, quæ ea ætate contra Principum investituras mussitabat. Mox autem inter Romanum exolevit, integrumque factum fuit metropolitis pallium vicaria alterius opera petere.

Pallium etiam aliquibus Episcopis concessum.

§. XI. Verum enimvero pallium non ita est proprium metropolitis, ut meris Episcopis aliquando concessum non fuerit, & vero etiam concedatur. Multis sane constat monumentis, liberalitate Pontificum in Ecclesia latina plures Episcopos honore pallii fuisse condecoratos: cœpitque hic mos vel ab ætate Gregorii M., qui Siagrio Episcopo Augustodunensi pallium concessit (*d*). Apud Græcos quoque aliquibus Episcopis concessum pallium (*e*), quamvis non desint, qui pallium omnibus Episcopis Græcis commune faciunt, in consecratione dari consuetum. Pallia autem ista Episcopis concessa, eos a metropolitarum non exemerunt jurisdictione, quod diserte Pontifices pallia concedentes, expresserunt. Quamvis a palliis concessis sæpe Episcopi pro sua libertate varias excitarint controversias. Unde optabat Fulco Rhemensis Archiepiscopus, ut Pontifices, nisi consultis & consentientibus metropolitis, pallia minime Episcopis largirentur (*f*).

Li-

(*a*) Epist. VI. inter epist. Lanfr.
(*b*) Part. I. tit. 19. cap. 5. n. 13.
(*c*) Can. I. D. 100.
(*d*) Lib. VII. epist. 112.
(*e*) Thomas. p. I. lib. 2. cap. 56.
(*f*) Flodoar. lib. 3. cap. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Limitatus pallii usus.

§. XII. Jam pallio utuntur metropolitæ & Episcopi tanto honore donati, non semper & ubique, sed certis tantum locis, temporibus & officiis. Et sane metropolitæ tantum ambitu murorum omnium Ecclesiarum provinciæ, Episcopi in Ecclesiis diœcesis pallio utuntur, hactenus ut, si contingat, eos Ecclesiis egredi, pallium deponere necesse sit (*a*). Verum hodie usu pontificalium in alienis diœcesibus sine proprii Episcopi venia per Patres Tridentinos (*b*) generatim interdicto; pallio in Ecclesiis provinciæ posse uti non videntur metropolitæ. Usus enim pallii etiam venit nomine pontificalium. Ad *Missarum* porro *solemnia* pallii usum secundum receptam Ecclesiæ disciplinam Gregorius M. restringit (*c*); vetuitque Synodus VIII., ne omni tempore divini sacrificii, & omnis alterius ecclesiastici Ministerii Episcopi pallium induant (*d*). Nec semper quo Missarum solemnia celebrantur pallii usus est, sed certis tantum temporibus & diebus: quæ disciplina sæculo IX. in utraque Ecclesia recepta erat. Quæ vero sint tempora ista, quibus pallii usus est, recitat Glossa (*e*), & latius recenset modernum pontificale Romanum.

Romanus Pontifex semper & ubique *utitur pallio.*

§. XIII. In hoc pallii usu a cæteris metropolitis & Episcopis distat Romanus Pontifex, qui in Missarum solemniis *semper* & *ubique* pallio utitur (*f*). Plenitudo potestatis, in quam adsumtus est Romanus Pontifex, & pars solicitudinis, in quam vocantur. Episcopi, hanc in usu pallii ex sententia Innocentii III. induxerunt differentiam. Sed rei antiquæ nova isthæc videri possit explicatio; si quidem limitatus pallii usus cum ipso pallio videtur cœpisse; sententia vero de plenitudine potestatis in uno Pontifice residente non usque adeo videtur antiqua (*g*). Forsan hujus limitati pallii usus in metropolitis a vicariatu cœpit apostolico, ut ita nempe constaret non omnem patriarchalem potestatem Pontifices in vicarios effudisse suos. Veri speciem quoque habet, vestis dignitatem ejus usum fecisse limitatum. Non videbatur forsan ferendum omni tempore & extra Ecclesiam Episcopos amictum induere imperialem.

Pallium personæ cohæret.

§. XIV. Porro pallium adeo personæ, cui datur, cohæret, ut eo alius

(*a*) Cap. I & V. ex. de auct. & usu pallii.
(*b*) Trident. ses. VI. de ref. cap. 5.
(*c*) Can. VI. & Can. VIII. D. 100
(*d*) Can. XXVII. edict. Ananstas. Biblioth.
(*e*) In cap. 4. ex eod.
(*f*) Cap. IV. ex. eod.
(*g*) Espen part. I. tit. 19. cap. 5. n. 15.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

alius omnino uti non possit. Hinc pallium non commodatur, & quisque cum eo debet sepeliri (*a*): quin de una in aliam Ecclesiam translatus metropolita, novo indiget pallio. Non desunt, qui ad augendum Pontificis ærarium personalem pallii usum autumant excogitatum. Et negari profecto non potest, mediis sæculis, nisi ingenti æris pondere soluto, subinde pallia non fuisse concessa, hactenus ut non defuerint metropolitæ, qui morti proximi non de morte dolerent, sed vicem indolerent subditorum, qui pro novo pallio novæ grandique subjiciebantur exactioni. Verum personæ cohærens usus pallii abusibus longe est antiquior. Constat enim vel ex sola Ecclesiæ Arelatensis historia adeo personalia fuisse pallia, ut novis Episcopis semper nova mitterentur. Quapropter personalis pallii usus ab apostolico vicariatu, quem una cum pallio novis metropolitis petentibus Romani Pontifices de more demandabant, videtur etiam emanasse.

CAPUT X.

De Patriarchis.

Nomina Patriarcharum.

§. I. Post metropolitas in ordine hierarchico sequuntur Patriarchæ, qui in rebus ecclesiasticis, integris præsunt diœcesibus. Dignitas Ecclesiarum augetur, quemadmodum civitatum augentur prærogativæ. Jam Patriarchæ primum dicti sunt ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *exarchi diœcesis*: quo scilicet ab exarchis provinciæ distinguerentur (*b*). Dicti porro sunt *Archiepiscopi*: quod nomen amplissimæ fuit olim significationis, tantumque Romano, Alexandrino, Antiocheno, aliisque eximiis & primis Episcopis tribuebatur (*c*). Inde ab *archiepiscopatus* amplitudine multum decessit, hactenus ut primates omnes & jurisdictionis & honoris in utraque Ecclesia *Archiepiscopi* dicerentur. Unde factum, ut plures sint Archiepiscopi, quam metropolitæ. Celebre quoque est ad exarchos diœcesis designandos nomen *Patriarchæ*, quod per Socratem primum in hunc sensum adhibitum, ut receptior fert sententia, paulo post Chalcedonenses Patres usurparunt. Toto enim cælo aberrat Salmasius (*d*), qui Episcopum Alexandrinum jam a tempore Hadriani *Patriarcham* scribit appellatum, idque autoritate literarum Hadriani apud Vopiscum (*e*). *Patriarcha* enim ille, de quo loquuntur Hadriani literæ, certe Judæorum fuit, constatque ex eo quod in Ægypto ad adorandum Serapidem, vel Christum coactus, neu-

(*a*) Cap. III. ex. de auct. & usu pallii.
(*b*) Conc. Antioch. in act. XIV. Conc. Chalc.
(*c*) Dupin diss. I. de antiq. Eccles. discipl. §. 3.
(*d*) De primat cap. 4.
(*e*) Vit. Saturnini.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

neutrum adoravit (*a*). Sed in occidente insigniores metropolitæ *Patriarchæ* nomine donati; quin in Italia Gothorum Reges omnes suæ ditionis Episcopos apellarunt *Patriarchas* (*b*).

Proponuntur jura patriarchalia.

§. II. Potestas autem patriarchalis eo ipso, quo in omnes diœcesis, provincias & parochias se extendit, integram relinquit Episcoporum & metropolitarum jurisdictionem. Ita proprie sic dicta Patriarcharum jura ampliora sunt metropoliticis. Et sane (I) metropolitarum ordinatio spectat ad Patriarchas, quod patet ex Concilio Chalcedonensi, in quo cum patriarchatu metropolitarum ordinatio Episcopo Constantinopolitano data est (*c*). Patriarcharum porro est (II) Synodum indicere diœcesanam, & in ea præsidere, non secus ac ad metropolitas Synodi provincialis pertinet indictio. Ad Patriarcham quoque (III) a metropolitis eorumque Synodis appellatur (*d*. Quin etiam (IV) Patriarchæ in ipsos metropolitas (*e*), &, metropolitis cessantibus, in eorum suffraganeos delinquentes animadvertunt. In rebus pariter (V) majoris momenti metropolitæ Patriarchas consulebant suos, nihilque præter eorum sententiam faciebant (*f*). Et demum (VI) Patriarcharum erat ecclesiasticas & civiles leges ad Ecclesiam pertinentes per totam diœcesim publicare (*g*).

Patriarchæ non antiquiores Synodo Constantinopolitana.

§. III. Quæ autem fuerit Patriarcharum prima origo acerrime inter viros doctos concertatur. Et sane Baronius, Valesius, Pagius eorum institutionem Apostolis, moribus vero ante Concilium Nicænum receptis Dupinius & Brerewoodus attribuunt. Contra a Patribus Nicænis Patriarchas institutos Balsamon & Græci recentiores arbitrantur: & demum non ante Synodum Constantinopolitanam eos in Ecclesia cognitos Launoius, Basnagius, Beveregius, Caveus aliique magnis animis, contendunt. In tanta virorum doctissimorum discrepantia quamvis potius quid non sentias, quam quid sentias proferre liceat; illud tamen non sine ratione videtur posse dici, patriarchalem potestatem, quæ Synodo præest diœcesis, de appellationibus a Synodis provincialibus cognoscit, & metropolitas ordinat, non ante Concilium Constantinopolitanum in Ecclesia cognitam fuisse. Et sane constans est Canonum Nicænorum sententia, causas omnes provinciales in Synodis provincialibus esse finiendas (*h*), nec appellationes a Synodis provincialibus ad Patriarchas in Ecclesia auditæ sunt

(*a*) Pearson. part. I. vindic. Ignat. cap. 11.
(*b*) Dupin loc. cit. §. V.
(*c*) Conc. Chalced. Can. XXVIII.
(*d*) L. XXIX. c. de episc. aud., Novel. CXXIII. cap. 22.
(*e*) Novel. XXXVII. cap. 5.
(*f*) Conc. Chalc. act. IV.
(*g*) Novel. VI. epil.
(*h*) Dupin. diss. II. de antiq. Eccles. discipl. cap. I. seq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

sunt, nisi postquam Synodi diœcesanæ in adsiduam abierunt jurisdictionem. Ordinariæ autem evaserunt Synodi diœcesanæ postquam Imperatores Valens, Gratianus & Valentinianus statuerunt, ut de more causarum civilium, causæ ecclesiasticæ in Synodis diœcesanis audiantur (*a*), & Synodus Constantinopolitana (*b*) Ecclesiam orientalem in diœceses partita est. Ante enim extraordinariæ erant provinciales pleniores Synodi, nec, nisi eas concederent Imperatores, cogebantur. Porro metropolitarum ordinatio, quæ partem juris proprie sic dicti patriarchici constituit, toto fere quarto sæculo per Episcopos comprovinciales videtur peracta, idque secundum Nicænos Canones, hactenus ut ne unicum quidem proferri possit exemplum, quo constet tempore Concilii Nicæni metropolitas aliter quam a comprovincialibus Episcopis fuisse constitutos (*c*). Ex amplioribus Episcopis per orientem primus Antiochenus ordinare cœpisse videtur metropolitas: quo jure exeunte quarto sæculo forsan solus utebatur, nam *jure singulari*, hoc est, ipsi soli proprio, ut ego interpretor, metropolitas ordinabat, ut ad Alexandrum Antiochenum Innocentius I. scribit. Ita proprie sic dicta patriachalis potestas post Synodum Constantinopolitanam in Ecclesia primum eluxit Antiochena, statimque per reliquas diœceses recepta, & in Synodis regulis confirmata fuit.

Explicatur Canon sextus Nicænus.

§. IV. Quo vero magis sera Patriarcharum institutio confirmetur, simulque rationes eorum, qui antiquis moribus ante Concilium Nicænum inductis patriarchalem potestatem referunt acceptam, diluantur, Can. VI. Nicænum, quo vix quidquam est in tota re canonica celebrius, oportet referre & explicare. Post confirmata duobus Canonibus jura metropolitica ita Can. VI. ex Dionysiana versione pergunt Nicæni Patres, *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter metropolitani sententiam fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.* Vides, solidas diœceses hac tempestate & Alexandrino & Romano Episcopis paruisse (quamvis Romanæ diœcesis limites Patres non expresserint), idque ex antiquis moribus, quos Concilium confirmavit. Verum quamvis amplissima & per plures provincias tempore Concilii Nicæni diffusa fuerit potestas Episcoporum Romani & Alexandrini; metropolitica, potius, quam patriarchalis fuisse videtur, diœcesis amplitudine, non juribus a cæteris distans me-

(*a*) L. XXIII. c. Th. de episc.
(*b*) Can. II.
(*c*) Bevereg. in Can. VI. Nicæn. n. 7.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

metropolitis. Et sane per provincias suburbicarias & per integram Ægyptum negotia omnia ecclesiastica Episcopi Romanus & Alexandrinus explicabant, hactenus ut omnes Episcopos ordinarent: quod multis constat antiquitatis monumentis, & pro Ægypto diserte testatur Epiphanius (*a*). Inde autem tam effusa potestatis Episcopis Romano & Alexandrino quæsita est, quod per Ægyptum & provincias suburbicarias nulli erant metropolitæ: & si qui fuerint, sub eo nomine adjutores tantum videntur fuisse Episcoporum Romani & Alexandrini, non veri nominis metropolitæ. Et qui quæso veri esse poterant, in iis provinciis metropolitæ, quando ordinationes soli Romanus & Alexandrinus Episcopi faciebant, & negotia ecclesiastica explicabant omnia? Privilegia autem Antiochenæ & reliquis provinciis confirmata eadem non videntur fuisse cum Romanis & Alexandrinis, siquidem ea tantum confirmant Nicæni Patres, non ad exemplum Ecclesiarum Romanæ & Alexandrinæ efformant, erantque tum in *orientali* proprie sic dicta diœcesi veri metropolitanæ, qui sibi subjectos ordinabant Episcopos. Atque hinc factum reor, ut post confirmata privilegia Ecclesia Antiochenæ & reliquarum provinciarum, adderent Nicæni Patres, Episcopum præter metropolitæ sententian ordinatum, Episcopum non esse. Scilicet verendum erat, ne ad exemplum Episcoporum Romani & Alexandrini reliqui etiam majores Episcopi, posthabitis metropolitis, Episcoporum usurparent ordinationes. Confessus tantum & ordinis honorem præ reliquis metropolitis videntur tum habuisse Episcopi Antiocheni (*b*, certe vero metropolitas non ordinarunt (*c*), nec a Synodis provincialibus receperunt appellationes. Fuerunt igitur Episcopi Romanus, Alexandrinus & Antiochenus meri metropolitæ, a cæteris metropolitis vel provinciæ amplitudine, vel aliis honoris distincti prærogativis, præbueruntque hæc peculiaria quorundam metropolitarum privilegia post statuta jura metropolitica novo Canoni occasionem, non usurpatæ per Ægyptum a Melitio ordinationes, quod Jo. Launoius commiscitur. Id tamen verum est, has semel amplioribus Ecclesiis quæsitas prærogativas etiam post institutam patriarchalem potestatem perdurasse, unde fere dimanat peculiaria Patriarcharum privilegia: erratque proculdubio Caveus qui opinatur per institutionem Alexandrini patriarcatus Episcopi Alexandrini decrevisse potestatem (*d*), Episcoporum ordinatione, quæ ipsi antea insolidum propria erat, ad diversos metropolitas devoluta. Quæ quum ita sint, ex statu sui temporis locuti videntur Hieronymus (*e*), Innocentius I. (*f*) aliique veteres, qui a Patribus Nicænis repetunt Patriarchalem potes-

(*a*) Hæres. LXVIII.
(*b*) Christoph. justel. in Can. VI. Nicæn.
(*c*) Conc. Ephes. act. VII.
(*d*) Bingh. lib. 2. orig. eccles. cap. 17. §. 11.
(*e*) Epist. LXI. ad Pammachium.
(*f*) Epist. ad Alexand. Antioch.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

testatem. Attendebant enim ad sui temporis disciplinam, & quid simile in Nicænis Canonibus invenientes, posthabita ulteriori disquisitione, eam Nicænis Patribus tribuerunt.

Tres exarchi diœcesium orientalium veri Patriarchæ.

§. V. Jam quo tempore Synodus Chalcedonensis celebrabatur, sex videntur in universa Ecclesia fuisse patriarchatus, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ephesinus in diœcesi Asiana, Cæsareensis in Pontica, & Heracleensis in Thracica. Sunt, qui negant tres posteriores, Ephesinum nempe, Cæsareensem & Heracleensem Episcopos veri nominis fuisse Patriarchas, eisque tantum tribuunt *exarchicam* dignitatem, quam faciunt patriarchali inferiorem. Inficias quidem ire non possumus aliquibus Patriarchis, & præsertim Romano & Alexandrino, singularia jura fuisse quæsita; verum si propria & magis patentia jura inspiciamus, fateare necesse est, exarchos Asianum, Ponticum & Tracicum veri nominis fuisse Patriarchas. Ordinabantur ab omnibus diœcesis Episcopis (*a*), quod majoris sedis argumentum est: & suarum diœcesium Synodos cogebant (*b*). Quod si quandoque titulo *exarchorum* donentur hi tres Patriarchæ, id quidem non quidquam obturbat; siquidem ad diœcesium Episcopos designandos promiscue *exarchi & Patriarchæ* adhibentur appellationes.

Constitutio Constantinopolitani patriarchatus.

§. VI. Verum enimvero ex hisce tribus exarchatibus, Asiano, Pontico, Thracico unus emersit Constantinopolitanus patriarchatus. Bizantium mera primum Thraciæ urbs beneficio Constantini sedes imperii facta, & de ejus nomine Constantinopolis dicta, ita dignitate crevit, ut secunda Imperii urbs evaserit *novæ Romæ* titulo condecorata. Politia ecclesiastica civilem consequente, etiam Episcopi Constantinopolitani dignitas statim crescere cœpit, hactenus ut in Concilio Constantinopolitano πρεσβεια τῆς τιμῆς *priores honoris partes* post Romanum obtinuerit (*c*). Hac honoris prærogativa semel quæsita novæ Romæ Episcopi ordinationibus diœcesium Asiæ, Ponti & Thraciæ sese cœperunt immiscere, idque primum postulantibus earum Episcopis (*d*), & deinde etiam non vocantibus, legibus etiam eam in rem ab Imperatoribus impetratis (*e*). Rebus ita fluctuantibus ventum ad Concilium Chalcedonense, in quo sub finem Concilii, absentibus Romanis legatis, & confirmatæ secundæ honoris partes, quin etiam Constantinopolitano Episcopo in tres diœceses Asianam, Ponticam, Thracicam jura sunt tributa patriarchalia (*f*). Huic novitati graviter Pon-

(*a*) Conc. Chalc. act. X.
(*b*) Basil. ep CCXCI., Sozomen. lib. 6. cap. 12. 5. Dupin. diss. II. de antiq. Eccl. discipl. §. 11.
(*c*) Conc. Constantinop. Can. III.
(*d*) Pallad. Dialog. de vit. Chrysost.
(*e*) Socrat. lib. 9. cap. 28.
(*f*) Conc. Chalc. act. XV. Can. XXVIII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Pontificis legati tum intercesserunt: ipsique Pontifices in primis Leo M. & Gelasius ita ægre tulerunt violatam a Patribus Nicœnis inductam, aut confirmatam politiam, ut & patriarchatus Constantinopolitani constitutionem, & Can. XXVIII. Chalcedonensem, quo statutus erat, non adgnoverint exploserintque, Gravibus Pontificum intercessionibus videntur tum Episcopi Constantinopolitani aliquid tribuisse; sed inde Imperatorum freti auctoritate & honoris & patriarchalia jura exercuerunt, accedente præsertim universalis Ecclesiæ consensu, quo Canones Constantinopolitani & Chalcedonenses codicibus Canonum inserti ubique recepti sunt.

Constitutio Hierosolymitani patriarchatus.

§. VII. Inter similes turbas Ecclesia Hierosolymitana ad patriarchatum evasit. Quamvis Hierosolymitana Ecclesia & ipsa merus fuerit episcopatus, eandem tamen inde usque ab exordio christianismi Ecclesiæ omnes præcipuo coluerunt honore. Ibi jacta sunt nostræ religionis fundamenta, eratque omnium Ecclesiarum veluti parens. Hinc quæsita Episcopo Hierosolymitano protothroni post Episcopum Cæsareensem prærogativa, quam Nicæni Patres confirmarunt (*a*). Hac honoris prærogativa elati Episcopi Hierosolymitani & sibi vindicare jura metropolitæ Cesareensis, cui suberant, & cum eodem de primatu aperte contendere. Renitentibus tamen magnis animis Episcopis Cæsareensibus nihil profecerunt usque ad Theodosium juniorem, a quo Juvenalis Hierosolymitanus postquam in Concilio Ephesino frustra tentasset Palestinæ subjectionem, pragmaticum obtinuit, sedi Hierosolymitanæ tres Palestinas, duas Phænicias & Arabiam subjiciens. Sed de violatis Ecclesiæ suæ juribus conquestus Antiochenus Patriarcha contrario ejusdem Principis rescripto fuit pristino juri restitutus. Contrariis pragmaticis, aut potius ambitione Juvenalis exorta controversia usque ad Concilium Chalcedonense protacta fuit, in quo partium consensu statutum, ut Episcopus Hierosolymitanus tres Palæstinas, Antiochenus vero Phænicias duas & Arabiam haberet (*b*). Ita ambitione Episcoporum Hierosolymitanorum natus Hierosolymitanus patriarchatus: qua in re (absit verbo invidia) potior certe fuit causa Constantinopolitani patriarchatus. Et tamen Hierosolymitano consenserunt, Constantinopolitanum vero patriarchatum Pontifices impugnarunt, Canones Nicænos conculcatos ingeminantes. Cur tam varie? Certe ab ipsis primordiis perspiciebant Pontifices, quo tandem ambitio Constantinopolitanorum Patriarcharum esset evasura. Quidquid vero hujus rei sit, ab hoc tempore quinque hoc ordine numerati sunt patriarchatus, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus.

Ec-

(*a*) Can. VII.
(*b*) Conc. Chalc. act. VII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Ecclesiæ in barbarico *pendebant ab Orientalibus.*

§. VIII. Orientis autem Patriarchæ eo ipso, quo propriam diœcesim in Imperio constitutam regebant, in Ecclesias *in barbarico* constitutas etiam aliquam exercebant potestatem. *Barbaricum* dicebant quidquid erat extra Imperium. Apud barbaros constitutæ Ecclesiæ suam habebant politiam. Etenim unius gentis Episcopi metropolitis, metropolitæ suberant amplioribus Episcopis, quos *catholicos* vocabant. *Catholici* nomen denotat diœcesis amplitudinem, quæ per multas dispergitur provincias, & forsan ab initio toti genti unus Episcopus datus, qui inde *catholicus* audiit, & deinceps aucta re christiana & constitutis Episcopis & metropolitis *catholici* nomen retinuit (*a*). Quidquid vero hujus rei sit, *in barbarico* constitutæ Ecclesiæ ab Orientalibus pendebant Patriarchis, unde *catholicos* accipiebant suos. Ita Æthyopes pendebant ab Ecclesia Alexandrina, Armenia magna, antiquis *Persica* dicta, a Cæsareensi, Chaldæorum Ecclesia ab Antiochena. Ab Ecclesiis Orientis primum barbarorum Ecclesiæ in fide institutæ, semel adgnitam dependentiam deinceps continuarunt. Certe Æthyopum Ecclesia pendebat ab Alexandrina, quod iis primus Athanasius Frumentium dederit Episcopum (*b*). Et hanc semel quæsitam Orientalibus Ecclesiis in barbaros potestatem videtur confirmasse Synodus Constantinoploitana statuens (*c*), ut Ecclesiæ barbarorum *secundum consuetudinem, quæ est a Patribus observata*, administrentur: quamvis Zonoras & Balsamon confirmatam consuetudinem in eo positam scribant, quod Episcopis apud barbaros ex una in aliam provinciam, ad supplendum exiguum numerum Episcoporum, exire permittatur.

In totum Occidentem erat potestas Sedis apostolicæ.

§. IX. Jam quibus finibus in origine sua inclusus fuerit Romanus patriarchatus, acerrime inter doctos concertatur. Inde usque ab initio ei Schelestratus, Leo Allatius, Sirmondus, N. Alexander aliique solidum tribuunt Occidentem; contra alii post Dupinium ejus limites includunt Romana præfectura, quæ decem constans provinciis, distincta erat ab *Italica* diœcesi, cujus metropolis erat Mediolanum. Sed videtur distinguendum inter proprie sic dictam nulloque adminiculo suffultam Pontificis patriarchalem potestatem, & eandem Sedi apostolicæ cohærentem, quam distinctionem ipse Gregorius M. adhibuit (*d*). Et potestas quidem Pontificis patriarchalis Sedi apostolicæ cohærens per solidum Occidentem extendebatur, omnesque Occidentales metropolitæ ab eo dependebant: quo Romanus a cæteris distabat Patriarchis, quorum potestas per omnia propriis diœcesibus inclusa, tan-

(*a*) Marca diss. de primatibus n. 26.
(*b*) Socrates lib. 1. cap. 19.
(*c*) Can. I.
(*d*) Lib. XI. epist. 54.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tantum apud barbaros extendebatur. Et sane Patres Concilii Arelatensis I. literis ad Sylvestrum Pontificem asserunt, eum *majores* tenere *diœceses*, quia nempe septem aut octo Occidentis diœceses eminenti regebat potestate. Porro Basilius (*a*) Episcopum Romanum *Occidentalium coriphæum*, hoc est illius Ecclesiæ Principem appellat: & Hieronymus integrum Occidentem Damaso, ut solidam Ægyptum Petro, Alexandrino Episcopo, atribuit: diserteque scribit Augustinus (*b*), Innocentium Pontificem Ecclesiæ præsidere Occidentali. Versabatur autem per integrum Occidentem potestas ista Sedis apostolicæ in ferendis Canonibus ad fidei & disciplinæ confirmationem & observantiam, in relationibus accipiendis & discutiendis, & in majoribus caussis finiendis (*c*).

Romana præfectura includebatur Romanus patriarchatus.

§. X. Verum per se spectata Romani Pontificis patriarchalis potestas, quatenus metropolitas ordinat, & appellationes accipit a Synodis provincialibus, unica diœcesi, præfectura nempe Romana, includebatur. Extra Romanam certe præfecturam metropolitas Pontifices non ordinarunt: constatque ex universa antiquitate Gallicanos, Hispalenses, Africanos metropolitas ab Episcopis comprovincialibus manuum accepisse impositionem (*d*. Quin in ipsa *Italica* proprie sic dicta diœcesi, cujus metropolis Mediolanum erat, Mediolanensis antistes, non a Pontifice, sed a Synodo Episcoporum Italiæ ordinabatur, ut demostrat Ambrosii ordinatio ab Episcopis Italiæ, decreto Valentiniani Imperatoris coactis, celebrata (*e*). Porro ante receptos in Occidente Sardicenses Canones ad Romanum Pontificem ex solido Occidente provocatum non fuit, constatque qua animi constantia restiterint Episcopi Africani Romanis Pontificibus, qui ope Canonum Sardicensium sub nomine Concilii Nicæni objectorum appellationes ab Africanis Conciliis ad Sedem Romanam inducere conabantur. Nec ordinaria Pontificis Romani Synodus ex omnibus Occidentis Episcopis constabat, habebantque suas diœcesanas Synodos Gallia, Hispania, Africa & fere omnes aliæ Occidentis diœceses: quæ quamvis per legatos aut literas in causis communibus ad Ecclesiæ unitatem spectantibus cum Pontifice Romano communicabant, & ita Occidentalem repræsentabant Ecclesiam; in casibus tamen ordinariis, nulla ad Pontificem missa relatione, cognoscebant & judicabant. Sed temporis lapsu vicariis institutis, palliorum metropolitis injecta necessitate, falsis Decretalibus, missisque legationibus per totum Occidentem patriarchatus Romanus productus est.

Qua

(*a*) Epist. X.
(*b*) Lib. 1. contra Julian. c. 6.
(*c*) Marca de C. S. & I. lib. 1. cap. 7. n. 7.
(*d*) V. Dupin. diss. I. de antiq. Eccl discipl. §. 13.
(*e*) Theod. lib. 4. cap. 7.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Quæ fuerunt Ecclesiæ suburbicariæ.

§. XI. His ita observatis de finibus Romani patriarchatus, aliquid monendum superest de Ecclesiis *suburbicariis*, quibus olim potestas Pontificis Romani per Can. VI. Nicænum confirmata, inclusa dicebatur. Antiquus sane interpres latinus Canonum Græcorum & Rufinus Presbyter Aquilejensis (*a*) eum Canonem ita expresserunt, ut Pontifici subjectas dicat *Ecclesias suburbicarias*, quemadmodum Episcopo Alexandrino integram subjicit Ægyptum. Quo vero ambitu comprehensæ erant Ecclesiæ suburbicariæ inter viros eruditissimos nihil convenit. Eas Jacobus Gothofredus, Salmasius, Caveus aliique intra centesimum ab urbe lapidem, quæ regio ad præfecti urbis pertinebat jurisdictionem, includunt: contra Sirmondus & Dupinus per Romanam præfecturam, quæ decem constabat Provinciis, vicario urbis subjectis producunt: nec defuerunt, qui Ecclesias suburbicarias easdem esse docerent cum Ecclesiis Occidentalibus. Tot inter ambages magis videtur, Ecclesias suburbicarias Romana præfectura fuisse comprehensas. Sane eo sensu dictæ fuerunt *Ecclesiæ suburbicariæ*, quo ætate illa *regiones & provinciæ suburbicariæ* dicebantur. In ejus autem ætatis monumentis *regiones suburbicariæ* nunquam universum Occidentem, nec fortasse alicubi diserte intra centesimum ab urbe lapidem inclusas denotant regiones; bene vero significant decem provincias Romanam componente præfecturam: quod Sirmondus multis probat monumentis, ex quibus duo, quæ videntur possunt expressiora, seligemus. Ut ecce præfecto prætorio Italiæ quatuor parebant diœceses, *Italia* nempe stricte sic dicta, *Romana præfectura*, *Africa* & *Illyricum*, easque recensens Gratianus Imperator appellat *Italiam*, *regiones urbicarias*, *Africam* & *Illyricum* (*b*). Porro regiones urbicarias Romana præfectura fuisse inclusas demonstrant duo rescripta Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani simul collata, quorum uno Ursicino per Gallias relegato abscedendi ea lege tribuunt facultatem, ut *ne ad urbem Romam, vel certe suburbicarias regiones pedem inferat*, altero scribunt Maximino urbis vicario, ne per sibi subjectas urbes vetitasque regiones Ursicinum ire patiatur. Urbicariæ igitur regiones, quibus interdicebatur Ursicino, erant Provinciæ vicario urbis subjectæ, quæ Romanam componebant præfecturam.

Incrementa Constantinopolitani patriarchatus.

§. XII. Fines quoque patriarchatus Constantinopolitani per Synodum Chalcedonensem positi & patriarcharum ambitione & Imperatorum potentia longe lateque producti. Et primum quidem regiæ urbis Episcopi in reliquos Orientis patriarchatus irruerunt, quod dificile non fuit, præsertim postquam barbari civitates patriarchales, non ad-

(*a*) Lib. I. hist. cap. 6.
(*b*) L. I. C. Th. si per obreptionem fuerint impetrata.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

adhuc devictis inde omnibus pendentibus provinciis expugnarunt. Sub initium sæculi VII. titulum *Archiepiscopi* (quo dignitas, non potestas conferebatur) aliquibus Episcopis suburbicariis conferre cœperunt non sine Romanorum Pontificum indignatione. Modus vero nullus servatus sub Leone Isauro, qui ira percitus in Romanos Pontifices, quod ea constantia, quam Petri decebat successores, impia edicta de frangendis imaginibus rejecerint, & impugnarint, quidquid intra Siciliam & Thraciam Imperii Græci reliquum erat throno subtraxit Romano, & Constantinopolitano addixit. Unde nedum Illyricum, Epirus, Achaia & Macedonia; verum etiam Sicilia & maritimæ fere omnes Ecclesiæ suburbicariæ, quæ erant in Imperio Græco (in mediterraneis regionibus dominabantur Longobardi), Constantinopolitanam auxerunt diœcesim. Expressit quidem hac distractione Isaurus civilem politiam; verum odio potius in Pontifices, quam ex ea speciosa ratione tempore diœcesim Romanam decurtavit; & præterea ratio regiminis civilis tanta non erat, ut a primis sæculis receptam, & Canonibus Nicænis consecratam mutaret politiam. Bulgaria porro post multas concertationes circa IX. sæculi medietatem Constantinopolitanum auxit patriarchatum, quod pluribus Dupinus enarrat. Steterunt sub Constantinopolitano Patriarcha Ecclesiæ suburbicariæ usque ad Nortmannos, qui Græcis devictis subtractas Ecclesias throno Romano restituerunt, perdurantque adhuc in iis plura Græcorum disciplinæ vestigia.

Primates *exorti in occidente.*

§. XIII. Hactenus dicta majores primogeniosque spectant Patriarchas, dicendum modo de minoribus, qui in ipsis majoribus patriarchatibus eorumque ruinis emerserunt. Et in occidente quidem post nonum sæculum instituti sunt *primates*, qui *Patriarchæ* etiam dicti, præsunt quidem pluribus metropolitis, sed apostolicæ sedi sunt obnoxii. Convenit inter doctos (*a*), primates hoc sensu acceptos falsis Decretalibus originem debere suam. Deleto per Europam Romano Imperio, civilis, quæ obtinuerat, politia mutata est, totque emerserunt metropoles, quot regna fuerunt constituta. Ecclesiasticarum vero parochiarum forma ex antiqua disciplina civilem consequente, justum videbatur, earum metropoleon Episcopos potestate supra cæteros metropolitas attolli. In hoc rerum statu prodiit Pseudo-Isidorus, qui hanc disciplinam promotum ivit, passimque in suis putidis mercibus crepat, apostolica auctoritate fuisse constitutum, ut in nobilioribus civitatibus instituantur *primates* (*b*): quos tamen ne quidquam de potestate Sedis apostolicæ diminueret, veluti medios inter metropolitas & Sedem apostolicam effingit (*c*), e os-

(*a*) Petrus de Marca diss. de prim. n. XXIII.
(*b*) Can. I. D. 99.
(*c*) Can. VII. & XV. c. 2. q. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

eosque *Patriarchas* etiam appellat, quin contra morem vetustatis docet, *primatis & Patriarchæ* voces ejusdem esse significationis. *Primas diœcesis* in Canonibus Chalcedonensibus ex versione Dionysii Exigui Pseudo-Isidoro occasionem videtur dedisse ad primatis vocem in ampliorem sensum attollendam, falso credens, *primates diœcesis* eosdem esse cum *primatibus* ἁπλως dictis. Exæquatio vero *primatum & Patriarcharum* videtur facta de more sæculi, quo in Gallia invaluerat, ut ampliores Episcopi *Patriarchæ* dicerentur. Quidquid vero hujus rei sit, inde receptis per occidentem Pseudo Isidorianis Decretalibus, ex earum formula, subinde repugnantibus aliis metropolitis, per Pontifices instituti primatus Bituricensis, Cantuariensis, Lugdunensis, Toletanus, Narbonensis, Armacanus, Pisanus, Bariensis, aliique, quibus a metropolitis appellationes concessæ, & jus datum anteferendæ crucis. Sed hodie tantum primatus Lugdunensis appellationis jura conservat, tantumque reliqua est cæteris honoris prærogativa.

Patriarchatus Aquilejensis & Gradensis, *aliique.*

§. XIV. Sunt autem in Italia duo patriarchatus, qui falsis Decretalibus originem non debent suam, *Aquilejensis* scilicet & *Gradensis.* De more apud Gothos recepto, qui italici regni Episcopos dicebant *Patriarchas*, primum Aquilejensibus metropolitis *Patriarchæ* titulus quæsitus, quem deinde aptum ad tuendam usurpatam αὐτοκεφαλίαν continuarunt. Ob non admissam nempe *trium capitulorum* condemnationem in Synodo V. decretam, in Ecclesia schisma Histriæ Episcopi conflaruut, se a communione sedium Patriarchalium subtrahentes. Et hinc veluti exarchum adgnoverunt metropolitam suum Aquilejensem, idque præsertim quod, diruta Sirmio, Aquileja caput Illyrici occidentalis evasisse videretur. Nulli parebat schismaticus Aquilejensis iste Patriarcha, & nullius postulata venia a sibi subjectis Episcopis ordinabatur. Capta autem per Longobardos Aquileja, in Gradum insulam, Imperatori subjectam, sedes Aquilejensis translata est (*a*), ubi tandem circa an. IↃCV. mortuo Severo Patriarcha, monitu Pontificis proposuit exarchus electionem Patriarchæ, qui extinto schismate ad Ecclesiæ rediret unitatem. Repugnantes Episcopi Ravennam abducti, fractique minis elegerunt Candidianum, qui catholicam amplexus unitatem, Gradum reversus est. In libertatem vero adserti Episcopi, multi ad Ecclesiæ redierunt unitatem, alii vero, iique præsertim qui in regno erant Longobardorum, de vi conquesti, assentiente rege Agilulpho, proprium sibi crearunt Patriarcham, qui Aquilejæ sedem posuit suam. Ita in duos, sed diversæ communionis, abiit patriarchatus Aquilejensis (*b*).

Ex-

(*a*) Paulus Diaconus lib. II. cap. 8.
(*b*) Murator. in annal. Italiæ in an. DCV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Extincto schismate Aquilejensis non minus quam Gradensis Episcopus merum *Patriarchæ* titulum retinuit: donec tandem uterque beneficio Romanorum Pontificum honore & dignitate creverunt patriarchali. Sed sedes Aquilejensis Forum Julii translata est, & inde Utinum, unde *Forojulienses*, & *Utinenses* Patriarchæ; Gradensis vero Venetias, ubi Ecclesias serenissimæ Venetorum republicæ moderatur. Indiarum quoque Patriarcha sæculo XVI. beneficio sedis apostolicæ institutus est, & tandem, postulante Joanne V. Lusitaniæ Rege, Episcopus Ulyssiponensis per Clementem XI. an. CIↃIↃCCXVI. dignitate crevit patriarchali.

Minores patriarchatus nati ex orientalibus.

§. XV. In oriente quoque in varia frustula abierunt patriachatus, emerseruntque varii novique Patriarchæ, idque occasione hæresum olim apud Græcos exortarum. Pluribus quidem celebratis Conciliis Monothelitas, Euthychianos, Nestorianos, aliasque orientales hæreses Ecclesia proscripsit; at Græcorum permulti Spiritui sancto resistentes aperte in erroribus perseverarunt, alii tempori cedentes, occultarunt potius, quam hæreses abjecerunt. Hinc per barbaros Alexandria, Antiochia, Hierusalem subjugatis, antiqui omnes errores eo cum successu recentati, ut bona pars orientalium eos profiteretur: idque præsertim quod apud novos dominos gratiosiores erat quicumque cum Ecclesia Græca & Imperatore non communicabant. Unde in patriarchatibus Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, eorumque dependentibus Ecclesiis tot pullularunt sectæ, *Maronitæ*, *Jacobitæ*, *Nestoriani*, *Cophti*, *Armeni* aliique, qui erroribus Monothelitarum, Euthychianorum, Nestorianorum aliorumque imbuti, proprios sibi constituerunt Patriarchas. Ita oriens christianus duplicis generis habere cœpit Ecclesias, *Græcorum* nempe proprie sic dictorum, qui in fide perseverantes vivunt sub legitimis Patriarchis, & *sectariorum*, qui a communi fide desciverunt. Sub dominio barbarorum orientis christiani splendor hodie omnino jacet, sedetque Græcus Patriarcha Alexandrinus apud Cayrum, Damasci vero Antiochenus. Sed sectarii orientales fere omnes ejuratis erroribus in Ecclesiæ Romanæ vario tempore venerunt communionem; quod Thomassinus & Michel le Quien (*a*) multis demonstrant. Ex patriarchatu porro Constantinopolitano emersit Moschorum patriarchatus. Pendebat quidem a Constantinopolitana Moschorum Ecclesia; sed inde per Turcas expugnata Constantinopoli cœperunt Moschi aut abrumpere, aut laxare vincula priora, quibus Constantinopolitano adhærebant Patriarchæ, præsertim postquam Turcarum Imperator per summum nefas sibi Patriarchæ Constantinopolitani electionem usurpavit.

CA-

(*a*) Le Quien in Oriente christ.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

CAPUT XI.

De Romano Pontifice.

B. Petrus primatum supra Apostolos habuit.

§. I. Romanus Pontifex, qui inde a multis sæculis κατ' ἐξοχήν dicitur *Papa*, Episcopi, metropolitæ, Patriarchæ & successoris B. Petri personam in Ecclesia sustinet. Nos his de eo tractaturi, tantum successoris B. Petri spectamus prærogativam, qua fit, ut *primatum* in Ecclesiam obtineat universam. Est quidem Pontificii primatus tractatio theologorum propria, sed quum inde multi juris canonici articuli dependeant, paucis ipsius primatus naturam proponemus, ut ita tanquam a proprio fonte jura Romanæ sedis deriventur. Ac B. quidem Petrum eminenti supra cæteros Apostolos potestate per Christum fuisse donatum, in Evangelio est testatissimum. Ut ecce Christus se supra Petrum Ecclesiam suam ædificaturum conceptis verbis edixit (*a*); Petro regni cælorum claves promisit (*b*): eique ter rogato, an se amaret, agnorum & ovium curam demandavit (*c*), hoc est nedum fidelium, sed ipsorum pastorum commisit solicitudinem. Et quanquam quod Petro Christus promisit, aliis etiam Apostolis reapse dederit (*d*), & Ecclesiam supra omnes Apostolos fundarit (*e*): quod passim veteres Patres adgnoscunt; negari tamen non potest, aliquid præcipuum præ reliquis Petro fuisse tributum, alioquin non erat, cur unum Petrum in clavium promissione Christus adloqueretur, eumque solum Ecclesiæ fundamentum diserte nominaret, & seorsim ab eo summum expostularet amorem: quod ii ipsi Patres, qui Petri prærogativas & reliquis Apostolis adserunt communicatas, in primis Cyprianus & Hieronymus, diserte profitentur.

Petri primatus positus in Ecclesiæ unitate.

§. II. Quo igitur natura ecclesiastici primatus Petro dati intelligatur, quid præcipuum præ reliquis Apostolis Petrus habuerit, constare debet. Opinantur quidem multi, inter quos ipse Petavius (*f*), omnes Apostolos parem honoris & potestatis gradum accepisse, at cæterorum potestatem fuisse *personalem*, quæ cum ipsis desineret, Petri vero *realem*, quæ ad ejus transiret successores: in quo

(*a*) Matth. XVI. 18.
(*b*) Matth. eod. 19.
(*c*) Joann. XXI. 15. seqq.
(*d*) Joann. XX. 1. seqq.
(*e*) Ad Ephes. II. 20.
(*f*) Lib. IV. de eccles. hierarch. cap. 7 n. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quo positam Petri sentiunt prærogativam. Verum ita extolluntur quidem Pontifices supra reliquos Episcopos, at non Petrus super Apostolos. Magis ergo Evangelio congruere videtur, ratione apostolatus ex æquo parem potestatem Apostolos omnes accepisse, sed Petrum positum fuisse centrum ecclesiasticæ unitatis, eoque nomine cæteris fuisse prælatum. Sane omnes Apostolos eadem potestate, qua ipse a Patre missus erat, misit Christus, iisque post resurrectionem claves regni cælorum ex æquo concessit (*a*); verum æqua inter Apostolos potestas, & clavium jus ex æquo omnibus demandatum, ad unius Ecclesiæ fundationem & vero etiam perpetuam spectabant durationem. Necesse ergo erat, ut inter plures pari potestate præditos, unum Christus seligeret, in quo præcipue Ecclesiæ unitatem solidaret, & veluti totius ædificii firmam petram constitueret, ut ita magis magisque exprimeret unitatem. Selegit autem Petrum, eumque Ecclesiæ suæ præcipuum posuit fundamentum, cui adhærerent omnes, & ratione unitatis subjicerentur. Ad rem Cyprianus (*b*): *Hoc utique erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Et Hieronymus (*c*) postquam dixit, non minus supra cæteros Apostolos, quam supra Petrum fundatam Ecclesiam, & claves ex æquo omnibus datas, subjungit: *propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Ita primatus Petro demandatus Ecclesiæ tantum spectavit unitatem, non reliquas apostolatus prærogativas, eoque nomine data Petro fuit eminens supra cæteros Apostolos potestas ad Ecclesiæ tuendam & conservandam unitatem (*d*).

Romanus Pontifex Petri successor in primatu.

§. III. Hæc autem Petri supra cæteros Apostolos prærogativa dubio procul personalis non fuit, ut cum illo extingueretur. Primatus a Christo non propter Petrum, sed propter unam æternumque duraturam Ecclesiam institutus, etiam perpetuum stare debet. Unde perpetua primatus existentia, non secus ac ipsius institutio, ab jure divino dimanat. Sed ratio ipsa successionis, seu quisnam Episcoporum, mortuo Petro, in primatum erat successurus, potius humani, quam divini juris est: quod ipse Bellarminus adnotavit. Instituto enim in Ecclesia perpetuo primatu, eoque Petro tributo, nihil de Episcopo, qui Petro erat successurus, Christus edixit. Unde successio in primatum ab ipsius Petri arbitrio & Ecclesiæ manavit consensione. Multas quidem Petrus fundavit Ecclesias, earumque nonnullas ad tempus etiam rexit; sed inter omnes Roma-

nam

(*a*) Joann. XX. 21. seqq.
(*b*) Lib. de unitat. eccles.
(*c*) Adver. Jovin. cap. 14.
(*d*) Marca diss. de discrim. Cleric. & Laic. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nam selegit, quæ sibi succederet in primatum: quam Ecclesiæ Romanæ prærogativam universa testatur antiquitas; Concilia, Patres, Imperatores adgnoscunt & prædicant (*a*). Non alienum a ratione visum Petro, Principem in Imperio civitatem etiam in Ecclesia primum obtinere locum, ibique esse centrum ecclesiasticæ unitatis, ubi altiores radices egerat superstitio. Ita ex Petri electione quæsita Ecclessiæ Romanæ successionis in primatum prærogativa, de jure divino est, Romanum Pontificem in universam Ecclesiam primatum obtinere.

Summus Pontifex fidem & disciplinam tuetur.

§. IV. His ita constitutis, primatus jura persequamur oportet, ea tamen moderatione, ut tantum propria juris canonici proponamus. Et primum (I) quidem jus, quod Pontifici Romano primatus conciliat, consistit in fidei integritate tuenda, & promovenda Canonum observantia. Omnibus quidem Episcopis incumbit solicitudo ad fidem tuendam, & Canonum observantiam, sed potiori ratione ob primatum Pontifici Romano. Sane ad unitatem Ecclesiæ solidandam cæteris Apostolis Petrum Christus præposuit: & Ecclesiæ unitas ex fidei integritate promanat, & Canonum observantia promovetur. Tantum onus sibi imminere ipsi viderunt Pontifices, qui passim professi sunt, se paternarum traditionum & Canonum esse custodes, in primis Gelasius, Martinus I., Lucius III., Innocentius III. aliique, quorum verba N. Alexander congessit (*b*). Quin mediis sæculis recens creati Pontifices solemni juramento se adigebant ad Canonum & paternarum traditionum observantiam: quod ex Pontificum *diurno* Ivo Carnotensis observavit (*c*). Et inde est, quod in fidei & Canonum temeratores primi semper Romani Pontifices insurrexerunt, malum sui primatus auctoritate pœnisque Canonis infflictis in ipso exordio comprimere studentes.

Summus Pontifex Decretales *emittit.*

§. V. Porro primatus prærogativa sedi Romanæ cohærens (II) facit, ut summus Pontifex regulas condat, quæ *decreta* & *Decretales*, & , recepto hodie vocabulo, *bullæ* nuncupatæ, universam adstringant Ecclesiam. Sane cui firmandæ ecclesiasticæ unitatis fecit Christus potestatem, certe regulas statuere potest, quæ unitatem illam confirment, & promoveant: quod sexcentis constat antiquitatis monumentis, quæ passim exhibent Decretales, quibus Pontifices fidem confirmant & in dubiis explicant, receptæ vero disciplinæ promovent observantiam, & quandoque etiam pro locorum & temporum adjunctis novos ritus inducunt. Etenim fidei morumque regula una est, *ir-*

(*a*) Natal. Alexander diss. IV. in I. sæcul. §. 2. & 4.
(*b*) Diss. IV. in sæcul. I.
(*c*) Epist. LX. ad Joann. Lugdunes.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

irreformabilis, mutationi vero est obnoxia disciplina. Sponte vero sua, aut ab aliis consulti decreta edunt Pontifices. In speculis universæ Ecclesiæ constituti, & sponte sua novitati debent occurrere, & aliorum consultationibus respondere. Omnibus quidem summarum sedium antistibus jus fuit recipiendarum ex suis diœcesibus relationum; at ad Romanum Pontificem, quod præ aliis principatu quodam vigebat, ab ipsis primis sedibus, earumque Synodis mittebantur consultationes, quod, ut alia omnia deessent, testatur Hieronymus qui se apud Damasum Pontificem adsidere *orientis atque occidentis synodicis consultationibus* respondendis profitetur (*a*). Synodicis autem consultationibus per rescripta pontificia robur accedebat, quod diserte adserit Synodus Milevitana de damnata Pelagii & Cælestii hæresi ad Innocentium I. Missa relatione. Jus vero ad primam sedem referendi Cyrillus Alexandrinus ab Ecclesiarum *longa consuetudine* (*b*), Innocentius vero I. *ab antiqua regula* arcessit & derivat (*c*). Tantum vero de iis, quæ erant fidei controversæ & dubiæ disciplinæ ad primam sedem mittebantur relationes; sed lapsu temporis etiam res minutæ ingentem relationum materiam suppeditarunt, retuleruntque ad Romanum Pontificem ipsi Clerici & capitula Ecclesiarum, viluitque quodammodo Decretalium gravitas & auctoritas. Sive autem sponte sua Pontifices decernerent, sive ab aliis consulti responderent, Synodum semper adhibebant Romanam, in qua de negotiis omnibus ecclesiasticis tractabant, Synodumque Romanam expresserunt deinceps Cardinales, de quorum Concilio hodie Pontifices condunt Decretales.

Et ex justa causa Canones relaxat.

§. VI. Primatus quoque eminentia Romano Pontifici (III) jus tribuit Canones juris positivi quandoque relaxandi: quod, recepto in re canonica vocabulo, *dispensatio* dicitur. Sunt Canones ad Ecclesiæ salutem conditi, adeoque Ecclesiæ bono suadente jus certe est sacris Antistitibus, & præsertim Romano Pontifici, Canonum remittere observantiam. Summa vero moderatione & prudentia Episcopi, ipsique Pontifices, tanta potestate olim usi sunt, nam infractorum Canonum pœnam passim remiserunt, & raro eorundem infringendorum fecerunt potestatem, nec nisi sæculo XI. peccantium multitudine factum est, ut dispensationes ad infringendos Canones in usum abirent adsiduum. Quidquid vero hujus rei sit, Canonum relaxationes urgence tantum Ecclesiæ necessitate, vel utilitate suadente fieri debent. In casibus ordinariis semel constituti Canones obtineant, oportet, ne justi & injusti regulam in ministrorum arbitrio, non in Canonibus constituamus. Sententia est Damasi Papæ

(*a*) Epist. XI ad Ageruchiam.
(*b*) Epist. ad Cælestinum part. I. Conc. Ephes. cap. 14.
(*c*) Epist. ad Conc. Milevit. inter August. XCI.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

pæ, normam sanctorum Canonum fidelissime custodiendam, nec sine *inevitabili necessitate* ab iis licere discedere (*a*) Nulla urgente necessitate, aut nulla utilitate suadente, concessa dispensatio, judice B. Bernardo (*b*), *crudelis dissipatio* est. Utilitas autem non privata, sed communis esse debet, ut idem B. Bernardus recte admonuit. Et certe Canonum relaxationes ab antiquis Conciliis & Pontificibus factæ, semper in publicam cesserunt Ecclesiæ utilitatem. Sed inde usque a sæculo XI. minor utilitatis privatorum ratio haberi cœpit, quam antiquis moribus habita fuit: quam disciplinam proponunt Decretales: etenim scientia, morum honestas, bona fama, meritorum prærogativa, nobilitas parentum tanquam justæ dispensandi causæ in iis proponuntur (*c*. Unde profecta est dispensationum frequentia in votis, beneficiis, irregularitatibus & matrimoniis, quæ B. Bernardi, Matthæi Parisiensis, Joannis Gersonii aliorumque virorum gravissimorum querelas provocarunt.

Pontifices jure suo cogunt Synodos generales.

§. VII. Cogunt quoque (IV) summi Pontifices ob sibi competentem primatum Synodos generales. Est generalis Synodus supremus Ecclesiæ senatus, adeoque, nisi auctoritate ejus, qui Ecclesiæ præest universæ, recte non cogitur: quod antiqua adgnovit Ecclesia (*d*), confirmatque praxis recentiorum Conciliorum in occidente habitorum, quæ per Romanos Pontifices indicta sunt omnia. Convocarunt quidem priora octo Concilia generalia in oriente celebrata Romani Imperatores, at id precario potius, quam jure proprio fecisse non videtur dubitandum. Certe professus est Valentinianus senior, non esse sui juris negotiorum ecclesiasticorum tractationem & Conciliorum indictionem (*e*). Vix erat, ut stante Imperio Concilia cogerentur, nisi Principes auctores fierent, suppetiasque ferrent Ecclesiæ laboranti. Per leges publicas conventus agitare, Principe inconsulto, erat interdictum, tractoriis ad iter faciendum Epis opis erat opus, & sacra Antistitum potestas temporali Imperio erat sustinenda. Ab eo quoque tempore, quo christiani esse cœperunt Imperatores, *Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt*, quod diserte Socrates scribit (*f*), & passim antiqua monumenta testantur. In hoc rerum statu quum necessitatem Concilii Ecclesia intelligeret, ad illud impetrandum adire Principes debebat, Principes vero Concilia concedentes, non jus sacrum exercebant, sed Ecclesiam tuebantur, eamque, in quo deficiebat, adjuvabat. Ita ad Concilii ce-

(*a*) Epist. ad Aurel. Chartag.
(*b*) lib. III. de consi ler.
(*c*) Cap. XX. ex. de elect., cap. 38. ex. de præb.
(*d*) Epist. Synod. Conc. Constantin. ad Damasum ap. Theod. lib 5. cap. 8., Pelag. II. ep. 8. cap. reg Franc. lib. cap. 287.
(*e*) Ap. Sozom. lib. 6. cap. 7.
(*f*) Præf. ad lib. 5. hist. eccles.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

celebrationem Romani Episcopi & Imperatoris auctoritate & adsistentia opus erat. Et hinc Concilium Nicænum *ex Sacerdotum sententia*, ut loquitur Rufinus (*a*), indixit Constantinus Magnus, omnes Synodi generales per Pontifices ab Imperatoribus postulatæ & impetratæ fuerunt, quandoque etiam recusatæ & impeditæ; quin etiam non adsentientibus Pontificibus Imperatores aliquando Synodos indixerunt (*b*). Non erat igitur, cur ab indictis per Imperatores primis œcumenicis Conciliis Joan. Launojus Pontificum privilegium Imperatoribus tribueret.

Et in iis præsident.

§. VIII. Nec tantum ratione primatus summi Pontifices generales indicunt Synodos; verum etiam in iis (V) vel per se vel permissos legatos præsident. Corpus capite truncatum sint, oportet, Concilia generalia sine Romani Pontificis presidentia. Et hinc Synodo Nicænæ, quidquid alii sentiant, Osius Cordubensis Episcopus, Vito & Vincentium, Romani Presbyteri, præfuerunt, vicem Silvestri Pontificis sustinentes (*c*). Constantinopolitanæ Synodo nulla præfuit Pontificis legatio; ad Synodos illa potius ex consecuta receptione, quam origine sua censetur universalis. In Ephesino Concilio Cyrillus Alexandrinus vices agens Cælestini Pontificis (*d*), & in Concilio Chalcedonensi Paschasinus & Cucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter nomine Leonis Magni (*e*) præfuerunt. Quin tantæ necessitatis Pontificis presidentiam habuit Synodus V. generalis, ut tribus amplissimis legationibus Vigilium Pontificem, tum Constantinopoli præsentem, ad Synodi præsidentiam invitarit, tertiæque synodali legationi tres patricios & quæstorem suum Justinianus adjunxerit. Vigilius autem noluit præsidere, dixitque seorsim a Synodo sententiam porrecturum suam, & reipsa peculiari constituto Synodi definitionem confirmavit, & *quinta Synodus constitit*: quod Synodus sexta œcumenica adnotavit.

Cum prærogativa relationes & suffragii.

§. IX. Verum præsidentia ista in Conciliis Romano Pontifici competens, non mera est consessus prærogativa, sed (IV) jus relatio is cum prærogativa suffragii habet adnexum. Qui in consessu omnibus præest, proculdubio in omnibus consessus negotiis primus referre & censsere debet. In Concilio Apostolorum, ad legalium dirimendas controversias coacto, omnium primus Petrus sententiam dixit (*f*). Et hinc in Conciliis omnium primum literæ Pontificum le-

(*a*) Lib. V. hist eccles cap. 1.
(*b*) Lup. schol in Can XVI. dict. Greg. VII.
(*c*) Petrus de Marca lib V. de C. S. & I. cap. 3.
(*d*) Act. I Conc Ephes., Conc Chalc. in defin. fidei.
(*e*) Leo. M ep. XLVII. ad Synod., & epist. L. ad Marcianum.
(*f*) Actor. XV. 7.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

legebantur. Tempore Concilii Chalcedonensis hoc jus relationis pontificiæ cum suffragii prærogativa adeo constabilitum erat, ut eo præsertim nomine dignitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ obstiterint Romani legati, quod Leo Pontifex ejus rei auctor non fuerat, quemadmodum auctor fuerat recta fidei statuendæ: quam legatorum sententiam non omnino rejecerunt Patres, quamvis ob temporis adjuncta ei tum locum esse non posse contestati sint. Referre autem & censere debebant Pontifices secundum receptam fidem & ecclesiasticas regulas: quod communi tractatu quum constitisset ad exemplar literarum apostolicarum sententiæ ferebantur, & decreta condebantur. Libertati vero suffragiorum nihil obsticit com suffragii prærogativa Pontificis relatio. Per omnia sententiæ Petri in Concilio Hierosolymitano Jacobus non consensit, & tamen in Jacobi sententiam, concesserunt omnes (*a*). Et hinc vix est, ut jus pontificiæ relationis cum Petro de Marca (*b*) componere possimus cum jure relationis & prærogativa suffragii, quod, translato in republica Romana ad Principem Imperio, exercuerunt Imperatores: etenim dicis causa non adhuc plene constabilita unius dominatione senatum Imperatores consuluerunt. Sed inde usque a tempore Concilii Chalcedonensis major relationis pontificiæ ratio haberi cœpit, donec eo ventum est, ut aliquando decreta tanquam a Pontificibus in Conciliis edita proponantur. Certe decreta Concilii Lateranensis IV. hanc præferunt inscriptionem, *Innocentius III. in Concilio Lateranensi.*

Ad Pontificem appelatur ob omnibus provinciis.

§. X. Facit quoque primatus Pontificis, ut (VII.) ad sedem Romanam in causis ecclesiasticis ab omnibus provinciis appeletur. Est Pontifex Romanus cæteris Episcopis jurisdictione superior, & ad eum jure primatus præ cæteris incumbit Canonum observantia & exsecutio. Naturalis autem ratio ab inferiorum judicum sententiis ad superiorem dictat appelandum: & exsecutio Canonum qui potest obtineri, nisi jus sit Pontifici in eorum infractores animadvertendi? Ita jus appelationum ad Romanam sedem primatui cohæret: quod bene inter cæteros probat N. Alexander (*c*). Verum hoc jure non semper usa est sedes apostolica. Ecclesiastica disciplina formari cœpit eo tempore, quo per persecutiones jura primatus non omnia poterant explicari, multo minus ad Romanam sedem appelationes. Et hinc Nicæni Patres antiquis adhærentes moribus statuerunt, ut negotia omnia ecclesiastica in provinciis finirentur (*d*), nec quidquam habent de provocatione ad aliam majorem Synodum. Quo decreto etiam Episcoporum causas inclusas fuisse ad Cælestinum Pontificem

sc rip-

(*a*) Act. XV 19. seqq.
(*b*) Lib. V. de C. S. & I. cap. 3.
(*c*) Diss. XXVIII. in sæc. IV.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. V.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

scripserunt, Patres Africani (*a*). Inde sublevandis Episcopis, qui regnante Arianismo ab hæreticis passim opprimebantur, ad B. Petri memoriam honorandam, potestatem fecit Episcopis damnatis Synodus Sardicensis appellandi sedem apostolicam, ut judicium in provincia renovetur, si Romanus Episcopus renovandum judicaverit, adjunctis tamen finitimis Episcopis, aut ab eo missis a latere legatis (*b*). Post hoc decretum paulatim usus appellationum increvit, passimque receptum & admissum fuit, quamvis non defuerint, qui magnis animis negotia in provinciis terminanda esse defenderint, quo nomine celebres Episcopi Africani. Quin ulterius res progressa est, nam ope falsarum Decretalium causæ majores Episcoporum etiam in prima instantia Synodis provincialibus ablatæ, sedi cesserunt Romanæ. Sed de appellationibus ad sedem Romanam in tractatu de judiciis ecclesiasticis agemus ex instituto.

Titulus Episcopi œcumenici *Pontifici jure debitus.*

§. XI. Primatus quoque ratione in universam Ecclesiam sedi Romanæ cohærentis, jure meritoque summus Pontifex Episcopi *œcumenici* titulo posset decorari. Et reapse Clerici Alexandrini & Romani legati in Synodo Chalcedonensi, quin hæc ipsamet Synodus Romanum Pontificem *Papam* & *Patriarcham œcumenicum* dixerunt (*c*). Sed Romani Pontifices quamvis datum titulum minime respuerint; non tamen eo se ipsi condecorarunt: quod Gregorius M. testatur (*d*). Et certe suppositiæ sunt inscriptiones omnes literarum Leonis M., quæ titulum præferunt universalis Episcopi, ut recte Joannes Launojus observavit (*e*). Metuebant Romani Pontifices ne titulum *Episcopi œcumenici* alii falso acciperent, eoque significari intelligerent non eminentem Pontificis in Ecclesiam potestatem, sed unum esse per universam Ecclesiam Episcopum, aut Patriarcham. Sed quo titulo Romani Pontifices propter mali speciem uti noluerunt, eo Græci sexto sæculo in primis Justinianus, suos ornare cœperunt Patriarchas. Synodo inde Constantinopoli coacta Joannes IV. cognomento *Jejunator* seipsum *Episcopum universalem* dixit, titulumque per Synodum sibi fecit confirmari: eumque continuarunt successores, non quod se tutius sub cœlo Ecclesiæ, sed amplissimæ suæ diœcesis dicerent universales, ut testatur Anastasius Bibliothecarius. Sed Romani Pontifices Pelagius II., Gregorius M. aliique succesores prævidentes ad jura universalis primatus contendere Patriarchas Constantinopolitanos (Concilium, quod Constantinopoli Jejunator coegerat, dictitabat *universale*, & causam Gregorii Antiocheni Patriar-

chæ

(*a*) Cod. Afric. Can. CXXXVIII.
(*b*) Conc. Sard. Can. V
(*c*) Lupus schol. in Can. II. dictat. Gregorii. VII.
(*d*) Lib. IV. epist. 16.
(*e*) Epist. ad Franc. Bonum.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

chæ usurpaverat judicandam (*a*)) ambitiosum *œcumenici* titulum reprovarunt, eoque nomine graviter Constantinopolitanos increparunt Patriarchas. Præsertim vero Gregorius M. *œcumenici* titulum non solum *profanum*, *temerarium* (*b*) & *stultum* dixit; verum etiam eo cæteris Episcopis honorem & gradum scripsit derogari in hac controversia Joanni favit Mauritius Imperator, Gregorio vero S. Eulogius Alexandrinus Patriarcha, qui œcumenici titulum Gregorio tantum convenire ajebat, cui re ipsa tribuit, sed ut in posterum eo titulo abstineret Gregorius rescripsit. Quin ut factis ipsis retunderet Gregorius Græcam ambitionem *servum servorum Dei* primus seipsum inscripsit, ut testatur Joannes Diaconus (*c*). Quem modum deinceps servarunt Pontifices, quamvis non destiterint cæteri eos *Episcopos* & *Patriarchas œcumenicos* appellare, & quandoque ipsi etiam se *œcumenicos* inscripserint (*d*), ut mittam, quod titulus *Episcopi* sine alio addito universitatem involvat.

Summus Pontifex Canonibus subjectus.

§. XII. Qauta demum cumque fuit primatus Romanæ sedis eminentia, certe Pontifices supra Canones non extulit, hactenus ut contra Canones facientes, non peccent. Ipse sæculi principatus legibus Principes non solvit, multo minus primatus ecclesiasticus, qui potius exempli & laboris, quam imperii est, supra Canones effert, Pontifices. Quin præcepit diserte Christus, ut major inter discipulos suos fiat sicut minor, & potius ministrare, quam ministrari intendat (*e*). Sæpe ipsi Romani Pontifices, præsertim Zosimus (*f*), & Hormisdas (*g*) se contra Canones & Patrum statuta nihil posse professi sunt. Hinc constans totius antiquitatis sententia fuit, Pontifices, non secus ac reliquos Episcopos, in crimina, quæ secundum Canones degradatione puniebantur, incidentes, ipso facto excidere pontificatu, & ad laicam abjici communionem (*h*). Ita ut Cornelium Pontificem non solum perperam electum, sed etiam omni priori gradu exutum evinceret factio Novatiana garrivit, illum Trophimi thurificati communione fuisse pollutum. Erat firmum argumentum, & hinc non ejus consequentiam, sed calumniosum antecedens Cyprianus evertit. Sibi *ordinis* & *officii* periculum imminere Innocentius III. adgnovit, si contra evangelicam veritatem aliquid moliretur: & Gregorius IV. profitetur *propter homicidium*, *sacrilegium* vel *aliquid hujusmodi* se posse excidere pontificatu. Invitis ergo sacris Canonibus ipsisque Pontificibus, docere cœpit Gratianus, Pontifices non necessitate obsequendi, sed ad exemplum subjici Canonibus.

An

(*a*) Pelagius II. epist 8.
(*b*) Lib. IV. ep. 36. & 58.
(*c*) Lib. IV. vit Gregor. M. cap. 58.
(*d*) Lup. schol. in Can. II. dict. Gregorii VII.
(*e*) Luc. XXII.
(*f*) Can. VI c. 25. q. 1.
(*g*) Can. IX. eod.
(*h*) Lupus. in Can. XIX. dictat. Gregorii.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

An Pontifex judiciis ecclesiasticis subjaceat?

§. XIII. Videamus modo an primatus eminentia, quæ supra Canones non extollit Pontifices, eosdem ecclesiasticis eximat judiciis. Et quod attinet ad Synodos particulares, certi juris est, earum judiciis Romanos Pontifices non subesse. Contra naturam profecto est, ut inferior in superiorem sententiam dicat. Unde Dioscorum & Photium, qui Leonem Magnum & Nicolaum Pontifices excommunicarunt, universa damnavit Ecclesia: & Synodus Italiæ per Theodoricum regem contra Symmachum coacta, diserte professa est, se de Pontifice non posse cognoscere: quod ex ipsa Synodo constat: in qua eadem sententia fuit tum Ecclesia Gallicana. Verum ea fuit Pontificum humilitas, ut de criminibus accusati, quandoque primatum suum sponte Synodo Romanæ subjicerent, in hoc ipso monitum Christi sequentes, quo voluit, ut major inter discipulos suos fieret sicut minor. Ita Damasus Synodo Romanæ se subjecit, & inde Symmachus Italiæ Synodo *ordinis judicandi* fecit potestatem, quo cognito Synodus causæ suscepit cognitionem. Quin antiquæ disciplinæ pars fuit, ut si Pontificum causæ Concilio non crederentur Episcoporum, apud Concilium imperiale seipsos purgarent, quemadmodum fecit Silvester apud Constantinum, & Damasus primum apud Valentinianum, & deinde apud Gratianum & Valentinianum II., ut constat ex literis Concilii Romani sub Damaso ad Gratianum Imperatorem a Sirmondo editis (*a*). Adrogarunt sibi quidem in tantis mediorum sæculorum turbis Synodi particulares in legitimos Pontifices, judicio non consentientes, dicere sententiam, eosque pontificatu exturbare; verum nullius momenti fuerunt ejusmodi exauctorationes, quæ vi potius, quam jure decretæ fuerunt. Et id quidem de Conciliis particularibus; verum an etiam Pontifex judicio Synodi generalis non subjaceat, non adeo videtur exploratum. Sæculo sexto quo tempore Simmachi causa agitabatur, non minus Ecclesia Romana, quam Gallicana (*b*) certum videtur habuisse, etiam judicio generalium Synodorum Pontifices non subesse: quam eandem sententiam tenuit deinceps Synodus Romana coram Carolo Francorum Rege contra Leonem III. coacta (*c*). Atque ex his similibusque manavit decantatum illud, quod exstat in suppositiis actis Synodi Sinuessanæ, *prima sedes a nemine judicatur*. Sed Synodus VIII. generalis (*d*) quo casu *facta fuerit de sancta Romana Ecclesia quævis ἀμφιβολία ambiguitas*, permittit œcumenicis Synodis de Romano Pontifice criminalem quæstionem ad emendationem & profectum cognoscere, in tantum vetans, ne in Pontificem audacter sententia

(*a*) In append. c. Th. V. Christ. Lupus loc. cit.
(*b*) Can. XIV. c. 9. q. 3., Avitus Viennens. epist. XXXI.
(*c*) Anastas. in vit. Leon. III.
(*d*) Can. XIII. Græc. edit.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tia proferatur. Vox ἀμφιβολία non obscure subindicat, Synodum hoc Decreto cavisse de dubiis minutisque delictis, quibus ipso jure non erat adnexa degradatio, nam in magnis criminibus non meram emendationem, sed declarativam saltem extrusionis sententiam Concilio œcumenico permitteret. Integra enim tum stabat disciplina, quæ Episcopos omnes, etiam Pontifices, ob magna crimina ipso facto degradabat. Hodie laxata jam disciplina, quæ ob grandia crimina Episcopos ad laicos abjiciebat, conveniunt omnes, posse per generalem Synodum in Pontifices hæreticos aut schismaticos sententiam dici, quamvis in eo dissideant, num sententia isthæc tantum declaret, an etiam judicet Pontificem extrusum.

CAPUT XII.

De Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

Notio vocis Cardinalis.

§. I. In monumentis ecclesiasticis inde usque a quinto sæculo vox *Cardinalis* occurrit, eaque ii Clericorum videntur designati, qui jure proprio Ecclesias & titulos regebant, iis oppositi, qui vel ad tempus Ecclesias regebant, vel eidem Ecclesiæ tanquam auxiliares erant addicti. Sane Gelasius Papa Episcopum *Cardinalem* opponit Episcopo *visitatori* (*a*); cumque visitator Ecclesiæ vacanti daretur, quousque proprius Episcopus constituebatur (*b*); consequitur, Episcopum *Cardinalem* fuisse proprium & ordinarium Episcopum, qui perpetuo Ecclesiæ infigebatur. Et Gregorius M. scribit Martino de Tamitana apud Corsos Ecclesia ad Aleriensem Episcopo translato: *in Ecclesia Aleriensi Cardinalem te constituimus* (*c*). Mandat porro idem Gregorius Firmano Episcopo, ut dotibus acceptis oratorium, in quo publici fieri debebant conventus, dedicaret, & ibi *Presbyterum Cardinalem* constitueret, hoc est proprium stabilemque rectorem (*d*); ut e contrario privata oratoria, in quibus publicæ Missæ non fiebant, sine *Presbytero Cardinali* præcipit consecrari (*e*), quo utpote ad privatum usum condita non indigebant. Exstant plures alii loci apud eundem Pontificem, in quibus vox *Cardinalis* proprios & ordinarios Ecclesiarum denotat rectores; at aliquando latius etiam accipitur, denotatque Clericos alicui Ecclesiæ addictos, quamvis proprii rectores non essent: quo sensu idem Gregorius accipere videtur, quando Fortunato Episcopo permittit, ut in Ecclesia Neapolitana Benafranum diaconum constituat Cardinalem

(*a*) Can. IV. D. 24.
(*b*) Can. XVI. & XIX. D. 61.
(*c*) Greg. M. lib. 1. epist. 77.
(*d*) Greg. M. lib 10. ep 12.
(*e*) Greg. M. lib. 2. ep. 9.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

lem (*a*). Itaque stricto sensu Cardinales dicti sunt a Cardinibus, quod fixi & immobiles essent tanquam cardines, & circa eos Ecclesiæ, veluti valvæ circa cardines, volvebantur.

Quælibet Ecclesia olim habuit Cardinales.

§. II. Quælibet autem Ecclesia olim Cardinales habuit suos, nullaque hac super re Ecclesia Romana præ reliquis eminebat prærogativa. Singulæ enim Ecclesiæ Episcopos & Parochos proprios & stabiles, & Diaconos Diaconiarum rectores habuerunt. Sunt, qui opinantur, Presbyteros & Diaconos tantum urbium episcopalium dici consuevisse *Cardinales* (*b*). Sed in Ecclesia castri, ubi Episcopus non erat, Presbyterum Cardinalem Gregorius M. voluit consecrari (*c*); & in Concilio Meldensi an. DCCCXLV. in *urbibus & suburbiis* Cardinales memorantur. Id tamen verum est, Presbyteros Cardinales urbium episcopalium, ad exemplum Ecclesiæ Romanæ, subinde in unum corpus aggregatos, Ecclesiæ fuisse addictos cathedrali. Per plura sæcula Cardinalium titulum Ecclesiæ retinuerunt (*d*): sed aucta Cardinalium Romanorum dignitate, desierunt sensim cæteræ Ecclesiæ titulares suos appellare Cardinales, cessitque hic titulus non sine ingenti dignitatis accessione Ecclesiæ Romanæ. Sæculo XIV. Ravennatis Ecclesia & Compostellana suos habebant *Cardinales Presbyteros mitratos*: quod refert Alvarus Pelagius (*e*), quamvis addat, derisui potius, quam honori tales fuisse Cardinales. Quin ad hanc usque diem in aliquibus canonicis Ecclesia Neapolitana *Cardinalium* servat titulum, licet eorum plerique ad nominis invidiam declinandam, ultro tanto abstineant elogio (*f*).

Ecclesiæ Romanæ Episcopi Cardinales.

§. III. Ut ad Romanos Cardinales deveniam, ii secundum a pluribus sæculis servatam disciplinam sunt vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi. Quod spectat ad *Cardinales Episcopos*, olim Romana Ecclesia, non secus ac aliæ unum Episcopum habuit Cardinalem. In una civitate plures esse Episcopos antiquis regulis vetabatur (g). Sed temporis lapsu ex septem Romam adjacentibus civitatibus septem Episcopi Ecclesiæ Lateranensi addicti sunt, ut quotidie per vices sacra facerent, & Pontifici adhærerent celebranti: quod octavo sæculo tempore Stephani IV. jam fuisse inductum, non obscure tradit *liber pontificalis*. Simul autem quo hi septem Episcopi ad sacra in Ecclesia Lateranensi facienda addicti sunt, propriis etiam adstringebantur Ecclesiis, atque hinc duarum Ecclesiarum erant *Cardinales*; sed ratione Romani car-

(*a*) Can. V. D. 71.
(*b*) Thomass. part 1. lib. 2. cap. 105. n. 7.
(*c*) Lib. X. epist. 12.
(*d*) Murator. diss. LXI. antiq. Italic. medii ævi.
(*e*) De planctu Ecclesiæ.
(*f*) Mazochius append. ad diss. de Ecclesia Neapolit. diss. IV. part. 1. c. 2.
(*g*) V. sup. cap. 3. §. 8.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

cardinalatus in antiquis monumentis *Romani Episcopi* (*a*), & Episcopi *collaterales* & *hebdomadarii* (*b*) nominantur. Sed per Callixtum II. duabus ex cardinalitiis episcopalibus Ecclesiis in unam coacti, sex superstites fuerunt Episcopi cardinales.

Ecclesiæ Romanæ Presbyteri Cardinales.

§. IV. Jam Romani *Presbyteri Cardinales* postquam Ecclesia Romana ab antiquo descivit instituto in communi regendi Ecclesias ambitu murorum inclusas, fuerunt Romani Presbyteri urbis Ecclesiis, tanquam propriis pastores, addicti. Sæculo quinto, observante Panvinio (*c*), viginti octo videntur fuisse Romani tituli, totidemque Presbyteri Cardinales, qui numerus stetit usque ad Honorium II. annumque CIↃCXXV., quo observari desiit. Propriis autem titulis præerant Presbyteri Cardinales, donec post sæculum X. in quatuor collegia, singula septenum Cardinalium, abierunt, ut ad exemplum Basilicæ Lateranensis, quæ suum habebat Cardinalium Episcoporum collegium, in quatuor aliis patriarchalibus basilicis sacris operarentur.

Romani Diaconi Cardinales.

§. V. Demum *Diaconi* Romani *Cardinales* ex Ecclesiæ Romanæ Diaconis, qui *diaconias* regebant, excreverunt. Erant *diaconiæ* tum Romæ, tum alibi domus quædam veluti hospitales, in quibus pauperes, debiles, viduæ, aliæque miserabiles personæ omni subsidiorum genere fovebantur. Sua singulis diaconiis sacella aderant, unde & ipsæ diaconiæ nomen sibi quærebant. Principio Romæ septem fuisse videntur diaconiæ pro numero ecclesiasticarum regionum; scimus enim ex *ordine Romano* septem fuisse Romanas ecclesiasticas regiones, quamvis civiles ex instituto Augusti quatuordecim fuerint. Sed post nonum sæculum pro numero civilium regionum videntur auctæ diaconiæ. Præerant autem diaconiis Diaconi, unde *diaconiæ* nomen factum est. Ita primum septem, tum quatuordecim fuerunt Diaconi titulares, quibus inde quatuor alii Diaconi palatini accesserunt, quorum munus erat Lateranensi basilicæ vel Pontifici ibidem celebranti ministrare. Diaconiis autem præpositi Diaconi a regionibus, in quibus illæ sitæ erant, *regionarii* dicebantur, *Diaconi* nempe *primæ*, *secundæ*, *tertiæ regionis*, & aliquando nudo Diaconorum nomine contenti erant. Longo situ tandem lapsis diaconiis, solis oratoriis *diaconiæ* nomen adhæsit, cœperuntque post decimum sæculum Diaconi, non minus quam Presbyteri, *Cardinales* de titulo diaconiæ nuncupari, veluti *Cardinalis Diaconus S. Theodori*, *S. Hadriani*. Novam tandem Leo X. adjunxit diaconiam, *S. Onuphrii* nempe *in Vaticano*, & ita nati novendecim Diaconi Cardinales.

Nu-

(*a*) Thomass. part. 1. lib. 2. cap. 116. n. 6.
(*b*) In rituali antiquo Romano ap. Baronium ad an. MLVII. n. 19.
(*c*) Lib. de episcopalib. titulis & diaconiis Cardinalium.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Numerus Cardinalium.

§. VI. Subductis itaque rationibus Romani omnes Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi tres quinquaginta fuerunt. Stetit iis numerus usque ad Honorium II., a cujus tempore minui cœpit, sensimque in incertum dilapsum est. Quo tempore creatus fuit Pontifex Nicolaus III. an. CIↃCCLXXVII. septem vivi supererant Cardinales, quorum tres erant Presbyteri, quatuor Diaconi. Nicolao mortuo numero augeri cœperunt, excreveruntque supra modum in schismate Avenionensi, unoquoque dissentientium Pontificum adlectione Cardinalium rem promovente suam. Inde Synodi Constantinensis & Basileensis decreverunt, *ut Cardinales numerum XXIV. non excederent*, idque ne in tanto fastu, aucti numero, Ecclesiæ graves essent. Veterum hunc & modestum Cardinalium numerum supra modum primus Leo X. ampliavit, sub quo Ecclesia Romana quinque supra sexaginta superstites vidit Cardinales. Ad augendos ita numero Cardinales Leo consilium iniit detecta in se conjuratione, cujus Princeps unus erat Cardinalium, & inde suspectam habens fidem reliquorum, multiplici Cardinalium adlectione sibi censuit providendum (*a*). Leonis exemplum secuti sunt Paulus III. & Paulus IV., quorum prior ad sexaginta tres, alter vero auxit Cardinales usque ad septuaginta; quem postremum numerum, utpote septuaginta senioribus in adjutorium per Mosem adsumptis, & septuaginta discipulis respondentem, Sixtus V. firmum decrevit.

Qui aucta dignitas Cardinalium.

§. VII. Jam Cardinalium dignitas est amplissima, hactenus ut super ipsos reputentur Patriarchas, ad quam potestatem sensim & iisdem fere gradibus, quibus Ecclesia Romana crevit, evaserunt. Principio Romani Cardinales erant Presbyteri & Diaconi urbis, qui jure proprio parœcias & diaconias sibi commissas administrabant; nullaque eo nomine supra reliquarum Ecclesiarum Cardinales donati erant prærogativa, nisi quod potiorem partem cleri Ecclesiæ omnium Principis constituerent. Sed post sæculum decimum frequentes & amplissimæ pontificiæ legationes Cardinalibus commissæ; negotia omnia ex omnibus Ecclesiis Romam devoluta, & in consistorio Cardinalium tracta: Pontificis electio ad Cardinales solos restricta, supra modum cardinalitiam auxerunt dignitatem. Nec minus ad augendos Cardinales contulit opinio melioribus temporibus inaudita, Pontifices etiam in rebus temporalibus regibus esse superiores, eoque nomine cum potentissimis regibus concertationes susceptæ, in quibus temporum injuria aliquando Pontifices superiores fuerunt. Crescenti quoque Cardinalium dignitati commodum fuit schisma Græcorum, quorum Patriarchæ & metropolitæ nunquam passi essent sibi Romanos præferri Cardinales. Semel aucta cardinalitia dignitate cœperunt aliarum Ecclesiarum

(*a*) Thomass. part. 1. lib. 2. cap. 114. n. 13.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rum Episcopi Romani fieri Cardinales, quamvis initio iis una ex cardinalitiis episcopalibus Ecclesiis traderetur, ne uno eodemque facto augescerent in Cardinales, & in Presbyteros, aut Diaconos decrescerent; sed tandem, observante Barbosa (*a*), circa tempus Bonifacii VIII. cœperunt externi Episcopi inter Cardinales Presbyteros, & Diaconos cooptari, qui mos præposterus est, & in adjuncto involvit contradictionem. Quæcunque vero sit Cardinalium dignitas & potestas, quanta quanta est, moribus ecclesiasticis, mediis Ecclesiæ sæculis receptis, debetur; quum e contrario episcopatus divina institutione Sacerdotii contineat ubertatem. Unde invitis Canonibus factum, ut cardinalatus dignitas episcopali amplior haberetur, & ipsi Cardinales ad humilia quæque munia quandoque Episcoporum uterentur ministerio.

Externus cultus & tituli Cardinalium.

§. VIII. Potentia & dignitate auctos Cardinales necessarium quoque erat signis splendescere externis. Et quidem rubro galero Innocentius IV. ornavit Cardinales, quod factum in Concilio Lugdunensi I. nonnulli opinantur, ut magis in Fridericum II. incitarentur, quasi parati esse deberent ad sanguinem fundendum pro Ecclesiæ libertate. Tum Paulus II. rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, Cardinalibus dedit, & mox statuit, ne quisquam præter Cardinales ferret *birrettam coccineam*, quod in ejus vita tradit Ciaconius. Hæc honoris insignia Cardinalibus ex clero sæculari primum data sunt, at Gregorius XIV. etiam regularibus rubrum pileum concessit (*b*). Et ne externis signis tituli deessent convenientes, Urbanus VIII. Cardinalibus *eminentiæ* titulum concessit, quum antea *illustrissimi* dicerentur, cavitque sub pœna excommunicationis, ne quis alius præter Imperii electores ecclesiasticos eum titulum usurparet. Demum voluit Innocentius X., ut qua demum cunque generis nobilitate Cardinales eminerent, *solo nomine Cardinalis* contenti, non alios adhiberent titulos, & sigillis cum rubro pileo insignia tantum interna & propria familiæ suæ apponerent, amotis coronis aliisque sæcularibus signis, pœna itidem excommunicationis latæ sententiæ in pictores & sculptores comminata, qui alias notas & signa in sigillis Cardinalium sculperent, vel pingerent (*c*).

Potestas & qualitates Cardinalium.

§. IX. Jam Romani Cardinales olim titulos procurarunt suos, & Presbyteri Romani potiorem partem constituerunt. Negotia autem majoris momenti in Synodo Romana olim tractarunt Pontifices, in quam

(*a*) Lib. I. jur. eccles. cap. 3. n. 17.
(*b*) Bull. *sanctissimus.*
(*c*) Espen. part. I. tit. 22. cap. 1. n. 26.

(c) Bibliotéca Digital Educativa de la Región de Murcia

quam licet Romanus clerus etiam conveniret, penes Episcopos tamen principalis erat auctoritas. Sed aucta demum Cardinalium dignitate, Synodi Romanæ desierunt, & negotia omnia ecclesiastica in Synodis antea tractari solita, *in consistorio Cardinalium* tractari cœperunt. Sæculo XII. stabat hæc disciplina. Scribit enim B. Bernardus, Cardinalium esse *de regno Dei surgentes succidere spinas* (*a*): quin & *orbem judicare*. Unde *coadjutores* & *collaterales* Pontificis dici cœperunt (*b*). Quin ætate Petri Damiani Cardinales *Patriarcharum jura* transcendebant, & *supra ipsos quoque Pontifices authenticam* prævalebant *proferre sententiam*, ut ipse loquitur Damianus. Ut vero nova ista negotiorum tractandorum ratio cum antiqua conveniret, ex diversis nationibus Patres primum Basileenses & inde Tridentini adsumptos voluerunt Cardinales, ut ita apud Pontificem suæ nationis essent veluti totidem legati, & Synodum repræsentarent occidentalem. Quo jampridem spectabat B. Bernardus, *an non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* Unde Cardinales omni virtutum genere & sanctorum scientia debent effulgere, recteque Patres Tridentini decreverunt, Episcoporum qualitates in Cardinalibus requiri (*c*). Quin Cardinales, ut lateri Pontificis adsideant, Romæ semper esse deberent, recteque Cajetano aliisque visum Cardinalem & Episcopum esse posse neminem, & adversam consuetudinem vetustam esse corruptelam. Sed contrarii mores jam invaluerunt, quos tolerantes Tridentini Patres jusserunt, ut Cardinales Episcopi non Romæ, sed in suis morentur Ecclesiis (*d*).

Cardinalium consistorium.

§. X. Auctoritas Cardinalium in procurandis negotiis Ecclesiæ universalis explicabatur in *consistorio*; quam vocem ad significandum Principis senatum in re civili receptam (*e*) suam Pontifices fecerunt. Est ergo Pontificis consistorium Cardinalium confessus coram ipso Pontifice in senatus formam coactus. Tempore Innocentii III. ter in hebdomada habebatur consistorium, in quo, auditis querimoniis singulorum, Pontifex per se minutas causas miro terminabat acumine (*f*). Ex hujusmodi decisionibus multæ manarunt Decretales codici Gregoriano insertæ. Hodie pro Papæ arbitrio cogitur consistorium, estque vel *extraordinarium* sive *publicum*, vel *ordinarium* sive *secretum*: & negotia, quæ in consistorio tractantur, non amplius contentiosam, sed gratiosam & politicam formam habent, ut Principis supremum senatum decet (*g*). In consistorio olim Cardinales erant

(*a*) Epist. LXXXIX.
(*b*) B. Bernardus lib. 4 de considerat. cap. 4.
(*c*) Ses. XXIV. de ref. cap. 1.
(*d*) Ses. XXIII. de ref. cap. 1.
(*e*) Dionys. Gothof. in lib. 3 c. de offic. divers. jud.
(*f*) Acta Innoc. III. pag. 28. ex edit. Bosqueti.
(*g*) Cardin. de Luca relat. cur. Roman. disc. V.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

erant judices, sed inde meri Pontificis evaserunt consiliarii, liberumque Pontifici est admittere vel eorum rejicere suffragium.

Cardinalium congregationes.

§. XI. Præter consistorium sunt Romæ plures Cardinalium *congregationes*, quibus alicujus generis negotia, aliquando ipso præside Pontifice, tractanda & finienda committuntur. Summa rerum, per universam Ecclesiam obvenientium, semel Romam delata, necessarium omnino erat, sic dividere negotia, ut facilius possent expediri. Sunt vero hujusmodi congregationes vel *ordinariæ*, vel *extraordinariæ*. Ordinariæ formam stabilem habent, iisque certa negotia expedienda semel commissa sunt, quales sunt *congregationes indicis*, *inquisitionis*, *interpretationes Concilii Tridentini*, *sacrorum rituum*, & *de negotiis Episcoporum & regularium*. Extraordinariæ pro re nata indicuntur, & finitis negotiis esse desinunt. Interim in christianis provinciis Romanorum congregationum decisiones tum demum admitti solent, si receptæ disciplinæ conveniant: & in Gallia & in hoc nostro regno decreta *inquisitionis* prorsus repudiantur.

CAPUT XIII.

De ecclesiasticis legatis.

Legati varii generis apud Romanos.

§. I. Sunt legati alieni muneris vicarii. Varii generis legatos olim habuerunt Romani. Erant legati municipales & provinciales ex decreto ordinis vel Concilii provincialis ad tractanda negotia municipiorum & provinciarum ad præsidem, vel præfectum prætorio, vel Principem missi, de quibus in tit. *D. de legationibus* agitur. Alii mittebantur cum jurisdictione, quales erant, qui proconsulibus ad regendas populi provincias addebantur, de quibus in tit. *D. de officio proconsulis & legati.* Hi erant ex ordine senatorum, & a senatu mittebantur, ut impediti proconsulis vices sustinerent, & spiculatorum instar essent, quum minus tutum habitum fuerit, uni credere provinciam (*a*). Cum jurisdictione quoque erant *legati Cæsarum*, quos mittebant Imperatores ad regendas provincias suæ curæ reservatas. Et demum legati erant sine jurisdictione, qui ad gentes ad negotia tractanda a Romanis mittebantur (*b*).

Le-

(*a*) Tacit. lib. 2. annal. cap. 59.
(*b*) L. fin. D. de legationib.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Legati ecclesiastici missi ad negotia tractanda.

§. II. Usus legatorum in re civili receptissimus, in Ecclesia etiam invaluit. Etenim subinde propter absentiam non valentibus Ecclesiarum pastoribus rebus agendis superesse, necessitas ipsa fecit, ut vicario aliorum munere uterentur. Ita Ecclesiæ omnes jure donantur legationis, occurruntque passim ab Ecclesiis ad Ecclesias, Synodos & Principes legati missi (*a*); sed in primis eminent legati Ecclesiæ Romanæ, qui tandem ad exemplum legatorum Romanorum conformati sunt. Generatim vero ecclesiastici legati vel sunt *missi*, vel *nati*. Nissi pro arbitrio Ecclesiarum & Pontificum mittuntur, vel ad negotia tractanda, vel ad explicandam jurisdictionem. Negotiorum legati plenam non sustinebant legationem, nec vices mittentis in jurisdictione gerebant: unde quamvis ab Ecclesiis, ad quas missi erant, summo habebantur honore, non tamen iisdem prærogativis, quæ mittentibus competebant, usi sunt. Et ita legati Zosimi Pontificis ad Africanos missi, ut Africanas appellationes ad Sedem apostolicam tuerentur, utpote negotiorum legati, in Concilio Carthaginensi sedis non obtinuerunt prærogativam, sed post Aurelium Carthaginensem & Valentinum senem Numidiæ tertium locum tenuit Faustinus Episcopus, & post omnes Episcopos duo legati Presbyteri consederunt. Unde non erat, cur novatores præjudicio Synodi Carthaginensis legatos omnes Romanæ sedis metropolitis jure veteri censerent postponendos (*b*). In tractandis vero negotiis legati mandata egredi non poterant, nisi generali mandato essent instructi, ut pro prudentia sua commissa negotia procurarent.

Legati Ecclesiarum temporales ad Principes.

§. III. Ad negotia quoque tractanda miserunt & vero etiam mittunt Pontifices & reliqui Episcopi legatos ad Imperatores & Reges. Postquam Principum aulæ christianam admiserunt religionem, sic res ecclesiasticæ cum juribus Imperii fuerunt intextæ, ut sæpe necesse fuerit ad Principes legatos decernere, sive de fide, sive de disciplina ageretur. Quæ legationes duplicis sunt generis. Unum earum, quæ pro re nata mittuntur, & cum negotiis esse desinunt: alterum earum, quæ assiduam in aula exhibent præsentiam. Sic unius negotii causa ad Constantium Imperatorem Liberius Papa legatos misit, ut nempe Concilium Aquilejæ cogendum impetrarent, in quo de novo adversus Athanasium delato majestatis crimine, & de veræ fidei restitutione tractaretur. Similiter in Conciliis Africanis frequentes contra paganos & hæreticos & pro aliis Ecclesiarum necessitatibus ad Imperatores temporariæ decernuntur legationes, quarum aliæ

(*a*) Marca lib. 5. de C. S. & I. cap. 2.
(*b*) Marca loc. cit. n. 8.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

aliæ mandatis adstringuntur, aliæ vero *liberæ* sunt (*a*), hoc est nulli formulæ adstrictæ, sed soli fidei commissæ legatorum. Posteriorisque ætatis monumenta semper exhibent legatos, præsertim Sedis apostolicæ, ad Reges pro bellis componendis, pro fœdere adversus infideles & hæreticos, similibusque negotiis gravioribus ablegatos.

Ecclesiastici apocrisarii.

§. IV. Legatorum ad Principes missorum genus alterum eorum est, qui assiduam in comitatu ducentes moram, non uni negotio erant addicti, sed ad quascunque negotiorum & causarum ecclesiasticarum figuras præsto erant apud Principes: quique proprio nomine *apocrisarii* sive *responsales* dicebantur, quod responsa, seu mandata eorum, unde missi erant, implebant. Solis Patriarchis jus fuit in aulam mittendi *apocrisarios* (*b*), primumque eorum exemplum fortasse elucet in Juliano Coensi Episcopo, quem post Synodum Chalcedonensem apud Marcianum Imperatorem Leo M. ad rectæ fidei tuitionem assiduum destinavit responsalem (*c*). Sed post Justinianum qui, expulsis Gothis, Italiam Imperio consolidavit, frequentiores in aula fuerunt Romani responsales, qui ex Diaconis adsumpti & ecclesiasticis & publicis Italiæ negotiis apud Græcos Imperatores proficiebant. Inde ob hæresim *monothelitarum* ab Imperatoribus fotam tantisper intermissi Romani responsales, post restitutam in Synodo sexta rectam fidem, iterum missi sunt. Propter bellum tandem sacris imaginibus ab Imperatoribus indictum, abrupta inter Pontifices & Imperatores communione, & inde instituto occidentali imperio, Francisque collato, non amplius ad Græcos, sed ad Francos Imperatores Romani Pontifices miserunt responsales, tantumque Ecclesiarum negotia tractabant, nisi specialiter a Pontifice vel Principe aliqua jurisdictio mandaretur (*d*).

Legati missi cum jurisdictione.

§. V. Alterum genus legatorum missorum eos complectitur, qui plena donantur legatione, hoc est vices mittentium in jurisdictione sustinent. Tales erant Episcopi, quos provinciarum Synodi ad Concilia diœcesana, vel œcumenica mittere consueverunt, qui & propria & mittentium jurisdictione de rebus in Synodo propositis decernebant. Scilicet quum commodum non esset singulis Episcopis ad Concilia convenire, e re ecclesiastica visum fuit, ut legati mitterentur, qui collegarum nomine Conciliis interessent. Unde passim in Conciliis Carthaginensibus legati provinciarum Numidiæ, Mauri-

(*a*) Can. XCVII. cod. Afr.
(*b*) Novel. VI. cap. 3., Marca lib. 5. cap. 16. n. 3.
(*c*) Quesnel. ad epist. 84. Leon. magni.
(*d*) Marca loc. cit. cap. 17. n. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ritaniæ, Byzacenæ & Tripolitanæ occurrunt. Et ne fines mandatis præscripti rebus agendis impedimento essent, an. CCCCV. statuerunt Patres Carthaginenses, *ut libera legatio ab omnibus provinciis ad Concilium dirigeretur* (*a*). Passim quoque antiqua monumenta exhibent pontificios legatos ad fidem vel disciplinam restituendam per omnem Ecclesiam missos, eminentque inter eos, qui ad generales Synodos missi sunt. Eorum enim ministerio Pontifices Conciliis præfuerunt cum loci & suffragii prærogativa, hæreses profligarunt, & Canones simul cum cæteris Episcopis condiderunt. Exprimebant legati isti summi Pontificis auctoritatem, & hinc iisdem prærogativis usi sunt, quibus summus Pontifex, si adesset, uteretur.

Legati nati *qui sint, & quomodo inducti.*

§. VI. Legati *nati* in provinciis apostolicas sustinent vices, quod eas tenent Ecclesias, quæ perpetuum annexum habent apostolicum vicariatum: dictique sunt posterioribus sæculis *legati nati*, quod sine nova Pontificis concessione cum ipsis Ecclesiis legationem nanciscuntur. Et ita legatis natis potius jure dignitatis suæ, quam ex nova Pontificum delegatione competit vicariatus apostolicus. Sola Ecclesia Romana legatos natos habuit, videnturque initio inducti frequentibus & continuatis pontificiæ potestatis delegationibus, quibus amplissimarum civitatum Episcopi a Pontificibus aucti sunt. Quæ assidua sunt facile abeunt in morem. Ita Ecclesiæ Thessalonicensis & Arelatensis assiduis Sedis apostolicæ delegationibus, tandem hereditariam sibi legationem videntur quæsivisse. Et sane constat, novos Episcopos Thessalonicenses & Arelatenses semper vicariatum apostolicum postulasse, Pontifices vero secundum receptos mores vicariatum concessisse (*b*). Sed posteriori ætate expressis privilegiis permultæ Ecclesiæ Pontificis hereditarium vicariatum obtinuerunt: dictique sunt hujusmodi vicarii, publicatis falsis Decretalibus, *primates*, quo nomine primus Hincmarus Rhemensis eos videtur appellare.

Jura legatorum natorum.

§. VII. Legatis autem natis demandata sunt jura Pontificis patriarchalia, sed quæ salvam mittentis potestatem reliquerent. Ergo (I) Episcopis & Clericis omnibus in longinqua profecturis dabant literas formatas (*c*): sacrorum Canonum (II) invigilabant observantiæ: sibi subjectos (III) ordinabant metropolitas: Episcopos (IV), nisi ipsis consultis, metropolitæ non ordinabant (*d*): Synodum (V) indicebant diœcesanam, eique præerant, & in Synodo (VI) exortas finiebant controversias, nisi graviores essent causæ, quas ad Sedem apos-

(*a*) Can. XCIV. cod. Afr.
(*b*) Greg. M. lib. 4. ep. 34.
(*c*) Epist. I. Vigilii ad Auxanium Arelatens.
(*d*) Epist. IV. Leon. M. ad Anastas. Thessal. edit. Quesnel.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

apostolicam referre oportebat (*a*).

Quæ est apud Leonem M. plenitudo potestatis.

§. VIII. Hæc autem limitata patriarchalis potestatis delegatio amplissimis Episcopis facta, in causa fuit, ut scriberet Leo M., se Anastasium Thessalonicensem vocasse in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *Vices nostras*, inquit, (*b*), *ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Nempe contra mandata, quæ jubebant in causis majoribus ad Sedem apostolicam referri, Anastasius nimis aspere tractavit Aticum, veteris Epiri metropolitam. Romam autem profectus Aticus ea de re apud Leonem conquestus est: querelasque Attici justas esse Leo perspiciens, gravem ad Anastasium epistolam dedit, qua asperioribus verbis eum increpat, quod ultra mandata processisset, revocatque in memoriam ei mandatam partem solicitudinis, non plenitudinem potestatis. Itaque Leo M. non loquitur de episcopali potestate Attico demandata, sed de potestate Pontificis patriarchali, quæ ei in Illyricum competebat, ut recte Baluzius observat (*c*). Ipse contextus hanc interpretationem suadet, & præterea de eminenti Pontificis potestate legatis commissa & legati Gregorii VII. an. CIↃLXXIV. in Germaniam missi (*d*), & Ivo Carnotensis (*e*) partem solicitudinis Attico demandatam acceperunt. Sed lapsu temporis, quod de parte solicitudinis & plenitudine patriarchalis potestatis Leo dixerat ad episcopalem translatum est, & exorta est inde doctrina, Pontificem non in plenitudinem potestatis, sed in partem solicitudinis Episcopos vocare.

Qui & qua ratione necessæ perpetuæ legationes.

§. IX. Jam vero amplissimis metropolitis quinto & sexto sæculo vices suas demandabant Pontifices, sed precibus ipsorum metropolitarum & Regum devicti. Incesserat autem desiderium apostolici vicariatus metropolitas, quod magni erat Ecclesiæ omnium Principis in provinciis vicis sustinere, sæpe etiam ad dilatanda Ecclesiæ suæ jura in reliquas provincias, & ad pallium, vestem tum præclarissimam, obtinendum. Etenim simul cum vicariatu tum pallium concedebant Pontifices, ut eo ipso quo metropolitæ vices pontificias sustinebant, pontificio etiam eminerent ornatu (*f*). Verum delato apostolico vicariatu metropolitæ evadebant Pontificis vicarii, & hoc ipso multa, quæ ante vicariatum jure proprio agebant, inde vicariatui adscribebantur. Unde multi post Baluzium adfirmant, Roma-

(*a*) Cit. ep. 4. Leon. M.
(*b*) Leon. M. epist. XII. edit. Quesnel.
(*c*) Addit. ad P. de Marca lib. 5. cap. 26.
(*d*) Ap. Baron. ad an. MLXXIV. §. 2.
(*e*) Epist. LIX. ad Hug. Lugd.
(*f*) V. sup. cap. 9. §. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

manos Pontifices de industria ad sua jura prolatanda, & firmandam potestatem suam apud longe dissitas gentes amplissimarum civitatum Episcopis vicariatum confessisse (*a*). Sed quamvis vicariis institutis dilatata videatur patriarchalis Pontificum potestas; id tamen non de industria, sed bona fide Pontifices fecerunt, ad æquius melius sibi imminentem explicandam solicitudinem, quod diserte Leo Magnus & Vigilius asserunt (*b*). Quin in vicariatu Arelatensi potius Episcoporum Arelatensium, quam Pontificum elucet ambitio; ut ejus vicariatus demonstrat historia. Semel enim acceptum vicariatum ad invasas provincias facilius retinendas Episcopi Arelatenses continuarunt.

Legati eminentem Pontificis potestatem explicarunt.

§. X. Jam legatis sive missis sive natis per plura sæcula Romani Pontifices suam eminentem in omnem Ecclesiam & vero etiam patriarchalem explicarunt potestatem, integram plerunque relinquentes metropolitarum & Episcoporum jurisdictionem. Sane Leo M. vicariatum suum Anastasio Thessalonicensi demandans, diserte decrevit, ut metropolitæ *jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum* habeant (*c*). Et Hormisda *servatis privilegiis metropolitanorum* vices apostolicæ Sedis delegavit (*d*). Gregorius quoque M. Episcopos, non vero Romanum per Siciliam *defensorem*, in Clericorum causis procedere jussit (*e*). Procurabant quidem patrimonia Ecclesiæ Romanæ *defensores*, at simul eis Pontifices vices demandabant suas (*f*).

Legati Pontificis missi aucti potestate.

§. XI. Verum enimvero lapsu temporis crevit legatorum Roma missorum potestas, & a tempore Nicolai I. ipsa etiam jura Episcoporum & metropolitarum amplexa est. Invexit hujusmodi novas legationes plenitudo pontificiæ potestatis, quæ secundum ejus ætatis receptas opiniones ita residebat in Pontifice, ut cæteri Episcopi Pontificis ministri & vicarii censerentur, vocati in partem tantum solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, quod magnificis verbis Innocentius III. (*g*) profitetur, & viri doctissimi Fleurius (*h*), Espenius (*i*) aliique passim observarunt. Et sane plenitudo pontificiæ potestatis, quæ tantum coadjutores Episcopos adsumit, Pontifices superiores, & Episcopos totius Ecclesiæ constituebat. Ita sponte sua frequentiores factæ & nova potestate auctæ legationes. Mit-

(*a*) Baluz. addit. ad lib. 5. P. de Marca de C. S. & I. cap. 19. n. 2
(*b*) Leo M. ep. 5. edit. Ques. Vigilius Papa ep. ad Episcopos Gall.
(*c*) Can. V. c. 25. q. 2.
(*d*) Can. VI. eod.
(*e*) Can. XXXIX. c. 11. q. 1.
(*f*) Can. I. D. 94.
(*g*) Lib. XVI. epist. 104.
(*h*) Discurs. IV. hist. eccles.
(*i*) Part. I. tit. 21. n. 2. cap. 15. seq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Mitti nempe cœperunt legati, qui episcopalem etiam Pontificis in Ecclesiam explicarent potestatem, præsertim quando ipsum Ecclesiæ corpus adeo tum affectum, novam potentioremque postulabat medicinam. Sæculis enim X. & XI. clerus omnis occidentalis fœdissima laborabat simonia, & luto hærebat incontinentiæ: quumque a corrigendo cessarent, vel ad corrigendum impares essent Episcopi & metropolitæ, plenitudo potestatis impulit Pontifices, ut per assiduos legatos Roma missos ipsa jura Episcoporum & metropolitarum explicarent.

Legati missi *vel simpliciter* missi, *vel* a latere.

§. XII. Novis autem hisce inductis legationibus, & aucta Cardinalium dignitate, legati *missi* vel simpliciter *missi* vel *a latere* audierunt. *Missi* ex mandato Pontificis exercent quidem legationem, sed non sunt de numero Cardinalium; *legati* vero *a latere* sunt ipsi Cardinales in provinciis vices apostolicas sustinentes. Indignum profecto videbatur, ut legati adsumti ex ordine Cardinalium, qui post sæculum XI. *collaterales* Pontificis dicti, ad summam evaserant dignitatem, eodem cum reliquis legatis jure censerentur. Ocurrunt quidem in Synodo Sardicensi (*a*), & in monumentis Ecclesiæ Africanæ (*b*), *legati a latere*, sed hi tamen longe distant a legatis lateralibus, quos posterior ætatis invexit; nam olim omnes Pontificis legati a latere censebantur.

Legati spiritualem omnem ad se traxerunt potestatem.

§. XIII. Quamvis autem novos legatos mandatis peculiaribus aliquando adstringerent Pontifices, sæpe tamen fere universam mandarunt Pontificiæ potestatis plenitudinem, arbitrio legatorum dantes, ut secundum Deum corrigerent, ædificarent, destruerunt. Quin quo facilius mandata implerent, in suas provincias accedebant legati ampla potestati suspendendi & deponendi Episcopos & metropolitas. Ad hanc autem amplissimam explicandam potestatem passim Synodos ex Episcopis & Abbatibus & quandoque etiam ex optimatibus cogebant, quamvis in speciem dicisque causa, ne per omnia Episcopis provincialibus jurisdictio ablata videretur, siquidem unius legati suffragium collectis totius Synodi suffragiis æquivalebat (*c*): & consolidata deinceps legatorum potestate coram Episcopis potius, quam Episcoporum autoritate decreta condita sunt. In Synodis autem legati non solum de appelationibus, verum etiam de primis causarum cognitionibus judicabant, quamvis primas cognitiones sæpe haberent sine Concilio. Canones quoque de disciplina in Synodis condiderunt, eosque aliquando suo, non Synodi no-

(*a*) Conc. Sardic. Can. V.
(*b*) Can. CXXXVII. con. Afric.
(*c*) P. de Marca. lib. 6. de C. S. & I. cap. 30. n. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

nomine, publicarunt (*a*). Ita frequentibus legationibus universa fere concidit Episcoporum, metropolitarum & Synodorum provincialium potestas, nihilque metropolitis super reliquos Episcopos reliquum fuit, nisi cum pallii ornamento consessus prærogativa, ut Fleuryus observavit (*b*).

Legatorum potestas ordinaria.

§. XIV. Jam novis inductis legationibus legatorum potestas, quæ origine sua delegata erat, evasit ordinaria institutumque fuit legationis officium propria donatum jurisdictione, quæ sub titulis *de officio legati* in utroque Decretalium codice explicatur. Primus Clemens IV. legatis diserte jurisdictionem tribuit ordinariam (*c*), quamvis & ante Clementem tale jus obtineret (*d*). Noluerunt Pontifices legatos suos inferiores esse proconsulibus & legatis Romanorum, qui propria jurisdictione ad regendas provincias mittebantur: videturque, legatos reputatos fuisse judices ordinarios, postquam jura digestorum evaserunt certiora. Expressa vero videtur ordinaria legatorum potestas ex pluribus & similibus legatorum formulis, quas pro tempore Pontifices legatis dederunt suis. Ordinaria legatorum potestas facit, ut condant statuta, quæ etiam finita legatione perdurent, ut morte mittentis non finiatur legatio (*e*), & demum ut de causis in prima instantia ut judices ordinarii cognoscant (*f*).

Non omnium legatorum eadem est potestas.

§. XV. Abierunt quidem in assiduam & ordinariam jurisdictionem legationes; sed non omnes legati æqualem habent potestatem, nec omnia, quæ Pontificis absolvunt potestatem legationis officio continentur. Post Romanum Pontificem legati a latere majorem obtinent potestatem, minorem missi, minimam nati. Minimam tandem voluerunt Pontifices legatorum natorum potestatem, ut aliorum legatorum, quos pro arbitrio mittebant, amplificarent potestatem (*g*). Generaliter legati causas universas, quæ sive per querimoniam, sive per appellationem deferuntur, jure ordinario, eoque ampliori quam metropolitico audiunt & definiunt (*h*) in quovis loco intra provinciam legationis (*i*). Sed legati a latere egresi ab urbe ad instar proconsulum statim legationis sumunt insignia, & ante ingressam, & post egressam provinciam voluntariam exercent ju-

(*a*) Baluz. addit. ad P. de Marca lib. 5. cap. 47. n. 6.
(*b*) Discur. VI. hist. eccles.
(*c*) Cap. II. de off. leg. in 6.
(*d*) Cap. X. ex. de off. leg.
(*e*) Cap. II. de off. leg. in 6.
(*f*) Cap. I. ex. eod.
(*g*) Florens. ad tit. de off. legati.
(*h*) Cap. I. ex. de off. leg., cap. 2. de offic. leg. in 6.
(*i*) Cap. VII. ex. eod.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

jurisdictionem. Ita absolvunt ubique & quoscunque excommunicatos ob violentam in Clericos manuum injectionem (*a*). Porro liberas & simplices resignationes beneficiorum admittunt, conferuntque in provincia legationis jure ordinario beneficia, simul cum ordinario collatore concurrentes (*b*), quin etiam inconsulto patrono ecclesiastico (*c*), non tamen inconsulto patrono laico (*d*). Reservant quoque sibi beneficia, non tamen capitulorum dignitates (*e*), nec pendente una reservatione aliam facere possunt (*f*). Quæ omnia cæteris legatis denegantur, tantumque missi, non item nati, in sua provincia absolvunt sibi subditos excommunicatos ob violentam in Clericos manuum injectionem (*g*). Quæcumque vero fuerit legatorum etiam a latere ordinaria potestas, plura tamen iis fuerunt denegata, quæ in signum supremæ potestatis sibi Pontifices reservarunt, qualia sunt translationes Episcoporum, episcopatuum uniones, aut divisiones, primatiarum, institutiones (*h*) aliaque multa, quæ interpretes recensent (*i*). Unde speciali opus est concessione, ut legati exerceant, quæ officio non continentur legationis.

Legatorum fastus.

§. XVI. Jam fastus omnis abesse debet a legatis sedis apostolicæ. Repræsentant eum, qui eo ipso, quo eminet super omnes Episcopos, fieri debet sicut minor. Et hinc olim legati Pontificum ad Concilia, vel ad Principes nulla externa pompa & fastu distinguebantur, nec ulla sumebant insignia legationis. Verum mediis sæculis mutati mores, & legatorum plerique non ut pastores decebat animarum, provincias circumibant, sed tanto fastu & æquitatu, ut fidem omnes superet, quod sexcentis constat monumentis. Tanti fastus unum, sed celebre exemplum referant. Willelmus Episcopus Eliensis per Angliam legatus *mille & quingentis evectus equitaturis*, *Clericorum stipatus catervis*, *militum vallatus agminibus* obivit legationem, teste Matthæo Parisiensi. Porro legati mediis sæculis loco pallii, vicariis natis olim concessi, induere cœperunt vestes pontificales, quæ dicebantur *insignia legationis*, & *insignia apostolicæ dignitatis*. Erant vestes Pontificis purpureæ, atque ita insigni splendore fulgentes (*k*). In tanto fastu Episcopi & Clerici non sine magnis muneribus legatis occurrebant, digestique in processionem cum campanarum classico eos excipiebant, ipsique Re-
ges.

(*a*) Cap. IV. & IX. ex. eod.
(*b*) Cap. I. eod. in 6.
(*c*) Cap VI. ex. eod.
(*d*) Cap. XXVIII. ex. de jure patronat.
(*e*) Cap. IV. eod. in 6.
(*f*) Cap. III. eod. in 6.
(*g*) Cap. IX. ex. eod.
(*h*) Cap. III. & IV. ex. eod.
(*i*) V. Florent. loc. cit.
(*k*) Baluz. loc. cit. cap. 52.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ges iis obviam ibant, loco cedebant, adsurgebant, eosque comitabantur.

Excessus legatorum in procurationibus.

§. XVII. Multis sæculis legati a sede apostolica missi ne minimo quidem sumtui Ecclesiis fuerunt. Sed post tempora Nicolai I. inductum fuit, ut legatis apostolicis tanquam ecclesiasticis operariis necessarii sumptus præberentur. Nec enim deteriores esse debebant metropolitis & Episcopis, qui provincias & parochias vixitantes exigebant procurationes: voluitque Gregorius VII. ut metropolitæ pallium accipientes, jurejurando se adstringerent etiam ad legatos procurandos. Sed constabilita semel necessitas legatis exhibendarum procurationum Dei vexavit Ecclesiam. Mali enim plurium legatorum mores & fastus modestas procurationes verterunt in rapinas. Inauditi prodigii instar habuit B. Bernardus, legatum quendam a cupiditate fuisse alienum (*a*). Et Joannes Saresberiensis (*b*) scribit, legatos *interdum in provinciis ita debacchari, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Sathan a facie Domini.* Et infra: *Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Cræsi studeant reparare.* Et quamvis Romani Pontifices variis constitutionibus tantæ obviarint rapacitati, nihil tamen contra sacram auri legatorum famem videntur profecisse.

Legati non mittuntur sine Regum adsensu.

§. XVIII. Mali legatorum mores, & præsertim immodestæ procurationes, quærelas populorum adversus legatos pepererunt, & Principes excitarunt, ut in sibi subjectas provincias ipis non petentibus, aut saltem non consentientibus legati non ingrederentur. Reges Angliæ, Scotiæ, Galiæ aliique sine suo adsensu & postulatione minime passi sunt, in sua regna legatos adventare; quod alii pro jure constituerunt, alii maluerunt obtinere sedis apostolicæ privilegio. Et quamvis Romani Pontifices adsensum, aut postulationem Principum in mittendis legatis inter pravas retulerint consuetudines (*c*); tamen potius flagitia legatorum emendare, quam de lege ipsa queri debuissent. Quin consensu, aut postulatione Principum in regna intrantes legati, omnium primum mandata Regibus exhibeant oportet, ut iis expensis moderentur ea, quæ jubus Ecclesiarum & populorum adversantur: quæ praxis inducta est occasione exorbitantis potestatis, qua quandoque legati instructi, pacem non semel turbarunt provinciarum.

Le-

(*a*) Lib. IV de consider.
(*b*) Lib. V. de nugis curial. cap. 16.
(*c*) Extravag. unic. de consuetud. inter comm.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Legatio Regum Siculorum.

§. XIX. Dum legati Roma missi provinciis procurationum abusu graves erant, permultæ legationes hereditariæ fuerunt institutæ, qualis Cantuariensis in Anglia, Bituricensis in Aquitania superiori, Rhemensis in Francia aliæque. Ea forte spe Ecclesiis suis hereditarias metropolitæ impetrarunt legationes, quod ita crederent, nullos amplius in provincias suas Romanos legatos adventare. Et certe sæculo XI. primates Bremensis & Moguntinus legatum a Papa missum admittere noluerunt, quod ipsi, ut observat Maimburgius (*a*), essent legati nati. Nec alia videtur esse origo hereditariæ pontificiæ legationis Siculis Regibus demandatæ. Saracenis per Nortmannos Sicilia expulsis, Urbanus II. Episcopo Traynensi in ea, quoad viveret, vices demandavit suas. Injectum onus ægre tulere Siculi, & multo magis Rogerius Calabriæ & Siciliæ Comes. Ergo Urbanus Rogerio ejusque heredibus dedit, ut ipsis invitis in eorum terram legati non mitterentur, ipsumque Rogerium filiumque Simonem, alterumve, qui ei legitimus heres esset, apostolico adauxit vicariatu (*b*). Ita Siculi Reges memorabili exemplo legati nati sedis apostolicæ evaserunt, exercentque per Siciliam omnem sacram jurisdictionem, in tribunali, quod Siculi *Monarchiam* vocant, non indignum forsan visum Urbano, ibi Reges vicaria Pontificis auctoritate jus sacrum exercere, ubi post addictam Siciliam throno Constantinopolitano jure veluti proprio diu de rebus sacris jus dixerant Græci Imperatores. Invisa deinceps semper fuit prærogativa isthæc Regum Siculorum Romanis Pontificibus, qui tempore bene usi eam semper abolitam voluerunt; sed magnis animis Reges restitere, excitosque toties motus Benedictus XIII. edita tandem bulla, quæ vim concordiæ habet perpetuum videtur composuisse.

Jure novissimo limitata potestas legatorum.

§. XX. Jam immensa illa legatorum potestas, qua armati in provincias mittebantur, sensim decrevit, eoque redactæ sunt legationes, ut Ecclesiarum pacem non perturbent. Sane statuerunt Tridentini Patres (*c*), ut legati, etiam a latere Episcoporum jurisdictionem non impediant: notatque Zipæus (*d*) legatis præscribi, ut sine ordinariorum præjudicio procedant. Nec amplius legati procurationes ab Ecclesiis exigunt. Quin in Francia legatorum jurisdictio aliena, non ordinaria reputatur: quique hodie nuncii resident apud Principes cum potestate *quasi legati a latere* quamvis in mandatis plures prærogativas speciali jure concessas habent; non tamen

(*a*) Histoire de la decadente de l' empire lib. 2.
(*b*) Malaterra lib. 4. cap. 29. Dupinus daus. la defense de la Monarchie de Sicile.
(*c*) Ses. XXIV. de ref. cap. 20.
(*e*) In jure novo tit, de off. legat.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

men omnes in provinciis possunt explicare, ob limitationes auctoritate publica mandatis adjici solitas. Neapoli residens nuncius apocrisarii simul & defensoris patrimonii Ecclesiæ Romanæ speciem refert, qui eo ipso, quo apud Regem Pontificis negotia tractat, colligit reditus undecumque ex Ecclesiis regni ad Cameram apostolicam spectantes, simulque judex delegatus est reddituum cameralium & exemptorum ab Episcoporum jurisdictione.

CAPUT XIV.

De Coadjutoribus.

Coadjutores duplicis generis.

§. I. Senio, aut mala valetudine confectos Episcopos aliosque ecclesiasticos ministros gradu abjicere suo, ipsisque viventibus alium constituere pastorem, inhumanum, quinimo injustum visum Ecclesiæ (*a*). Ergo inde usque ab antiquis temporibus inducti *coadjutores*, qui impotentium prælatorum vicem sustinerent, præsertim quum Episcopi tot officialibus non essent instructi. Dati vero coadjutores vel simul Coepiscopi sunt, defunctisque impotentibus pastoribus, in munere succedunt, vel sine spe successionis, tantum ad functiones obeundas pastorales, constituuntur. Alexander Narcisso Hierosolymitano ob longævam ætatem, & Augustinus Valerio Hipponensi similiter corpore & ætate infirmo, Coepiscopi & successores accesserunt: contra Gregorius Nazianzænus Patri grandævo coadjutor fuit, eoque defuncto munus abdicavit, vitamque privatam amplexus est (*b*). Frequentes olim fuerunt spe succedendi donati coadjutores, qui tamen temporis lapsu minus Ecclesiæ placuerunt, quod viam ad successiones hereditarias in Ecclesiis aperuerint, & vero etiam ob votum captandæ mortis. Certe Tridentini Patres (*c*) coadjutores hereditarios in omnibus beneficiis proscripserunt, tantumque in episcopatibus & abbatiis in necessitate, aut Ecclesiæ utilitate, causa cognita, per solum Romanum Pontificem dari permiserunt.

Coadjutores Canonibus non adversantur.

§. II. Constitutio coadjutoris non bene cum receptis ecclesiasticis regulis, in Concilio Nicæno confirmatis, quæ in una civitate unum esse jubent Episcopum, videtur convenire. Toto vitæ suæ tempore anxius vixit Augustinus, quod nescius Nicæni Canonis (*d*), in una ci-

(*a*) Can. I. & III. C. 7. quæst. 1.
(*b*) Gregor. Nazianz. carm. de vita sua, epist. XLII. ad Gregor. Nissenum.
(*c*) Ses. XXV. de ref. cap. 7.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. VIII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

civitate duos Episcopos non admittentis, Valerio datus fuit Coepiscopus adjutor (*a*). Et hinc Eradium, quem Ecclesia consentiente sibi delegerat successorem, dum vixit, noluit ordinare. *Quod reprehensum est in me*, sunt ejus verba, *nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus* (*b*). Verum literæ potius, quam menti sacrorum Canonum adversatur duorum Episcoporum in una sede constitutio in casu, quo unus Episcopus alteri jam confecto datur coadjutor; siquidem antiqua regula, quæ in una civitate duos non patitur Episcopos, spectat ad schismata tollenda, datio vero coadjutoris tantum abest, ut Ecclesiam scindat, ut potius ad ejus tendat unitatem. Unde non erat, cur de violatis Canonibus tantopere Augustinus seipsum angeret, rectiusque tenebant alii, necessitate aut utilitate Ecclesiæ duos Episcopos postulante Nicæno Canoni locum non esse.

Episcopis coadjutores dantur a Pontifice.

§. III. Coadjutoris autem cum spe successionis constitutio judicio Episcopi qui ea ope indigebat, & auctoritate Synodi provincialis, plebe etiam consentiente, fiebat, prorsus eodem modo, quo Episcopi eligebantur (*c*). Quin postquam Regum adsensus in constituendis Episcopis necessarius esse cœpit, etiam in dandis coadjutoribus Reges debebant adsentiri (*d*). Jure novo coadjutores cujuscumque generis non aliter dantur Episcopis, quam ex decreto Pontificis, quod causis majoribus eorum constitutio adnumeretur (*e*), nisi Ecclesiæ sint remotiores, quo casu auctoritate apostolica ipse Episcopus cum adsensu capituli unum vel plures sibi adsciscit coadjutores, vel si non possit, forsan quod demens sit, duæ capituli partes eum constituunt: & si Episcopus nolit habere coadjutorem, apostolicis rescriptis est Ecclesiæ providendum. Parochis autem imperitis ad tempus ab Episcopo dantur coadjutores (*f*).

CAPUT XV.

De Chorepiscopis.

Origo Chorepiscoporum.

§. I. Proximum sub Episcopis gradum olim obtinuerunt *Chorepiscopi*, hoc est ruris Episcopi. In pagis & vicis larga facta ad Christum ac-

(*a*) Possid. vit. Aug. cap. 8.
(*b*) Aug. Epist. CX.
(*c*) Euseb. lib. 6. cap. 11., Hieronym. de scriptor. eccles. in Alexandro, Possid. vit. August. cap. 8.
(*d*) Surius die 4. Februar., Thomassin. part. 2. lib. 2. cap. 58.
(*e*) Cap. V. ex. de Cleric. ægrotante, Cap. 1. de Cleric. ægrotan. vel debil. in 6.
(*f*) Trid. sess. XXI. de ref. cap. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

accessio, ibidemque constitutæ & multiplicatæ Ecclesiæ Chorepiscopos induxerunt. E re christiana nempe visum amplas parœcias in minores veluti episcopatus partiri, eorumque curam demandari Chorepiscopis, qui in omnibus ab Episcopo penderent civitatis. Chorepiscopis commissas Ecclesias nomine *regionis* designat Synodus Antiochena (*a*). Primis fere tribus sæculis raris in pagis Ecclesiis, nulli videntur fuisse Chorepiscopi, cœperuntque initio quarti sæculi frequentes esse in oriente, sæculo & amplius in occidente; tacentque de iis monumenta tum Græca, tum Latina antiquiora (*b*). Eos in oriente primum memorat Synodus Ancyrana (*c*) an. CCCXIV., in occidente vero Synodus Regiensis in Gallia an. CCCCXXXIX. celebrata, prorsusque stramentitia est epistola Damasi Papæ de Chorepiscopis ad Africanos, quod ut alia omnia deessent, usus Chorepiscoporum in Africa non receptus, evidenter demonstrat.

Chorepiscopi fere ex Presbyteris adsumpti.

§. II. Jam chorepiscopatus munus ecclesiasticum videtur fuisse ordini adjunctum, non secus ac archipresbyteratus & archidiaconatus, quique eo donabantur crescebant supra Presbyteros, sed erant Episcopis inferiores, plenitudine sacerdotii destituti. Nec enim videtur admittenda sententia Beveregii, Blondelli, Cavei, Binghami aliorumque, qui Chorepiscopos omnes veri nominis Episcopos faciunt, quamvis episcopales functiones aliquæ iis denegarentur. Et sane a solo Episcopo, cui subjecti erant, constituebantur Chorepiscopi (*d*), quum secundum receptas ab antiquo regulas Episcopi saltem per tres Episcopos debebant ordinari. Deinde Chorepiscopos minime fuisse Episcopos demonstrat antiqua regula, quæ in una parochia duos Episcopos esse vetat, hactenus ut Nicæni Patres jusserint, Episcopos Novatianos ad fidem reversos pro arbitrio catholici Episcopi esse vel Chorepiscopos, vel Presbyteros, *ne in una civitate duo Episcopi probentur exsistere* (*e*). Porro Chorepiscopi imaginem septuaginta discipulorum præferebant (*f*): & secundum veterum sententiam Presbyteri discipulos, Episcopi Apostolos repræsentabant (*g*). Ex Presbyteris igitur adsumebantur Chorepiscopi, & si aliquando veri Episcopi, qui vacabant, chorepiscopatu donabantur, sacerdotii plenitudo quiescebat, tantumque in hac specie chorepiscopalis vigebat potestas (*h*).

Officia Chorepiscoporum.

§. III. Multa fuerunt jura Chorepiscoporum. Præerant (I) rustica-

(*a*) Can. X.
(*b*) Thomass. part. I. lib. 2. cap. 1.
(*c*) Can. XIII.
(*d*) Conc. Antioch. Can. X.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. VIII.
(*f*) Conc. Neocæsar. Can. XIV.
(*g*) Hieronym. epist. ad Fabiol.
(*h*) Conc. Antioch. Can. X.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

canis Ecclesiis sibi commissis (*a*), & de moribus agrestium Clericorum ad Episcopum referebant. Pro sibi subjectis Ecclesiis (II), accepto Presbyterorum & Diaconorum testimonio & Episcopi consensu, minores ordinabant Clericos (*b*), quamvis inde Synodus Antiochena Episcopi in cujusque ordinatione interpellandi remiserit necessitatem (*c*). Clericis porro (III) ruralibus in aliam diœcesim abeuntibus dabant literas formatas (*d*); in civitate (IV) coram Episcopo & Presbyteris urbanis sacris operabantur, quod aliis Presbyteris agrestibus non licebat (*e*): sedebant (V) in Conciliis generalibus & suffragia ferebant (*f*): & demum (VI) neophytos confirmabant: quam potestatem Armentario ad Chorepiscopi conditionem redacto dedit an. CCCCXXXIX. Synodus Regiensis in Gallia. Hæc quidem omnia poterant Chorepiscopi, nisi pro arbitrio Episcoporum eos constituentium potestas chorepiscopalis limitaretur.

Chorepiscopi non ordinarunt Presbyteros & Diaconos.

§. IV. Quæcunque vero fuerit Chorepiscoporum potestas, ordinationes tamen Presbyterorum & Diaconorum, quæ plenitudinem supponunt sacerdotii, eorum sortem excesserunt. Negotium facessit Canon Antiochenus X., qui vetat Chorepiscopis, Presbyteros & Diaconos ordinare *præter civitatis Episcopum*, & multo magis Canon XIII. Ancyranus, qui, *nisi permittatur ab Episcopo*, iisdem interdicit Presbyterorum & Diaconorum ordinationes. Sed verbum illud Canonis Antiocheni *præter civitatis Episcopum* non est ita accipiendum, quasi permittente Episcopo liceat Chorepiscopis, Diaconos & Presbyteros ordinare, sed ne id possint sine Episcopo, cui ordinanti adsint & operam præstent. Quæ est interpretatio Balsamonis a doctissimis quibusque Latinorum adoptata (*g*), nec recte habet versio Isidori *præter conscientiam Episcopi civitatis*. Quantum ad Canonem Ancyranum, ejus Græcus textus antiqua videtur laborare corruptione. *Chorepiscopis*, sunt ejus verba latine reddita, *non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per literas in aliena parœcia*. Concinit Dionysius Exiguus, nisi quod pro *aliena parœcia* habet *in unaquaque parochia*. Ita conceptus Canon multa continet absurda. Chorepiscopis non minus quam Presbyteris civitatis permittente Episcopo ordinandi Presbyteros & Diaconos facit potestatem, quod universæ pugnat antiquitati. Et deinde qui potest idoneus esse sensus illorum verborum *in aliena parœcia*, quum in aliena parœcia nec alteri permittere, nec ipsi quidquam facere possunt Episcopi? Ergo recte Petrus de Marca post verba *sed nec Presbyteris civitatis* addendum

(*a*) Conc. Antioch. Can. X.
(*b*) Basil. epist. CLXXXI.
(*c*) Conc. Antioch. Can. X.
(*d*) Conc. Antioch. Can. VIII.
(*e*) Con. Neocæsar. Can. XIII. & XIV.
(*f*) Conc. Nicæn. in subscript.
(*g*) Marca lib. 2. de C. S. & I. cap. 14. n. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

dum demonstrat *aliquid agere*, & pro *in aliena parochia* legendum *in unaquaque parochia*. Certe versio Canonum Isidori, Ferrandus Diaconus (*a*) & epitome Canonum Hadriano I. tributa eas castigationes habent. Ita restitutus Canon omnino vetat Chorepiscopis Presbyterorum & Diaconorum ordinationes, & Presbyteris civitatis injussu Episcopi in unaquaque parochia aliquid agere interdicit. Videri potest contra criticas regulas autographa ex versionibus supplere; sed quando autographa corrupta sunt, ipsa ratio dictat, ad ea supplenda recte ab antiquis versionibus lumen mutuari, præsertim in hac causa, ubi justa subest opinandi ratio, antiquum latinum interpretem & Ferrandum puram putam sententiam Ancyrani Canonis expressisse, nullis aut raris tum in occidente Chorepiscopis.

Chorepiscopi esse desierunt.

§. V. Quamvis autem Chorepiscopi Presbyteros & Diaconos consecrandi carerent potestate, lapsu tamen temporis in occidente, & præsertim in Gallia, omnia episcopalia explicarunt officia, idque forsan ex male accepto Canone Antiocheno cœpit usurpari, & inde tempore Caroli M. recepto per Gallias codice Dionysiano, etiam mutilo Canone Ancyrano confirmari potuit. Sed hæc potestatis extensio perdidit tandem in occidente Chorepiscopos. Sane tempore Pipini gravis in Gallia excitata & deinceps continuata est contra eos controversia: negabantque multi, veros esse Presbyteros & Diaconos (idemque dicebant de reliquis episcopalibus functionibus), quos Chorepiscopi sacraverant. De more consultus summus Pontifex Zacharias, & inde Leo III., qui respondit, quidquid episcopalis ministerii Chorepiscopi præsumsissent, nullum esse & iterandum, ipsosque Chorepiscopos deponendos, & pellendos in exilium. Et hinc edixerunt Gallicani Episcopi, deinceps non creari Chorepiscopos, & iterari episcopales functiones ab iisdem explicatas (*b*). Sed tam gravi solemnique decreto non obstante retenti, aut restituti Chorepiscopi ignavia quorundam Episcoporum, qui otio & genio indulgentes in eos sarcinam rejiciebant episcopalem (*c*). Ergo de eadem re consulitur Nicolaus Papa I., qui respondit, validas esse ordinationes a Chorepiscopis peractas, quamvis vetet ab iis similia deinceps attentari. *Cursim & diversis negotiis occupatus* respondit Nicolaus, ut ipse in epistola præfatur, nullamque ejus responsionis rationem Gallicani Episcopi habuerunt. Verum quum inde Principes occasione Chorepiscoporum, quos modica conductos stipe vacantibus Ecclesiis præficiebant, a concedendis electionibus cessarent (*d*), bonam mentem induerunt Episcopi, & veluti ex compacto a creandis Chorepiscopis cessarunt. Ita X. circiter sæ-

(*a*) Breviar. Can. tit. XCII.
(*b*) Conc. Ratisb. tom. 2. Conc. Gall. ad Can. 800., lib. 7. cap. 328. seq.
(*c*) Hinem. Rhemen. epist. XLV.
(*d*) Flodoard. lib. 3. hist. eccl. Remens. cap. 10.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

sæculo cessarunt in occcidente Chorepiscopi. In oriente minus quidem in eos sævitum, quod demandatam sibi potestatem modestius explicarunt; sed ætate Balsamonis etiam omnino esse desierant.

CAPUT XVI.

De Presbyteris, Archipresbyteris & Parochis.

Varia nomina Presbyterorum.

§. I. Post Episcopos in ecclesiastica hierarchia Presbyteri sequuntur. Quos Græci *Presbyteros*, Latini dicunt *seniores*, magis tamen sapientiæ & meritorum, quam ætatis gratia, non secus ac olim Romani dixerunt senatores. Unde amplitudine sua etiam Episcopos, quin etiam, ut Balsamon observat, omnes Clericos *Presbyteri* continet appellatio, & reipsa antiqui Patres sæpe *Presbyteri* nomine Episcopos designarunt (*a*). Verum in præsenti strictius Presbyteros accipimus, pro secundi gradus Sacerdotibus, quibus sub Episcopo jus est omnia fere ecclesiastica obire ministeria. In hoc sensu inde usque a tempore Ignatii martyris sæpissime vox *Presbyteri* accepta. In novi testamenti libris sæpe vocantur *Episcopi*, quod alias observavimus: passimque a sacris, quibus operantur, dicti *Sacerdotes*: quumque Sacerdotis nomen etiam generale sit, ne æquivocandi occasio daretur, *secundi ordinis Sacerdotes* & *Sacerdotes secundi* appellati sunt (*b*).

Potestas Presbyterorum.

§. II. Presbyterorum institutio non humani, sed divini juris est, quo eodem jure ab Episcopis distinguuntur (*c*). Scilicet multis partibus absolvitur officium pastorale, quas omnes quum unus Episcopus explicare non posset, Presbyteri instituti sunt, qui in secundo sacerdotio summis Antistitibus in vinea Domini excolenda cooperatores accedunt. Unde Presbyteri fere omnia Episcoporum officia, quæ assidui sunt usus, vi suæ potestatis possunt exercere. Offerunt, benedicunt, præsunt, prædicant, baptizant, & vero etiam peccata dimittunt, quam ordinariam Presbyterorum potestatem in ipsa eorum ordinatione complectitur Episcopus.

Presbyteri in omnibus ab Episcopo pendent.

§. III. Quanta demum cumque sit Presbyterorum potestas, ab Episcopo tamen in omnibus dependent, & nisi cum bona ejus venia acceptam in ordinatione potestatem vetantur explicare. In una Ecclesia tot emer-

(*a*) Chrisost. hom. 1. in Philip. I.
(*b*) Optat. lib. 1.
(*c*) V. sup. cap. 3. §. 3. seqq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

emergerent independentes plebes, quot essent Presbyteri, si isti ab Episcopo non penderent. *Sine Episcopo*, inquit Ignatius martyr (*a*), *nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent*. Et Tertullianus (*b*), *dandi quidem* baptismi *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est*. Consentiunt Canones, in primis Laodiceni, apostolici vulgo dicti, Arelatenses, Toletani, aliique, qui omnes ex compacto jubent, sine Episcopi conscientia nihil Presbyteros agere oportere. Id tantum inter veterem & novam distat disciplinam, quod olim ut Presbyteri recte agerent, in singulis actibus videtur fuisse necessaria Episcopi auctoritas, at institutis Parochis semel quidquid officii pastoralis est, iis Episcopi committunt: qua delegatione semel facta Parochi adgnoscunt quidem Episcopum tanquam superiorem, sed curam animarum jure proprio exercent.

Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ senatum constituebant.

§. IV. In eo autem magis elucet Presbyterorum potestas, quod melioribus Ecclesiæ sæculis sine eorum consilio nihil magni momenti Episcopi factitabant. Ecclesia nempe inde usque ab initio senatum habuit suum, quem ad exemplum *synedrii Judaici* forsan inductum; antiqui scriptores passim *presbyterium* & *synedrium Presbyterorum* appellant. Senatum autem istum sub capite Episcopo Presbyteri & Diaconi urbis componebant (*c*); post constitutas enim in agris parœcias locorum forsan distantia, & indesinens animarum cura agrorum Presbyteros partem habere in presbyterio non permisit. In presbyterio negotia ecclesiastica tractabantur, nec aliquid magni momenti sine senatu faciebant Episcopi. Et hinc Ignatius martyr passim præcipit Ecclesiis, ut subjecti sint Episcopo & presbyterio (*d*): & Presbyteri *præpositi*, *præsides* & *Antistites Dei* passim ab antiquis Patribus appellantur (*e*). In presbyterio stabant Diaconi; Presbyteri & Episcopus sedebant, eo tamen cum discrimine quod Episcopi sedes sublimis erat, demissiores vero sedes Presbyterorum, & hinc Episcopi sedes *thronus celsus*, Presbyterorum vero *throni secundi* dicebantur. Ita duo illi, quos jussu Constantini *ex secundo throno* ad Concilium Arelatense Chrestus Syracusanus Episcopus secum ducere debebat, Presbyteri erant (*f*). Sic vero throni in Ecclesia erant digesti, ut semicirculum conficerent, stabatque Episcopi thronus sublimis in medio, utrinque vero throni Presbyterorum (*g*). Unde factum

(*a*) Epist. ad Smyrn.
(*b*) De Baptis. cap. 17.
(*c*) Basilius epist. 319.
(*d*) Epist. ad Ephes. n. 2., epist. ad Trall. n. 13., ep. ad Polyc. n. 6.
(*e*) Bingh. lib. 2. orig. eccles. cap. 19. §. 14.
(*f*) Epist. Constantini ap. Euseb. lib 10. cap. 5.
(*g*) Nazianz. in somnium de templo Anastasiæ, constit. apost. lib. 2. cap. 57.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tum ut Ignatius martyr (*a*) Presbyteros *coronam presbyterii*, & auctor constitutionum apostolicarum (*b*) *Ecclesiæ coronam* appellarint. Sed temporis lapsu presbyterii auctoritas in capitulum Ecclesiæ cathedralis devoluta, sensim ita decrevit, ut ejus pauca supersint vestigia, qua de re in tractatu de Canonicis.

Parochorum *institutio.*

§. V. Venio nunc ad *Parochos*. Primis fere tribus sæculis una in primaria diœcesis urbe Ecclesia fuit, in quam die solis fideles, quotquot erant, sive in civitate, sive ruri, ad sacra mysteria conveniebant, teste Justino martyre (*c*). Sed aucto fidelium numero, in civitatibus & agris Ecclesiæ inferiores circa sæculi tertii mediatatem cœperunt institui, in quibus pro christianis ibi degentibus sacra etiam celebrarentur. Et hinc dictæ fuerunt hujusmodi inferiores Ecclesiæ *parœciæ*, quasi sacræ quædam viciniæ, *diœceses* (*d*), quasi divisæ administrationes, & vero etiam *tituli*, forte quod inde præpositi Presbyteri nomen titulumque ducerent suum. Paroeciarum administratio per vagos incertosque Presbyteros vix recte procedebat. Unde ab initio Ecclesiis ruralibus, & inde etiam paroeciis civitatum suus præpositus Presbyter (*e*), qui tanquam proprius pastor eas administraret & regeret. Ita nati Parochi, hoc est secundi ordinis Sacerdotes, qui jure proprio, sed sub auctoritate episcopali cum cura animarum titulos regunt.

Parochorum officia.

§. VI. Parochis itaque constitutis, in uno episcopatu natæ sunt minores Ecclesiæ, quæ licet omnes sub manu Episcopi sint, ἀμέσως tamen Presbyterum suum tanquam proprium pastorem adgnoscunt. Unde Parochi apud canonistas & theologos haberi cœperunt veluti minores prælati & hierarchæ, qui septuaginta discipulis succedentes, jure divino curam exercent animarum: quod dubio procul verum est, in quantum Parochorum officium episcopatu includitur, ut in fonte & sacerdotii plenitudine (*f*). Cura igitur interna animarum pertinet ad Parochos, quorum propterea est, *oves suas adgnoscere*, *pro his sacrificium offerre*, *verbique divini prædicatione*, *Sacramentorum administratione*: *bonorum omnium operum exemplo pascere*, ut docet Tridentina Synodus (*g*): idque per se, aut per alios idoneos, *si legitime impediti fuerint* (*h*). Vicissim vero paroeciani tenentur

(*a*) Epist. ad Magnes. in 13.
(*b*) Lib. II. cap. 28.
(*c*) Apolog. II.
(*d*) V. sup. cap. 5. §. 9. & 10.
(*e*) Bingh. lib. 9. orig. eccles. cap. 3. §. 5.
(*f*) Thomassin. part. I. lib. 2. cap. 26. n. 5.
(*g*) Ses. XXIII. de ref. cap. 1.
(*h*) Trident. ses. V. de ref. cap. 2.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tur Sacramenta a proprio suo Parocho accipere, eique in cultu Dei publico adhærere, hactenus ut jubeantur Parochi alienos paroecianos, nisi in itinere fuerint, e præsepibus suis, quo tempore missa celebratur, arcere, quod pluries in sacris Canonibus cautum est (*a*). Nata est mutua isthæc obligatio inter Parochum & parœcianos a natura Ecclesiæ, quæ pastori debet adhærere suo. Stetit isthæc disciplina per plura sæcula, nec nisi post inductos mendicantium ordines factum, ut potiora vincula, quibus paroeciani suis adhærebant pastoribus, solverentur, qua in re alibi.

Archipresbyteri urbani *institutio & officium.*

§. VII. Primis tribus sæculis plures quidem Presbyteros, unde constabat presbyterium, habuerunt Ecclesiæ, verum iis omnibus, tanquam presbyterii princeps, præerat Episcopus, nec ex Presbyteris aliquis supra cæteros eminebat. Sed inde quarto sæculo ob continua cum hæreticis certamina & Conciliorum celebrationem Episcopis distractis, unus ex Presbyteris velut ordinis princeps constitui cœpit, quem proinde Latini *Archipresbyterum*, Græci *protopresbyterum* appellant. Forte primus Hieronymus Archipresbyterorum facit mentionem (*b*). Apud Latinos antiquitas ordinationis (*c*), apud Græcos vero Episcopi arbitrium ut plurimum archipresbyteratum contulit. Jam Archipresbyter proxime post Episcopum Ecclesiæ præest, tanquam collegii presbyteralis caput, & absentis Episcopi vicem sustinet in functionibus interioribus (*d*), præsentis vero curam levat.

Archipresbyterorum ruralium *institutio & officium.*

§. VIII. Unus tantum in singulis diœcesibus olim Archipresbyter fuit, quemadmodum unus Episcopus, unus Archidiaconus (*e*), residebatque in Ecclesia cathedrali. At temporis lapsu etiam ruri constituti sunt Archipresbyteri, qui ad differentiam urbanorum *rurales* dicti sunt. Scilicet amplæ præsertim diœceses in varias regiones tributæ sunt, quæ *decaniæ*, quod iis decem inferiores tituli continebantur, & vero etiam *plebes* dictæ sunt. Sæculo octavo jam *decanatus* invaluerat. Singulis autem plebibus *Archipresbyter*, alias *decanus* dictus (*f*), præerat. Ipsi Parochi ex cœtu suo dignissimum & rerum expertissimum in decanum eligebant, quem ab Episcopo curabant confirmari, ut constat ex Hincmari capitularibus ad Parochos. At jure Decretalium decani institutio ad Episcopum simul & Archidiaconum pertinet (*g*). Apud decanum calendis cujusque

(*a*) Lib. V. capitul. cap. 115., cap. 2. ex. de paroch.
(*b*) Hieronym. epist. 4. ad Rustic.
(*c*) Leo I. epist. 67. seq.
(*d*) Cap. I. II. & III. ex. de off. archipr.
(*e*) Hieronym. loc. cit.
(*f*) Cap. VII. ex. de off. archipr.
(*g*) Cap. VII. ex. de off. archid.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

que mensis Parochi omnes conveniebant, de his, quæ in earum parochiis accidebant, tractaturi. Decanorum autem erat non solum imperiti vulgi solicitudinem gerere, verum etiam Presbyterorum qui per *minores titulos*, hoc est parochias, habitant, vitam jugi circumspectione custodire, & qua industria quisque divinum opus exerceat, Episcopo renunciare (*a*).

Decani & Parochi olim aucti jurisdictione.

§. IX. Jam decani in suis decanatibus & Parochi in suis parœciis præter internam animarum curam jure proprio etiam exteriorem habuerunt jurisdictionem, excommunicantes, suspendentes, interdicentes (*b*). Quin decani de causis etiam matrimonialibus, simoniæ, adulterii aliisque, quæ depositione, aut degradatione puniebantur, cognoscebant, exemploque Archidiaconi ad jurisdictionem explicandam suam varios constituebant officiales (*c*). Ante sæculum XI. nulla forsan occurrunt exempla externæ jurisdictionis jure proprio per decanos & Parochos explicatæ. Videntur Episcopi vel aliis distracti curis, vel otio indulgentes, decanis pro suis decanatibus jurisdictionem mandasse suam, quæ temporis diuturnitate & Episcoporum oscitantia, vel, si mavis, tacita eorum consensione in communem & ordinariam convaluit, prorsus eodem modo, quo Archidiaconi delegata primum in totam diœcesim potestas evasit ordinaria: eodemque fundamento, oscitantia nempe Episcoporum, innixi Parochi episcopalem jurisdictionem occuparunt, sibique propriam fecerunt. Sed sæculo XIII. cœperunt Episcopi jurisdictionem vindicare suam, eamque vicariis pro arbitrio institutis demandare, & hinc paulatim decanorum & Parochorum jurisdictio imminuta est. Ætate B. Thomæ tantum in certis causis jure proprio Parochi excommunicabant (*d*), & post sæculum XIII. rarissima superfuere jurisdictionis Parochorum vestigia, stetitque vero diutius, quamvis multum enervata, jurisdictio decanorum.

CAPUT XVII.

De Diaconis, Archidiaconis & Diaconissis.

Diaconorum institutio & numerus.

§. I. Nomen διάκονος in novo testamento quandoque quemcunque sacro ministerio addictum significat: quod generali acceptione etiam Epis-

(*a*) Cap. IV. ex. de off. archipr.
(*b*) Cap. III. ex. de off. ordin., cap. 11. ex. de majorit. & obedient.
(*c*) Thomassin. part. I. lib. 2. cap. 6.
(*d*) B. Th. supplem. quæst. 12. art. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Episcopi & Presbyteri nonnunquam *Diaconi* dicuntur (*a*). At nunc strictiore sensu Diaconos accipimus, quatenus tertium hierarchiæ ordinem constituunt, suntque Episcoporum & Presbyterorum ministri. Quod vero in christiana Ecclesia idem faciunt, quæ olim Levitæ faciebant in templo (*b*), subinde in antiquis monumentis *Levitæ* appellantur (*c*). Diaconis instituendis mensarum quidem servitium dedit occasionem, sed eos semel institutos ad Ecclesiæ & sacræ cœnæ ministerium Apostoli adhibuerunt (*d*), auctoque in dies fidelium numero ita excreverunt Diaconorum officia, ut sine iis, teste Isidoro (*e*), Sacerdotes nomen quidem habeant, non officium. Initio Diaconi septem fuerunt: quem numerum plures Ecclesiæ, & præsertim Romana, diu retinuere (*f*).

Diaconorum officia intra Ecclesiam.

§. II. Quando igitur ad Ecclesiæ spirituale ministerium, & ad curanda temporalia instituti fuerunt Diaconi, eorum & intra & extra Ecclesiam sese exserebat officium. In Ecclesia Diaconi (I) oblationes a fidelibus ad altare factas recipiebant, & Sacerdoti Deo tradebant offerendas, offerentiumque nomina publice recitabant (*g*), eaque recitatio *nominum oblatio* dicebatur, ut Rigaltius & Cardinalis Bona (*h*) ex Cypriano observant. Evangelium quoque (II) in aliquibus Ecclesiis legerunt (*i*). Porro (III) certis solemnibusque formulis in qualibet divini cultus parte proclamarunt, catechumenos, pœnitentes, fideles sive ad orandum, sive ad genua flectenda, sive ad audiendas lectiones, sive ad exeundum admonentes; quod a Græcis κηρύττειν, a Latinis *prædicare* dicebatur: quæ verba non ordinarie *concionari* significat, sed officio κήρυκος, seu *præconis* in concione fungi, quod Halbertus, Beveregius, Suicerus aliique observarunt. Unde Synesio & Chrysostomo Diaconi Ecclesiæ *præcones* audiunt. Nulla porro (IV) necessitate urgente, sed de Episcopi jussu, baptizarunt (*k*), eodemque etiam jubente Episcopo (V) conciones ad populum habuerunt, eosque (VI), qui in Ecclesia se inordinate gerebant, reprehenderunt, & castigarunt (*l*). Ministrarunt quoque (VII) Episcopo & Presbyteris in sacra liturgia, ubi corpus & sanguinem Christi laicis tribuerunt, quod sæculo secundo ordinarium Diaconorum fuit officium (*m*); sed inde inter corporis & sanguinis eucharistiam distingui cœpit: receptum

(*a*) Act. 1. 23., 2. Cor. VI. 4., Chrys. hom. I. in Philip. cap. 1.
(*b*) Hieronym. epist. ad Evagr.
(*c*) Hieronym. epist. 27., Conc. Turon. I. Can. I.
(*d*) Sup. cap. 3. §. 11.
(*e*) Lib. II. de divin. off. cap. 9.
(*f*) Conc. Neocæsar. Can. XV., Sozom. lib. 7. cap. 19.
(*g*) Hieron. com. in Ezechiel. 18.
(*h*) Lib. II. rer. liturg. cap. 8. n. 7.
(*i*) Auct. const. apost. lib. 2. cap. 57., Hieron. epist. 57. ad Sabin.
(*k*) Tertul. de Bapt. cap. 17, Hieron. dialog. contra Lucifer. cap. 4.
(*l*) Const. apost. lib. 2. cap. 57., Chrisost. hom. 24. in acta.
(*m*) Justin. martyr apolog. 2.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tumque ut sanguinem tribuerent, corpus vero, Presbytero præsente, nisi jussi & necessitate urgente, non erogarent (*a*).

Diaconi consecrandi non habent potestatem.

§. III. Hæc autem eucharistiæ distributio in antiquis monumentis aliquando dicitur *oblatio*, quatenus scilicet etiam christianis Diaconi porrigerent, non quatenus sacrificarent, & Deo offerrent. Aperta sunt in hanc sententiam Cypriani verba (*b*), *solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit*. Similiter *oblatio per* Patres Ancyranos Diaconis, qui immolaverant, interdicta (*c*), alia non est, quam eucharistiæ distributio. Nec recte Grotius (*d*), & Hospinianus (*e*) in Canone Ancyrano nomine oblationis consecrationem intelligunt, quasi Diaconis antiquis temporibus, absentibus Presbyteris, consecrare licuerit. Sane negant Nicæni Patres (*f*), Diaconos offerendi habere potestatem, nec verum esse potest sacrificium ubi deficit Sacerdos, quod veteres passim adgnoscunt, in primis Hieronymus (*g*) & Hilarius (*h*): statuuntque Patres Carthaginenses (*i*), Diaconos non ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinari. Verum tamen est, in multis locis usurpasse Diaconos consecrandi potestatem, sed statim Synodus Arelatensis (*k*) id regulæ transgressionem esse cognovit, vetuitque ne deinceps Diaconi idem auderent.

Explicantur verba Ambrosii.

§. IV. Exstat apud Ambrosium locus quidam (*l*), unde colligi videtur, Diaconos tertio sæculo Romæ consecrandi habuisse potestatem. Ibi enim Laurentius Diaconus ita Sixtum Episcopum suum ad martyrium properantem adloquitur. *Quo sancte Sacerdos sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Sed *sanguinis consecratio*, quam Diacono Laurentius facit demandatam, potius est distributio, quam vera sanguinis consecratio, quod ex ipso contextu constat, ut jam vidit Cardinalis Bona. Sane asserit Laurentius, *nunquam Episcopum sine ministro offerre* consuevisse, ac proinde Episcopo præsente & offerente qui poterat Diaconus sanguinem consecrare? Porro hæc eadem consecratio

---

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. XXXVIII., Conc. Arelat. II. Can. XV.
(*b*) De lapsis.
(*c*) Conc. Ancyr. Can. II.
(*d*) De cœnæ administr. ubi pastores non sunt.
(*e*) Histor. sacram. lib. 2. cap. 1.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. XVIII.
(*g*) Epist. LXXXV. ad Evagr.
(*h*) In fragm.
(*i*) Conc. Carthag. IV. Can. IV.
(*k*) Conc. Arelat. I. Can. XV.
(*l*) Lib. I. de offic. cap. 41.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tio Diacono commissa dicitur *sacramentorum consummatio*, quæ eadem est ac sacramentorum distributio. Eucharistiæ autem distributio ea ratione a veteribus *consecratio* dicta est, quod fideles ea accepta Christo veluti consecrabantur. Quæ quum ita sint non recte Baronius invitis omnibus antiquis codicibus textum emendavit, & loco *consecrationis* reposuit *distributionem*, quod ipse Bona (*a*) & Habertus (*b*) immerito factum profitentur.

Officia Diaconorum extra Ecclesiam.

§. V. Extra Ecclesiam Diaconi (I) jussu Episcopi bona ecclesiastica tribuerunt, erantque Episcoporum subeleemosynarii, inquirebantque propterea in miserabilium egestates, & Episcopo referebant, ipsisque acceptas deferebant eleemosynas. Inquirebant præterea (II) in vitam & populi mores, indicabantque Episcopo mala, quibus ipsi mederi non poterant (*c*). Mandata (III) Episcoporum ad Presbyteros, vel Episcopos alios detulerunt, propriosque Episcopos comitebantur, præsertim in Conciliis generalibus, ubi scribas & disputatores agebant. Atque ex his omnibus factum, ut Diaconi communiter *oculi*, *aures*, *os*, *dextra* & *cor* Episcopi vocarentur (*d*), quatenus scilicet Episcopus omnia videbat, audiebat, loquebatur, faciebat eorum ministerio. Moribus hodiernis inde a multis sæculis receptis collapsa pene sunt omnia Diaconorum officia, & fere tantum in solemni missa ministrant, ubi etiam canunt Evangelium.

Audacia Diaconorum repressa.

§. VI. Jam Diaconi quamvis ministri sint Presbyterorum, nec proprio donentur sacerdotio, ea tamen olim audacia intumuerunt, ut se supra Presbyteros efferrent. Ipsis Presbyteris dederunt Eucharistiam, absenti Episcopo inter Presbyteros sederunt, iisque benedixerunt in domesticis conviviis, dictitabantque, se non Presbyterorum, sed Episcoporum ministros esse. Diaconorum in quibusdam Ecclesiis paucitas (*e*), rerum temporalium per eos facta dispensatio, summa gratia, qua pollebant apud Episcopos (*f*), quorum erant oculi & aures, eos insolentes sortisque suæ fecerunt immemores. Ita intumefacti Diaconi ordinem hierarchicum turbabant: & hinc non minus Canones, quam privati scriptores tantam fregerunt audaciam. Vetuit Nicæna Synodus (*g*), ne Eucharistiam Presbyteris darent; Carthaginensis vero statuit (*h*), ne coram Presbytero sederent,

(*a*) Lib. I. rer. liturgic. cap. 25. n. 4.
(*b*) Not in Pontif. Græc.
(*c*) Cons. apost. lib. 2. cap 44.
(*d*) Constit apost. loc cit Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 29.
(*e*) Hieron. epist ad Evagr.
(*f*) Auctor quæst utriusq testam. q. 101.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. XVIII.
(*h*) Conc. Carthag. IV. Can. XXXIX. LX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rent, aut loquerentur, nisi Presbyter juberet, aut interrogaret: addiditque, Diaconos non minus Episcoporum, quam Presbyterorum ministros esse (*a*). Ex privatis scriptoribus ita valide Hieronymus (*b*) tumefactos Diaconos compescuit, *Quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces Christi corpus & sanguis efficitur?*

Archidiaconus *arbitrio Episcopi electus.*

§. VII. Inter Diaconos unus fuit reliquis superior, dictus propterea *Archidiaconus.* Quum enim in una Ecclesia plures Diaconi fuerint, quendam veluti ordinem efformantes, recta regiminis ratio postulavit, ut unus reliquis præponeretur. Arbitrio Episcopi ex ipsis Diaconis eligebatur Archidiaconus, non eo munere senior ordinatione Diaconus donabatur. Certe Athanasius Diaconus, quamvis ætate juvenis, *princeps* tamen *ordinis* erat, ut tradit Theodoretus (*c*): quod, ut recte Valesius observavit, manifeste indicat, eum aliis senioribus Diaconis arbitrio Episcopi fuisse prælatum. Similiter Sixtus Laurentium (*d*), & Chrysostomus Serapionem (*e*) constituit Archidiaconum. Itaque Hieronymus scribens (*f*), Presbyteros Alexandrinos suo ex cœtu Episcopum eligere, *quomodo si Diaconi eligant, de se Archidiaconum*, non adfirmat Archidiaconum a Diaconis eligi solitum, sed fingit & supponit rem, quam ad comparationem profert (*g*).

Archidiaconi officia.

§. VIII. Jam quum negotia prope omnia ecclesiastica Diaconorum ministerio Episcopi peregerint, qui primus inter ministros erat, lateri Pontifici semper adsedit, ministrosque omnes sibi subjectos habuit. Archidiaconus ergo Episcopo suo sacris operanti adstitit, & consueta Diaconorum peregit officia ministeria inter Diaconos & reliquos inferiores Clericos tribuit: Clericorum ordinationi adfuit, eisque tradidit sacra instrumenta, suæ cujusque signa ordinationis (*h*): in ordinandis Presbyteris testimonium dabat (*i*): Diaconos aliosque inferiores Clericos pœnis ecclesiasticis affecit (*k*): viduarum, pupillorum & peregrinorum curam habuit (*l*), Diaconisque patrimonium ecclesiasticum jussu Episcopi in egenos tribuen-

---

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. XXXVII.
(*b*) Epist. LXXXV. ad Evagr.
(*c*) Lib. I. cap. 26.
(*d*) Ambros. lib. 1. de offic. cap. 41.
(*e*) Sozom. lib. 8. cap. 9.
(*f*) Epist. LXXXV. ad Evagr.
(*g*) Thomassin. part. I. lib. 2. cap. 17. n. 4.
(*h*) Conc. Carthag. IV. Can. V. VI. IX.
(*i*) Hieronym. epist. ad Evagr.
(*k*) Conc. Chalced. act. X.
(*l*) Conc. Carthag. IV. Can. XVII.

(c).Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

buentibus præsedit, eraotque penes ipsum thesauri ecclesiastici claves. Paucis pastoralem fere omnem solicitudinem administris Archidiaconis explicabant Episcopi, & hinc quum Diaconi oculi Episcoporum essent, eorum Principes ὀφθαλμὸς, *totus oculos* esse debebat, ut ad Pelusii Archidiaconum scribit Isidorus Pelusiota (*a*). Et hinc post Episcopum universæ Ecclesiæ oculi in Archidiaconum conversi erat, eoque munere viri præ cæteris industriores donabantur. Quo fiebat, ut posthabitis Presbyteris sæpe Archidiaconi Episcopi eligerentur, cujus rei exempla Cæcilianus & Anastasius suppeditant.

Archidiaconi potestas in omnem diœcesim extensa.

§. IX. Hæc tam late fusa Archidiaconorum potestas primis quinque sæculis Ecclesiæ cathedralis ambitu inclusa stetit (*b*); at inde distractiores, quam antea fuerant, a rebus sacris facti Episcopi, totius diœcesis solicitudinem Archidiaconis cœperunt demandare. Ita facti sunt Archidiaconi vicarii quidam generales in depromenda omni episcopali jurisdictione sive voluntaria, sive contentiosa. Certe Isidorus Hispalensis Archidiaconi officio includit etiam delegatam in totam diœcesim jurisdictionem, & parœciarum ruris lustrationem (*c*). Vincentius quoque Fortunatus totius sacri Imperii ministrum facit Archidiaconum. Et jure Decretalium in omnibus vicarius generalis Episcopi est Archidiaconus (*d*).

Archipresbyter subjectus Archidiacono.

§. X. Quanta demum cumque fuerit Archidiaconi potestas, per plura sæcula in urbis Presbyteros, multo minus in Archipresbyterum non extendebatur. Tantæ enim potestatis vestigium non habent antiqua monumenta, præposterumque certe visum veteribus non Presbyterum Presbyteris & Archipresbytero præesse, & de iis judicare. Hieronymus certe, qui Diaconos superbientes in Presbyteros lacessivit, multo magis excanduisset, si vidisset Archidiaconos, qui Archipresbyteris anteirent, præsiderent, dominarentur. Profert quidem Gratianus ex Isidori epistola ad Ludifredum (*e*), & Raymundus ex Concilio Toletano (*f*) fragmentum asserens Archipresbyterum Archidiacono subjectum: *Archypresbyter vero se esse sub Archidiacono ejusque præceptis, sicut Episcopi sui sciat obedire*. Unde moti Salmasius & Suicerus in Ecclesia Romana, Cujacius vero in omnibus Ecclesiis Archipresbyterum Archidiacono subjecerunt. Verum fragmentum hoc ab epistola Isidori, unde refertur acceptum, abest, nec in ullo ex-

(*a*) Lib. I. Epist. 29.
(*b*) Bingh. lib. 2. orig. Eccles. cap. 21. § 9.
(*c*) Epist. ad Ludifred. Episc., Can. I. D. 25.
(*d*) Cap. I. ex. de off. Archid.
(*e*) Can. I. D. 25.
(*f*) Cap. I. ex. de off. Archid.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

exstat Concilíorum Toletanorum, ut proinde jure meritoque supposititiam habeantur. Id tamen verum est, tempore addito in ipso Presbyteros & Archipresbyteros, rebus tantum spiritualibus, doctrinæ, orationi & administrationi sacramentorum intentos, extensam fuisse Archidiaconi potestatem, id quod initio sæculi XII. jam obtinebat, & deinceps auctoritate Gratiani, & publicatis Decretalibus tanquam jure communi statutum habitum est.

Quo ordine initiatus esse debet Archidiaconus.

§. XI. Jam in Archidiaconum desumpti veri persistebant Diaconi, admissoque presbyteratu quamvis gradu & ordinatione crescebant, quæsita tamen cadebant potestate (*a*). Et hinc injuriam sibi fieri putabant Archidiaconi, si Presbyteri unquam ordinarentur. *Qui primus*, inquit Hieronymus (*b*), *qui primus fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos, & a Pontificis latere non recedit, injuriam putat, si Presbyter ordinetur.* Sed temporis lapsu officio Archidiaconatus, retento presbyteratu, cœperunt Archidiaconi donari, occurruntque sæculo nono *Archidiaconi Presbyteri* apud Hincmarum Rhemensem. Præposterum forsam visum non Presbyterum Presbyteris præesse. Et ab hoc demum tempore cura animarum Archidiaconis addi potuit. Verum quamvis cœpissent Archidiaconi presbyteratu initiari, sæculi XI. & deinceps occurrunt, Archidiacconi, ne diaconatu quidem initiati. Separatis ab ordinibus beneficiis ordines erant despicatui, officia tantum appetebantur. Unde ejus ætatis Canones jubent, ut Diaconus in Archidiaconum summatur, nisi archidiaconatui cura insit animarum, quo casu Presbyter etiam esse debet, aut saltem præfixo a Canonibus tempore Presbyter ordinari. (*c*).

Archidiaconi jurisdictio facta ordinaria.

§. XII. Jam tota quanta quanta erat Archidiaconi jurisdictio, non jure officii, sed Episcopi competebant delegatione, & ita pro locorum varietate varia fuit. Sed temporis lapsu archidiaconalis jurisdictio abiit in ordinariam, crevitque archidiaconatus in dignitatem post episcopalem maximam, cui jure proprio inest jurisdictio. Assiduis delegationibus & Episcoporum oscitantia quæ delegata erat, Archidiaconi potestas crevit in ordinariam jamque circa sæculi XII. medietatem Archidiaconi sub annuo censu constituebant officiales, quibus propriam demandabant jurisdictionem: quin in amplis diœcesibus plures Archidiaconi fuerunt instituti, dictusque *magnus Archidiaconus*, qui in civitate episcopali morabatur. Ita factum, ut a sententiis Archidiaconi, aut ejus officialium non ad metropolitam, sed ad Episcopum appellaretur (*d*). Id tamen verum est, Archidiaconorum po-

(*a*) Sidon. Apollin. lib. 4 cap. 25.
(*b*) Comment. in Ezechiel. cap. 48.
(*c*) Cap. XVII. ex. de elect.
(*d*) Cap. III. de appellat. in 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

potestatem, quod moribus advenerat, non æqualem in Ecclesiis omnibus fuisse. Sed tandem sæculo XIII. insolentia & avaritia Archidiaconorum permoti Episcopi, paulatim jurisdictionem revocarunt suam, novosque ad eam explicandam constituere cœperunt officiales, quos pro arbitrio revocarent. Ita paulatim decrevit Archidiaconorum ordinaria jurisdictio, quamvis in multis Ecclesiis adhuc integra perseveret (*a*). Jure Concilii Tridentini in causis ecclesiasticis relicta est Archidiaconis jurisdictio exceptis causis *matrimonialibus & criminalibus* (*b*) quo Decreto & beneficiales & majores omnes causas exceptas intelligi tradunt canonistæ (*c*).

Diaconissæ *earumque officia.*

§. XIII. Præter Diaconos in Ecclesia fuerunt etiam *Diaconissæ*, piæ nempe vetulæ solemni ratione inter Clericos cooptatæ, ut ea explicarent officia, quæ mares dedecebant. Ipsi Apostoli Diaconissas instituerunt (*d*). Quod plerumque ex viduis Ecclesiæ eligebantur, Ignatius martyr aliique eas *viduas*, earumque officium appellant *viduatum*. Adsumebantur autem ad viduatum unius viri viduæ, sexaginta anno natæ, quæ liberos enixæ fuerant, & educaberant: quas qualitates ab ipso Apostolo præscriptas Tertullianus (*e*) recenset: quamvis hisce regulis Ecclesia non semper adhæserit (*f*). Ordinabantur Diaconissæ per manuum impositionem (*g*), quæ tamen pia tantum erat cæremonia quæ eas officiis addicebat suis, non vera ordinatio, quæ potestatem dabat aliquod officium sacerdotale peragendi. Prorsus enim ab ingenio christianæ religionis abhorret feminarum sacerdotium, tantumque ethnica praxis erat, ab aliquibus etiam hæreticis adoptata, ordinare Sacerdotes feminas (*h*). Adsistebant autem Diaconissæ baptismo feminarum per immersionem dari solito, eaque sacro oleo ante baptismum ungebant, baptizatas vero suscipiebant & abstergebant: feminas cathecumenas privatim instituebant, qualiter tempore baptismi interrogatæ responderent, & qualiter acepto baptismo viverent, feminas ægrotantes, ut & Martyres & Confesores in custodia detentos visitabant, iisque omnibus serviebant: portas Ecclesiæ, per quas alicubi feminæ tantum ingrediebantur, servabant; in Ecclesia feminis locum adsignabant proprium; & reliquis viduis præsidebant. Quæ omnia Diaconissarum officia veterum adductis testimoniis Binghamus recenset

&

(*a*) Espen. part. I. tit. 12. cap. 1.
(*b*) Trident. sess. XXIV. de ref. cap. 20.
(*c*) Barbosa collect. n. 6.
(*d*) Rom. XVI. 1.
(*e*) De veland. virg. cap. 9
(*f*) Bingh. lib. 2. orig. eccles cap. 22. §. 2. seqq.
(*g*) Conc Chalced Can. XV., constit. apost. lib. 8. cap. 19., Conc. Trull. Can. XV.
(*h*) Constitut. apost. lib. 3. cap. 9.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

& illustrat (*a*). Sed jam inde a multis sæculis in utraque Ecclesia Diaconissæ esse desierunt. Sæculo XI. tantum in Ecclesia Constantinopolitana erant superstites (*b*), causamque abolitionis, saltem in occidente, ipsarum incontinentia præbuit.

CAPUT XIII.

De Hypodiaconis, Clericis inferioribus & attonsis.

Institutio & numerus minorum ordinum.

§. I. Primis Ecclesiæ sæculis præter Diaconos nulli alii fuerunt Clerici inferiores. Scripta enim apostolica & reliqua duorum sæculorum monumenta Episcopos, Presbyteros & Diaconos tantum memorant. Ministeria, quæ inde Clericis minoribus demandata sunt, Diaconi, vel christiani omnes peragebant. Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc latitans Ecclesia paucis indiguit ecclesiasticarum functionum ministris. Sed inde crescente fidelium numero, auctoque cæremoniarum apparatu, nec sufficientibus Diaconis ad omnia ministeria, diversa onera & officia diversis personis tributa sunt, natique initio tertii sæculi in amplis & populosis Ecclesiis, & inde in omnibus, ex diaconatu ordines minores, sane Tertullianus, Cyprianus & Cornelius Papa primi de iis tanquam receptis loquuntur, quamvis non omnes eundem numerum recenseant; antiquiorque Ignatii Martyris epistola ad Antiochenos, quæ minores recenset gradus, nullius incertæque fidei est. Instituti autem fuerunt non positivo & generali totius Ecclesiæ decreto, sed prout necessitas singularum postulavit, & Episcopi hoc aut illud officium proprios Clericos habere judicarunt. Unde varius pro varietate Ecclesiarum fuit ordinum minorum numerus, & subinde in una Ecclesia unum officium proprius habuit Clericos, quod tamen in aliis tanquam cumulus aliis Clericis accessit. Ita Ecclesia Romana inde usque ab initio sæculi tertii quinque habuit inferiores gradus, *hypodiaconos*, *acolytos*, *exorcistas*, *lectores* & *ostiarios* (*c*); sed Canones apostolici vulgo dicti tres tantum ordines adgnoscunt, *hipodiaconos*, *lectores*, *cantores* (*d*); auctor vero constitutionum apostolicarum (*e*) tribus hisce addit *janitores*, & epistola ad Antiochenos sub nomine Ignatii sex recenset, *hypodiaconos*, *lectores*, *cantores*, *ostiarios*, *laborantes* & *exorcistas*. Quin quamvis Ecclesiæ orientales olim plures habuerint gradus infe-

(*a*) Bingh. loc. cit.
(*b*) Balsamon resp. ad interrog. Marci cap. 35.
(*c*) Cornel. Papa epist. ad Fab. apud Euseb. lib 6. cap. 43.
(*d*) Can. apost. LXIX.
(*e*) Lib. III. cap. 11.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

feriores, temporis tamen lapsu tantum *Hypodiaconos* & *lectores* retinuere. Quæ quum ita sint, ea tantum ratione ad Ecclesiæ initium referri possunt ordines minores, aut apostolicæ dici institutionis, quatenus diaconatu includebantur, quod B. Thomas (*a*), Thomassinus aliique recte observant.

Hypodiaconi *eorumque officia.*

§. II. Jam *Hypodiaconi* Clerici minores fuerunt, ita dicti, quod extra sanctuarium proxime ministrarent Diaconis. Sane sacrati tantum Clerici proxime ministrarunt altari, inferiores vero in reliquis Ecclesiæ partibus sua explicabant officia. Certe Concilium Laodicenum (*b*) ὑπηρέταις, hoc est *Hypodiaconis* locum in *Diacono*, sue *sacrario* habere, ibidemque sacra vasa contingere interdicit. Ergo Hypodiaconi sacra altari vasa & reliqua utensilia aptabant, & disponebant, eaque divini cultus tempore Diaconis tradebant. Verum inde Hypodiaconis permissum ingredi sanctuarium, & calicem & patenam ad altare Christi deferre, & Levitis tradere, & pro lavandis ante altare manibus Episcopo, Presbytero & Levitis aquam præbere (*c*). Tempore oblationis januas custodierunt, quibus ingrediebantur mulieres, ut Diaconi custodiebant portas, quibus ingrediebantur viri, vetabantque ne quis intraret, aut exiret, etsi fidelis (*d*): oblationes a fidelibus factas suscipiebant, & Diaconis superponendas altaribus deferebant (*e*), fueruntque Episcopis a secretis, consiliis, missionibus. Nunc Hypodiaconi in altari ministrant Diaconis in Missa solemni, ubi etiam canunt epistolam.

Hypodiaconi ad *majorem ordinem elevati.*

§. III. In utraque Ecclesia olim hypodiaconatus inter inferiores gradus censebatur, sed inde in Ecclesia latina crevit inter majores. Opinantur interpretes Decretalium id factum, quo primum tempore Hypodiaconis lex continentiæ dicta fuit: autem fuit in occidente Hypodiaconis generaliter a Gregorio M. sexto sæculo continentia; & tamen ad usque nonum sæculum Hypodiaconi inter minores Clericos fuerunt. Cœpit ergo a nono sæculo in nonnullis Ecclesiis hypodiaconatus inter majores ordines referri, sed sub finem sæculi XI. Decreto Urbani II., quod exstat apud Innocentium III. (*f*) generaliter ordo sacer factus est. Continentia apud latinos Hypodiaconis imperata, permissio iis etiam facta vasa sacra ad altare deferendi, facultasque per Urbanum II. indulta, ut saltem concedente metropolita, vel Pontifice in Episcopos eligerentur

(*a*) Supplem. part. III. q. 37. art. 2.
(*b*) Can. XXI.
(*c*) Can. I. D. 25.
(*d*) Const. apostol. lib. 7. cap. 9.
(*e*) Can. I. D. 25.
(*f*) Cap. IX. ex. de ætate & qualitate ordinand.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tur (*a*), ad majorem gradum tandem hypodiaconatum fecerunt attolli. Sed adhuc ex antiqua disciplina aliquid superest, nam etiam hodie sine manuum impositione Hypodiaconi ordinantur.

Acolythi *eorumque officia.*

§. IV. Hypodiaconis latini scriptores subjungunt *acolithos*, suo *acoluthos*. Est autem *acoluthus*, Hesychio interprete, *servus juvenis*, sive *pedissequus*, qui aliquem continuo comitatur, eique ministrat. Unde non innanis est Duareni (*b*) conjectura, scribentis, acolythos in Ecclesia fuisse institutos, ut Episcopos quocumque vaderent, comitarentur, eisque ministrarent. Ita acolithi proprie Episcoporum ministri videntur fuisse, & ætate Cypriani una cum Hypodiaconis ab Episcopis ad Episcopos ecclesiasticas deferebant literas (*c*), quibus Ecclesiæ gravissimis de rebus inter se consultabant: cui muneri necessaria erat fides arcani, eo præsertim tempore, quo undique gentiles insidiabantur, mysteria nostra profanaturi. Sed inde acolythis in Ecclesia datum, ut luminaria accenderent, unde *ceroferarii* etiam dicti sunt (*d*), & vinum in eucharistiam ministris suggererent (*e*). In Ecclesia Romana initio sæculi quinti *fermentum* a Pontifice Presbyteris per titulos urbis die dominico ministrantibus missum deferebant: quod Innocentii Pontificis constat auctoritate (*f*).

Exorcistæ *eorumque officia.*

§. V. *Exorcistæ*, latine adjutores, malos dæmones impositis manibus & adhibitis adjurationibus ab obsessis expellebant: quod proprio vocabulo dicebatur *exorcisare*. Primis tribus sæculis exorcisandi potestas christianis omnibus communis fuit, quod ex Justino Martyre, Minucio Felice, Origene, Tertulliano aliisque constat. Sed inde quam Deus usitatam denegare cœpisset expellendorum dæmonum potestatem, institutus fuit peculiares ordo *exorcistarum*, quorum munus fuit adhibitis exorcismis malos dæmones adjurare, & curare energumenos. Medio sæculo tertio jam receptus erat in Ecclesia Romana ordo exorcistarum, sed alibi serius esse cœpit. Sed tandem potestate expellendorum dæmonum ad majores Clericos devoluta, sine officio remanserunt exorcistæ.

Lectores *eorumque officia.*

§. VI. *Lectores* in Ecclesia ex sacris libris legunt. Inde usque ab initio obtinuit quidem in Ecclesia solemnis lectio scripturarum, non ta-

(*a*) Can IV. D. 60.
(*b*) De minist. & benef. lib 1. cap. 14.
(*c*) Cyprian. lib. 2. epist. 8. & 10.
(*d*) Can I. D. 21
(*e*) Conc. Carthag. IV. Can. VI
(*f*) Innocentius I. epist. ad Decentium.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tamen proprii fuerunt Clerici, qui id minus explicarent, sed Presbyteri & Diaconi lectorum officio fungebantur. Tandem sub initium tertii sæculi peculiaris ordo lectorum institutus, quamvis etiam post inductos lectores in multis Ecclesiis Presbyteri & Diaconi legendi Evangelii munus tanquam proprium retinuerint. Quarto sæculo adeo honorificum fuit lectoris munus, ut viri Principes ex Constantini familia Julianus, postea apostata, ejusque frater Gallus inter Ecclesiæ lectores cooptati sint (*a*). Sacri codices apud lectores erant, & hinc urgentibus persecutoribus, ut sibi eos Episcopi traderent, sæpe ab Episcopis responsum: *Scripturas lectores habent* (*b*). Legebant autem lectores de pulpito, seu tribunali, loco nempe elevato in Ecclesiæ navi constituto. Unde *super pulpitum imponi*, & *ad pulpitum venire* notæ sunt Cypriani formulæ, quibus lectorum denotatur constitutio. Antequam vero lectioni initium fieret, Ecclesiæ præco solemni formula *attendamus* silentium indicebat (*c*).

Ostiarii *eorumque officia.*

§. VII. *Ostiarii*, qui *janitores* & *æditui* etiam dicti sunt, januas Ecclesiarum custodiebant. Forte inde usque ab initio christianæ religionis fuerunt, qui portas Ecclesiæ custodirent, ut ab insidiis gentilium Christianos sacra celebrantes tutos præstarent, & ut eos Ecclesia ejicerent, quibus jus non erat sacris mysteriis superesse, eoque officio forsan Diaconi functi sunt, donec peculiaris ordo ostiarorum institutus fuit, cui tanquam proprium officium portarum custodia cessit. Ergo ab ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraque custodiat; fideles recipiat, excommunicatos & infideles ejiciat (*d*).

Cantores, copiatæ, parabolani *alicubi distincti ordines.*

§. VIII. Atque hi fuerunt minores ordines, quos inde usque ab antiquissimis temporibus Ecclesia Romana frequentat. Ceteræ Ecclesiæ, & præsertim orientales, eo ipso, quo non omnes Romæ receptos habuerunt, alios minores instituerunt ordines, qui in occidente vel mera ecclesiastica, vel christiana officia censebantur. Scilicet ex diaconatu minores ordines Ecclesia decerpsit, & hinc nihil mirum videri debet, si pro varietate Ecclesiarum varii diversique fuerint. Libertate enim gaudebant Ecclesiæ, quæ pertinent ad disciplinam, æquius melius ordinandi. Et sane antiqui scriptores tanquam distinctos ordines recensent *psalmistas* (*e*), *copiatas* (*f*) &

(*a*) Sozomen. lib. 5. cap. 2.
(*b*) Baron. ad an. CCCIII. n. 7. 12. & 13.
(*c*) Chrisost. hom. XIX. in acta, August. de civit. Dei lib. 22. cap. 8.
(*d*) Can. I. D. 25.
(*e*) Auctor sub nomine Ignatii epist. ad Antioch., Can. apost. LXIX.
(*f*) Epiph. exposit. fidei n. 21., cit. epist. ad Antioch.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

& *parabolanos* (*a*), ut hinc minus vera censeri debeat sententia, quæ fert, ministeria his hominibus designata non proprios Clericos habuisse, sed tanquam cumulum aliis Clericis fuisse demandata, ut recte Binghamus (*b*) observat. *Psalmistæ*, Latinis *cantores*, erant, qui in cantu, ut psalmodia modulatior esset, cæteris præibant. In psalmodia olim universa Ecclesia partem habuit; factoque tandem quarto sæculo populo in cantu nonnihil negligente, ad eam moderandam cantores instituit. *Copiatæ*, Latinis *laborantes*, a κόπος & κοπᾶσθαι, quod significat laborare, defunctorum corpora gestabant, & tumulis inferebant. *Parabolani* demum curabant infirmos, dictique ita sunt, ut recte Duarenus & Gothofredus interpretantur, quia παράβολον ἔργον, *rem periculi plenam* tractabant, ministrando videlicet ægrotis, speciatim contagioso morbo laborantibus. Christianorum charitas in sepeliendis mortuis & curandis infirmis refrigerata copiatas & parabolanos induxit. Forte copiatæ & parabolani non solemni ordinatione, sed tantum mera officii delegatione inter Clericos censebantur. Quicunque vero fuerit inferiorum ordinum numerus, semper tamen verum est plura fuisse officia, quam ordines. Etenim in magna liturgiæ solemnitate & in functionum externarum exercitio pluribus opus erat administris. Unde varia instituta sunt officia, quæ tanquam cumulus propriis Presbyterorum, Diaconorum & inferiorum Clericorum ministeriis accesserunt. Quæ vero fuerint officia isthæc propriis locis aperiemus.

Ingens olim ministrorum numerus.

§. IX. Id tantum modo observandum, per plura sæcula longe majorem fuisse ministrorum, quam Presbyterorum numerum. Sæculo tertio erant in Ecclesia Romana quadraginta quatuor Presbyteri, septem Diaconi & centum & amplius ministri inferiores (*c*). Et ætate Justiniani in magna Ecclesia Constantinopolitana & tribus ei adnexis Ecclesiis erant sexaginta Presbyteri, centum Diaconi & viginti quinque supra ter centum Clerici minores præter Diaconissas (*d*). Scilicet magno cæremoniarum apparatu olim sacra mysteria explicabantur, & plerumque exteriores functiones non Presbyteris, sed ministris Episcopi committebant. Unde ingenti ministrorum copia opus erat, quum e contrario interior animarum cura in Sacramentorum administratione & prædicatione consistens, non ita multos poterat occupare Presbyteros (*e*). Sed inde bonis ecclesiasticis, unde tot ministri vivebant, dissipatis, imminuto sacrarum cæremoniarum apparatu, & supra modum auctis missis privatis, demi-

(*a*) L. XLII. cod Th. de episc.
(*b*) Lib. III. orig. eccles. cap. 7. seqq.
(*c*) Epist. Cornel. papæ ad Fab. ap. Euseb. lib. 6. cap. 43.
(*d*) Novell. III. cap. 1.
(*e*) Fleuryus part. I. instit. jur. eccles. cap. 6. n. 5.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

minutus est numerus ministrorum, auctus vero Presbyterorum ad privatas missas recitandas, nam interior animarum cura etiam hodie non multos Presbyteros solet exercere.

Officia Diaconorum & minorum ordinum lapsa.

§. X. Jam Diaconorum, non minus quam minorum Clericorum dignitas in Ecclesia diu præclare stetit. Etenim quilibet diaconatu, aut minore aliquo ordine initiatus propria obibat officia, ac proinde unus uni, non simul uni plures minores ordines conferebantur. Tantundem erat plures uni minores gradus dare, ac diversa officia simul confundere. Sic vero in suis officiis ministrantes Clerici, paulatim ad functiones sacras & majores gradus proficiebant, unusque ex minoribus ordinibus idoneam probationem sufficiebat ad majores, nec necesse erat, ut omnibus in antecessum donarentur, quotquot majori ordine attollebantur, pluresque vel in diaconatu, vel in inferiore gradu, quem semel susceperant, & unde alimenta accipiebant, totam transegerunt vitam. Verum ab hac disciplina jampridem descivimus, omnes inferiores gradus necessario decurrendi, utpote qui ad majorum integritatem pertinere putantur, nemo amplius in diaconatu, vel in gradu inferiore ad vitam perseverat, nec amplius a propriis Clericis, sed vel a Laicis, vel indiscriminatim a Clericis minorum ordinum functiones exercentur. Beneficiorum institutio, quæ fere solis sublimioribus officiis proprios redditus addixit, sine parte vero reliquit officia inferiora, falsæ Decretales, quæ docere videntur, minores ordines veluti ad majorum validitatem pertinere (*a*), multiplicatæ privatæ missæ, mutatusque maximam partem solemnis cæremoniarum apparatus diaconatus & minorum ordinum munia & dignitatem perdiderunt. Et quamvis lapsam etiam in hac causa disciplinam Synodus Tridentina restituere adlaboravit, jubens, in omnibus Ecclesiis populo opibusque adfluentibus minorum ordinum functiones instaurari, fructuum parte, etiam fabricæ, in eam rem impensa (*b*); non tamen pristini mores adhuc fuerunt restituit, quin, stante modo recepta disciplina, non videntur per omnia posse restitui.

Institutio Clericorum solius tonsuræ.

§. XI. Enarratis ordinibus minoribus, superest, ut de solius tonsuræ Clericis agamus. Solius tonsuræ Clerici, nullo proprio officio demandato, fiunt per solemnem habitus clericalis susceptionem & capillorum detonsionem. Primis octo sæculis solius tonsuræ Clerici ignoti. Etenim quamvis a sexto fere sæculo vestibus propriis & detonso superius capite a laicis Clerici distingui cœpissent (*c*); non

(*a*) Can. I. D. 77.
(*b*) Trid. ses. XXIII. de ref. cap. 17.
(*c*) Thomassin. part. I. lib. 2. cap. 46.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

non tamen adhuc in usu erat solemnis habitus clericalis susceptio, quæ ab omni ordine sejuncta, clericatu initiaret. Simul cum lectoratu, aut alio minore ordine vestis dabatur clericalis, & capilli attondebantur. Impuberes primum ecclesiasticis officiis instituendi a parentibus Ecclesiæ oblati, impares ordinum functionibus, auctore Morino (*a*), cum veste clericali tonsuram sine ordine acceperunt, qua habitus clericali susceptione non verus dabatur clericatus, sed potius ejus indicabatur desiderium. Et hinc passim etiam laici tonsuram contulerunt. Longo post tempore etiam ætate grandiores tonsuram clericalem, veluti quedam ordinem ab aliis separatum, acceperunt, eaque sola clericatu cœperunt initiari. Non obscure Synodus Meldensis an. IↃCCCXLV. (*b*) & octava generalis an. IↃCCCLXX. (*c*) solius tonsuræ Clericos memorant, qui deinceps in utraque Ecclesia passim recepti sunt.

Tonsura veluti verus ordo reputata.

§. XII. Inducta semel disciplina, ut per habitus clericalis & tonsuræ susceptionem clericatus fieret initium, una opera receptum, ut prima tonsura inter solemnes preces a solis Episcopis daretur. Ita veluti quidam ordo cœpit tonsura reputari, quæ homines a sæcularibus separaret, & inter Clericos referret. Unde tonsurati Clerici privilegiis cœperunt uti clericalibus, & capaces facti sunt beneficiorum, quæ jampridem receptis moribus merum requirunt clericatum. Ergo mediis sæculis multiplicati solius tonsuræ Clerici, hominibus profanis privilegia clericalia & ecclesiastica inhiantibus beneficia, non ordines appetentibus, in summa præsertim Episcoporum facilitate pro ampliatione ecclesiastici fori ad attondendum. Cui malo tandem medicinam quæsiverunt Tridentini Patres, statuentes, neminem ab Episcopo prima tonsura initiari, nisi morali judicio constet, non lucri causa, sed propter Deum hoc vitæ genus elegisse (*d*). Quamvis autem tonsuratorum nullæ propriæ sunt in Ecclesia partes, tamen secundum receptam disciplinam functionibus minorum Clericorum passim defunguntur.

Primicerius *ejusque officium.*

§. XIII. Jam Clerici omnes inferiores unum componebant collegium, cui præerat *primicerius*. Generatim qui Princeps erat inter plures ejusdem officii sive sacri, sive civilis, *primicerius* dicebatur, idque quia nomen ejus primus in *cera*, seu catalogo inscribebatur. Hinc *primicerii palatii*, *aulæ*, *sacri cubiculi*, *sacrarum largitionum*, *silentiario-*

(*a*) Part. III. de sacris ordinationib. exercit. 15. cap. 3.
(*b*) Can. LVIII.
(*c*) Can. V.
(*d*) Ses. XXIII. de ref. cap. 4.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

riorum in antiquis passim occurrunt monumentis (*a*). Erat ergo in clero *primicerius* seu *primiclerus*, quemadmodum Ecclesia Hispaniensis appellabat, qui sub se habebat Clericos omnes inferiores, eorumque regebat officia, excessusque vice Episcopi castigabat (*b*). Demanda-ta quidem Archidiacono primitus fuit cleri inferioris præfectura; ve-rum quum lapsu temporis Archidiaconi admodum crevisset potestas, ei vicarius substitutus fuit, qui clerum regeret inferiorem, ut recte observat Thomassinus (*c*). Ita eo ipso, quo primicerius cleri inferio-ris habebat præfecturam, suberat Archidiacono. Ex Clericis infe-rioribus unus in primicerium adsumebatur, solemnisque Ecclesiæ Ro-manæ mos videtur fuisse, ut *notariorum primicerius*, etiam omnium Cle-ricorum Princeps esset (*d*). Adsumebantur plerumque ex hypodiaco-nis, Clericis nempe dignioribus, notarii, erantque saltem sæculo sexto & deinceps in Ecclesia Romana magnæ auctoritatis, ut hinc nihil mirum, si notariorum, esset etiam omnium Clericorum primice-rius. Succesu temporis etiam Diaconis & reliquis gradibus ecclesiasti-cis præfuerunt primicerii (*e*), & absente Episcopo Archidiaconus, Archipresbyter & primicerius regebant Ecclesiam, quod ex quadam Martini Papæ constat epistola (*f*).

CAPUT XIX.

De Canonicis.

Communem Clericorum vitam B. Augustinus instituit.

§. I. Vox *Canonici*, qua apud antiquos veniebant Clerici omnes, eo quod in *Canonem*, hoc est catalogum Ecclesiæ, erant inscripti (*g*), me-diis sæculis coangustata est, eosque tantum Clericos adprehendit, qui in communi ad regulam vixerunt. Unde Clerici *canonicis* opponi cœ-perunt, & *Clerici canonici* passim occurrunt, ad eorum, qui in commu-ni non vivebant, differentiam. Pace Ecclesiæ data & monachatu per Occidentem recepto, primus Augustinus vitam communem instituit Clericorum. Etenim ubi primum ad episcopatum pervenit, Episcopi domum vertit in *Clericorum monasterium*, in quo ejurata omni proprieta-te simul cum ipso Clerici vixerunt (*h*), virtutes monachorum in cleri-catu tantum imitantes, in quo distabant a Clericis pridem ab Euse-bio

(*a*) Gothofr. ad l. XIX. C. Th. de palatin. sacrar. largit., Cangius in gloss. v. *primi-cerius*.
(*b*) Can. I. D. 25.
(*c*) Par. I. lib. 2. c. 103. n. 10.
(*d*) Thomas. loc. cit. n. 6.
(*e*) Cap. unic. ex de offic. primic.
(*f*) Epist. XV.
(*g*) Bingh. lib. 1. orig. eccles. cap. 2. §. 10.
(*h*) August. serm. XLIX. de divers., Possid. vit. August. cap. 11.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

bio Vercellensi in communem vitam adductis, qui integrum admiserant monachatum (*a*). Exemplo Augustini creverunt in Africa Clericorum monasteria, ubi coacti Clerici in virtutibus proficiebant, & ecclesiastica implebant officia, non tamen præter Evangelium & Canones aliam habebant regulam: unde proprie sic dicti *Canonici* non erant. Arbitraria fuit hujusmodi Clericorum vivendi ratio, & hinc extra Africam non adeo innotuit vita communis Clericorum.

Canonicorum origo & multiplicatio.

§. II. Verum tempore addito in Occidente communis Clericorum vita publica Ecclesiæ & Principum auctoritate promota & præscripta fuit, & ad regulam adstricta. Novæ hujus institutionis auctor Chrodogangus, Episcopus Metensis, qui tempore Pipini ad emendandos corruptos sui cleri mores, Clericos suos in unam coegit societatem, eisque a votis liberis regulam dedit a monasticis institutis fere depromptam, secundum quam vivere deberent (*b*). Nihil prius, neque melius eo tempore monachorum institutis habebatur; & ita regulis monasticis Clericos adigere, tantundem erat ac bonos mores instillare: quamvis Chrodogangi regula actiones plerumque in vita communi indifferentes spectet, paucis admodum delibatis de recta institutione Clericorum in regimine animarum, & vitæ sanctitate, quæ duo antiquos Patres habuere solicitos. Avide hoc novum Clericorum vivendi genus probarunt & admiserunt Episcopi, publicaque auctoritate Carolus M. & Ludovicus Pius jusserunt, promoveruntque (*c*). Quin monitu Ludovici Pii Synodus Aquisgranensis pro Clericorum communi vita æquius melius instituenda an. IↃCCCXVI. regulam condidit pleniorem, quam ab ipso Ludovico confirmatam omnibus Canonicis servandam proposuit. Clericis ergo oppletæ sunt Ecclesiæ cathedrales, parochiales, ipsa etiam monachorum claustra, quod lapsa monastica disciplina optimum aliquando visum fuit, malis monachis optimos Clericos substituere. Ipsæ quoque feminæ canonicam admiserunt vitam, novumque inde genus velatarum Virginum invaluit, ut quædam *monachæ*, quædam *canonicæ* essent (*d*).

Canonici a Monachis diversi.

§. III. Ita nati & brevi propagati proprie sic dicti *Canonici*, hoc est Clerici, qui in commune & ad regulam vivunt. Pro diversa ratione Ecclesiarum, in quibus erant, vel sub Episcopo, vel sub præposito, vel sub Abbate agebant. Quod vita canonica ad monasticam accedebat, eorum receptacula dicta *monasteria*, & distinctionis causa subinde *canonica monasteria*, quemadmodum Augustinus domum, in qua

(*a*) Ambros. epist. LXXXII., Thomass. part. 1. lib. 3. cap. 4.
(*b*) Paul. Diaconus in fragm. de Episc. Metens. ap. Duquesnium tom. 2. hist. Franc.
(*c*) Capitul. Aquisgr. de ann. DCCLXXXIX. cap. 72.
(*d*) Bohemer. lib. 3. I. E. tit. 1. §. 20.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

qua cum suis Clericis vivebat, *monasterium* dixit *Clericorum* (*a*). Omnium autem Canonicorum una erat conditio, una domus, ura mensa, communia vestimenta, juniores Clerici in rebus ecclesiasticis educabantur, omnes ad statas precationis horas conveniebant, serviebant Ecclesiæ, curamque in cathedralibus & parochialibus Ecclesiis exercebant animarum. Ubicunque vero essent tantum *observantia ordinis* canonicam profitebantur vitam, non solemni professione: quin nec omnem ejurabant proprietatem, quando eis ipsa regula aliquid proprii habere permittebat (*b*). Unde Canonici omnino diversi erant a Monachis, qui Laici fere erant, & *proposito consecrationis*, hoc est solemni profesione, qua tria vota nuncupabant, monachatum admittebant, passimque in ejus ætatis monumentis *monasticæ* & *canonicæ vivere* opponuntur.

Canonici deserunt vitam communem.

§. IV. Feliciter quidem in promovenda canonica vita cesserunt Episcoporum & Principum conatus; at non diu tamen hoc sanctum permansit institutum. Canonici enim bonis aucti, mandatorum Dei fere obliti sunt, & dum nemo esset, qui argueret, a sancto proposito cadentes, ad sæcularem redierunt vitam: quin alicubi propter malos mores vi a monasteriis expulsi sunt, eorumque locum monachi occuparunt (*c*). Ita non Eclesiæ auctoritate, sed desidia Episcoporum & Canonicorum cupiditatibus canonica vita defecit, quod jam diu Ivo Carnotensis observavit (*d*). Inclinante ad exitum sæculo X. jam alicubi monasteria Canonici reliquerant (*e*), quorum malum exemplum cæteri imitantes unius circiter sæculi, spatio pene in omnibus Ecclesiis cecidit Clericorum communis vita (*f*). In sæculum autem reversi Canonici omni vitiorum genere se ipsos polluerunt, evaseruntque ipsis sæcularibus deteriores (*g*). Et quidem in illa temporum calamitate quid boni sperari poterat a Clericis, qui *impietatis spiritu*, ut loquitur Trithemius, relicta vita communi, bonis aucti & otio diffluentes, continuis peccandi occasionibus erant obnoxii?

Canonica vita restituta & votis adstricta.

§. V. Interim tamen non defuere viri egregii, qui bono Ecclesiæ nati, lapsam canonicam vitam instaurandam susceperunt. Sæculo XI. tantum opus in Italia in primis adgressus est Petrus Damianus, paulo post in Gallia Ivo Carnotensis. Experientia jam constabat, ex nimia bonorum adfluentia inductos fuisse Canonicos, ut vitam communem abjicerent, & adquirendis reditibus & bonis ecclesiasticis inhiarent.

(*a*) August. serm. XLIX. de divers.
(*b*) Regul. Crodog cap. 31. Conc. Aquisgr. cap. 115.
(*c*) Bohemer. lib. 3. I. E. tit. 1. §. 27.
(*d*) Epist. LX.
(*e*) Trithem. in chron. ad an. DCCCCXXVII.
(*f*) Ivo Carnotens. cit. epist.
(*g*) Espen. part. 1. tit. 7. cap. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rent. Ergo ipsi malorum radici occursum, votumque paupertatis canonicis injectum. Hujus novi instituti Canonici sub regula Augustini inclaruerunt: quo nomine ad exemplum Augustiniani monasterii proprietatis abdicationem videntur indigitasse, ut ita a Canonicis peculiatis Aquisgranensibus distinguerentur; nam alioquin constat, Augustinum nullam specialem regulam Clericis imposuisse suis (*a*). Atque ex hoc tempore duplex canonicorum genus invaluit, *regularium* scilicet & *sæcularium*. *Regulares* ejurata omni proprietate sub præposito communem vivunt vitam, sensimque proprius ad Monachos accesserunt (*b*). *Sæculares* vero Clerici sunt, qui propriis perpetuisque præbendis donati, seorsim quidem vivunt, sed canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis, observant. Ita accepta vocabula non otiosam continent tautologiam, nec contradictionem in adjecto, quamvis negari non possit, iis collapsam canonicam disciplinam indicari.

Divisio mensæ canonicalis.

§. VI. Jam ad sæculum reversis Canonicis quæcumque ex vita communi dimanabant immutare necesse fuit, & si quæ ex pristinis institutis superfuerunt, novan induerunt naturam. Relicta ergo sunt claustra, communia dormitoria, quotidiani ad divinam legem & regulam addiscendam non amplius frequentati conventus, vestis non amplius communis. Ipsa quoque mensa canonicalis in varias partes tributa est. Et in Ecclesiis quidem cathedralibus primum mensa canonica inter Episcopum & capitulum tributa est, unde distinctio invaluit inter *Episcopi* & *capituli mensam*, & inde ipsa mensa capituli cathedralis, non secus ac reliquorum capitulorum, in tot portiones abiit, quod erant Canonici: ortaque inde sunt plura ecclesiastica beneficia, quæ jure perpetuo canonicis tributa, *præbendæ* nomen retinuerunt. Stante vita communi *præbendæ* nomine veniebant, quæ ad usum quotidianum Canonicis dabantur, esculenta & proculenta, vocabulo ex mundana militia in ecclesiasticam traducto: at inde abjecta communi vita pars de tunica perpetuum Canonicis adsignata præbendæ nomen retinuit, quasi quæ cibi & potus quotidiani vicem subierit.

Canonici unum corpus componunt.

§. VII. Quæcunque vero fuerit præbendarum divisio, non desierunt tamen Canonici sæculares unum componere corpus, non adeo tamen arctum ac in vita communi, quod res suas a reliquis Clericis eindem Ecclesiæ addictis separatas habet. Passim collegium Canonicorum *capituli* nomine venit. *Capitulum* stante vita communi proprie erat caput regulæ in congregationibus quotidie legi soli-

(*a*) Thomass. part. 1. lib. 3. cap. 11.
(*b*) Cap. V. ex. de stat. Monachor., Ant. Math. lib. 1. manud. ad jus canon. tit. 18.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

litum (*a*); at mutato Canonicorum statu corpus ipsum Canonicorum & eorum congregationes *capitula* dicta sunt. Sunt vero capitula alia cathedralia, alia vero Ecclesiarum collegiatarum. Et quo collegia Canonicorum Ecclesiæ cathedralis ab aliis distinguantur, sæpe dicta sunt *capitula in summo*, *Canonici in summo*, & eorum capita *præpositus in summo*, *decanus in summo* (*b*).

Præpositi *origine sua capita capitulorum.*

§. VIII. Stante Canonicorum communi vita totius capituli peculiaria capita *præpositi* fuerunt. In monasteriis Benedictinorum proximam post abbatem in monachos præpositus obtinuit potestatem, qui curam etiam habebat temporalium. Ad exemplum vitæ monasticæ instituta vita Canonicalis etiam præpositos habuit suos, qui in monasteriis cathedralibus post Episcopos aliis curis distractos, in collegiatis vero a se & internam Canonicorum curam habuerunt, & temporalia procurarunt. Ita amplissimam habebat præpositus potestatem, unde non alius, quam Presbyter, & qui prudentia & merito virtutum clarescebat (*c*), eo munere donabatur. Tractu autem temporis auctis bonis capitulorum in plerisque Ecclesiis præpositi administrationi temporalium, posthabita interna Canonicorun cura, se totos dederunt, unde pene eorum interior potestas cessavit. Ita factum, ut relicta communi vita bonisque inter Canonicos tributis, præpositi officium in aliquibus Ecclesiis extingueretur. Ubi vero adhuc præpositi supersunt, fere non sunt capita capitulorum, nec curam habent animarum, tantumque de tunica ferunt partem potiorem, omnique officio vacuam obtinent dignitatem (*d*).

Hodie fere decani *capita capitulorum.*

§. IX. Moribus jampridem receptis capitulorum capita in plerisque Ecclesiis *decani* sunt. In monasteriis sub abbate & præposito multi fuerunt *decani*, quorum singulis decem monachorum cura demandata erat. Et hinc exemplo monachorum in vita canonicali etiam decani instituti, decem Canonicorum curam sub præposito habuerunt. Quum vero præpositi administrationi temporalium fere tantum intenti, passim a monasteriis abessent; in plerisque Ecclesiis omnis interior Canonicorum cura ad decanos devoluta est. Atque hinc dissociata communi vita, & præpositi officio tantum non extincto, usu in capitulis unus decanus superstes fuit, qui in plerisque Ecclesiis totius capituli caput evasit. Ita decanus, sessionis processionisque honore præposito, reservato Canonicorum & cleri infe-

(*a*) Regulo Chrodogangi cap. 8. ap. Harduin. tom. IV. Concil.
(*b*) Bruschius de reform. monast. ap. Leibnit. tom. 2. script. Brunsvic.
(*c*) Can. III. D. 60
(*d*) Hieronym. Costa in hist. de org. & progres. redit. eccles. Gallice scripta.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

feriores curam habet spiritualem (*a*), & capitulum indicit, & cum eo deliberat, nec præpositus, nisi vocatus, ei interest amplius (*b*). Non secus ac præpositus, eligebatur decanus a capitulo (*c*), & ab Episcopo confirmabatur.

Dignitates capitulorum.

§. X. In capitulis Canonicorum alii merum obtinent canonicatum, alii vero dignitatem. Inter dignitates censentur Archidiaconi, præpositi, decani, Archipresbyteri, primicerii, cantores, & similes. Dignitas in genere est quædam amplitudo, quæ merita consequitur & potestatem: quo sensu antiqui Canones omnibus Clericis dignitatem tribuunt. At Canonicis ad sæculum reversis dignitatis nomine venire, cœpit beneficium, cui cum præeminentia adhæret etiam jurisdictio. Stante Canonicorum communi vita tum officia ipsa clericalia, quæ tanquam cumulus ordinatis Clericis accedebant, tum officia, quæ ipsa communis vita invexit, meræ videntur fuisse delegationes, quæ nullam propriam adjunctam habebant jurisdictionem, & subinde ab arbitrio Episcopi pendebant (*d*). Excussa inde communi vita, singulisque officiis statis propriisque reditibus constitutis, meræ illæ delegationes nedum in beneficia, sed in dignitates degenerarunt. Scilicet paulatim quæ jurisdictio ex Episcopi arbitrio delegabatur, Episcoporum negligentia & Canonicorum ambitione tanquam propria singulis coaluit officiis. Atque ita primum in capitulis dignitates emerserunt, inde vero in novis capitulis fundatione fuerunt institutæ. Variant autem in ordine & numero dignitatum Ecclesiarum instituta, quin subinde in una Ecclesia merus canonicatus, aut officium est, quod alibi dignitas reputatur. Etenim dignitates potius usu & fundatione, quam expressu totius Ecclesiæ decreto invaluerunt. Unde peculiares Ecclesiarum mores & fundationes sunt, quæ numerum & ordinem disponunt dignitatum (*e*). Moribus autem hodiernis revocata ad Episcopum fere omni sacra jurisdictione jacent in plerisque Ecclesiis dignitates, tantumque digniora loca in choro nomenque retinent dignitatis: & hinc merito *ventosæ* & *inanes* audiunt (*f*).

Capitula quædam habent jurisdictionem.

§. XI. Jam capitula Canonicorum non solum res proprias ab Episcopi mensa habent separatas, verum etiam in multis Ecclesiis jurisdictionem obtinent, quam per se, aut per decanum exercent. Est quidem hujusmodi jurisdictio in plerisque Ecclesiis tantum

(*a*) Cap. VII. ex. de elect.
(*b*) Bonif. VIII in diplom. de an. MCCCCI. ap. Ughellium tom. I. Italiæ sacræ.
(*c*) Cap. VIII. ex. de Cleric. non. resid.
(*d*) Espen. part. II. tit 18. cap 2.
(*e*) Pinsonius. de ben f. cap. 4. §. 20.
(*f*) Fagnan. ad cap. ad. hæc ex. de præbend.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tum censoria, qua Canonicos immorigeros aliosque Clericos capitulo subjectos pœnis emendant levioribus (*a*); at alibi omne sacrum adprehendit Imperium, quod capitula & in Canonicos & bonam diœcesis partem pro varietate Ecclesiarum exercebant (*b*). Imo constat, Canonicorum sententiis ipsum Episcopum adstrictum fuisse (*c*), & in Ecclesia Ultrajectensi (quod fidem omnem videtur superare) ipse Episcopus capitulo suberat, tantumque a capitali sententia ad metropolitam appellabat, ut in ejus Ecclesiæ statutis memoriæ proditum est (*d*). Nata vero est Canonicorum jurisdictio ex censura canonica, virgis aliquando etiam explicata, quam Episcopi ad regendos canonicos in commune viventes præpositis & decanis dederunt. Sine figura judicii stante vita communi immorigeros Canonicos præpositi, aut decani corrigebant; at inde rejecta communi vita capitula retinuere correctionem, quæ negligentibus Episcopis crevit & convaluit in ordinariam jurisdictionem, & Canonicorum potentia, quam auxerunt exemtiones, quandoque in ipsos insurrexit Episcopos. Ita moribus, & alicubi etiam expressis privilegiis, capitula sibi quæsiverunt jurisdictionem. Successu temporis attentioribus factis Episcopis ad jurisdictionem repetendam suam, decrevit multorum capitulorum potestas, eamque ubi superstes erat, licet aliquatenus imminutam, Tridentini Patres confirmarunt (*e*).

Officia Canonicorum.

§. XII. Venio nunc ad Canonicorum officia. Sciens prudens quidem passa est Ecclesia, ut Canonici sæculares in sæculo viverent; at non simul sustinuit de interna canonicali disciplina aliquid mutari. Interna scilicet canonicalis disciplina ex statu dimanat clericali, consistitque in explicandis muniis ecclesiasticis, & ad vitam ducendam dignam christiano Sacerdote. Ita quilibet Canonicus ordinis præbendæ suæ addicti tenetur defungi ministerio, aliudve proprium explicare officium, cujus ratione peculiare nomen vel decani, vel cantoris inter Canonicos sortitur. Omnes vero Canonici stringuntur ad castitatem, sobrietatem, vitæ integritatem, sacrarum literarum studia, verbo, ad omne opus bonum. Hæc enim omnia potius ex vita clericali, quam canonica consequuntur. *Clerici*, inquit Dionysius Carthusianus, *vocantur Canonici, quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando, sinceriter gradari juxta præfixa eis a sanctis Patribus statuta* (*f*). *Ca-*

(*a*) Espen. part. I. tit. II. cap. 2.
(*b*) Cap. XIII. ex. de off ordin., cap. 6 de sent. excomm. in 6., histor. Episcop. Antissiodorens ap Philip. Labbeum in biblioth nova MSS. lib.
(*c*) Cap. XIII. § 1. ex de offic. ordin.
(*d*) Ap Anton Matth lib. 2. de nobil. cap. 39.
(*e*) Ses. XXV de ref. cap. 6.
(*f*) Tract. de vita Canon.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Canonici ad horas canonicas adstricti.

§. XIII. Porro Canonicis omnibus incumbit solemnis horarum canonicarum recitatio, adeo ut in choro ad psallendum instituto quotidie, vel alternis fere hebdomadis ad chori implenda officia adesse teneantur. Ad intimam christianismi naturam oratio spectat. Et hinc olim ad statas precationis horas & Clerici & Laici conveniebant, omnesque orabant & canebant (*a*); sed multo magis ratione vocationis suæ ad hoc officium Clerici adigebantur. Vita communi inde per Clericos admissa, aucta est Canonicorum obligatio ad solemnes statasque precationis horas persolvendas, quum exinde etiam ex præcepto regulæ solemni psalmodiæ adstricti sunt. Pars enim magna regulæ canonicalis circa statas precationis horas versatur. Excussa ergo per Canonicos communi vita, simul excuti non posuit solemnis psalmodia, quæ potius ex natura christianismi & clericatus, quam ex vita communi derivatur, præsertim quando Canonici ad sæculum reversi ex præbendis ecclesiasticis vivunt. Unde etiam post abjectam communem vitam Concilia nil tantopere Canonicis inculcarunt, quam ut *in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudent*, quemadmodum Patres Tridentini loquuntur (*b*).

Distributiones quotidianæ *præsentibus accrescunt.*

§. XIV. Jam vita communi Clericorum in singularem versa, propriisque reditibus singulis Canonicis tributis, jure verendum erat, ne Canonici simul statam abjicerent psalmodiam. Hinc temporalium etiam illecebra sacrificium laudis sustinendum voluit Ecclesia, instituitque propterea *distributiones quotidianas*, hoc est certas specierum vel pecuniæ præbitiones, quas statis horis addictas præsentes tantum Canonici lucrarentur. Primus Ivo Carnotensis quotidianas induxit distributiones; easque deinceps passim admiserunt Ecclesiæ, Canones inculcarunt, & novissime probavit, intermissasque restitui Tridentina Synodus jussit, eam in rem tertiam canonicatuum partem impendi præcipiens (*c*). Pane autem instituto quotidiano psalmodiam promotum ivit Ecclesia, *ut ad quas* horas Canonicos *panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret*, ut loquitur Ivo Carnotensis. Unde distributionum quotidianarum hoc est ingenium, ut præsentibus in choro tantum accrescant, & pro ea parte qua præsentes sunt. Piæ matris exemplo distributiones quotidianas admittens Ecclesia filiorum suorum se aptavit infirmitati, eosque, qua demum cunque ratione poterat, impellens ad officium, prorsusque ab ejus mente alienum fuit, ut propter panem quotidia-

(*a*) Thomassin. part. I. lib. 2. cap. 73. ser
(*b*) Ses. XXIV. de ref. cap. 12.
(*c*) Trid. ses. XXIV. de ref. cap 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

dianum Canonici psalmodiam celebrarent. Bene enim noverat Ecclesia voluntarie offerri debere laudis sacrificium, & superstitiosum esse cultum propter temporalia Deo exhibitum. Quamvis, quæ est hominum malitia, Canonici plerumque ad lucrandas distributiones horas frequentent, alias non frequentaturi.

Canonici tenentur ad residentiam.

§. XV. Jam Canonici, quo per se incumbentibus sibi officiis defungantur, in Ecclesiis suis debent immorari: quam Canonicorum residentiam post abjectam communem vitam per Canones statutam, Tridentini Patres confirmarunt, decernentes, ut nulli Canonico liceat ultra tres menses quolibet anno propriam derelinquere Ecclesiam (*a*). Quo decreto non arbitrio Canonicorum relinquerunt, ut tribus anni mensibus pro lubitu absint, sed tantum voluerunt, ut ex honestis causis absque superioris venia pro eo tempore abesse possint, Deo tantum absentiæ suæ rationem reddituri (*b*). Veri speciem nullam habet, voluisse Synodum genio Canonicorum indulgere: nimisque profecto carnales sunt, qui putant, eam concessisse Canonicis tribus anni mensibus sine honesta causa abesse. Interim sunt quædam Canonibus probatæ causæ, quæ Canonicos ultra tres menses a residentia absolvunt, veluti si absint propter servitium Episcopi ea curaturi, quæ spectant ad Ecclesiam (*c*), modo non sint ultra duos (*d*), & deinde si cum Episcopi expressa licentia absint sacris Canonibus & theologiæ in aliquo probato gymnasio operam daturi (*e*). Ex justis causis absentes lucrantur fructus præbendarum, quos *fructus grossos* appellant canonistæ, non vero quotidianas distributiones, quæ in choro tantum præsentibus accrescunt: quamvis qui ex justa causa absunt a choro, & distributiones ex consuetudine percipiunt, ad restitutionem non tenentur, quod Bonifacius VIII. non obscure subindicat (*f*).

Principes alicubi sunt canonici honoris.

§. XVI. Personalis autem functionum sacrarum persolutio veros tantum Canonicos, non *honorarios* obligat. Sunt canonici honoris, qui sine officio Canonicis proprio inter Canonicos censentur, utut singularis honoris causa iis præbenda canonicalis adsignetur. Ita Imperatores occidentis & Romæ & Aquisgrani, & Reges Galliæ in permultis insignioribus Ecclesiis inter Canonicos relati sunt (*g*). Similiter Rex noster in insigni regiaque basilica B. Nicolai Bariensis

(*a*) Ses. XXIV. de ref. cap. 12.
(*b*) Espen. part. I. tit. 7. cap. 9. n. 5.
(*c*) Cap. VII. ex. de cleric. non resid.
(*d*) Cap. XV. ex. eod.
(*e*) Cap. fin. ex. de magist., cap. 12. ex. de cleric. non resid.
(*f*) Cap. un. de cleric. non resid. in 6.
(*g*) Boehmer. lib. 3. I. E. tit. 1. §. 88. seqq.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

sis inter Canonicos obtinet thesaurarii dignitatem, exstatque in choro sedes Regis e regione sedis prioris extructa, præsentesque Barii Reges nostri cum canonicalibus insigniis choro interfuerunt, & distributiones acceperunt quotidianas. Quam dignitatem regiæ Apuliæ coronæ, latifundiis & ministris ea basilica aucta, de more gentis suæ Carolus II. Andegavensis attexuit (*a*). Pia Regum devotio, qua officiis Canonicorum consueverunt interesse, aut de iisdem absentes voluerunt participare, Canonicos induxit honorarios. Certe Carolus M. in choro una cum reliquis Canonicis offerebat sacrificium labiorum (*b*). Et Henricus sanctus captus dulcedine precum Canonicorum Argentinæ, inter eos censeri voluit (*c*). Non obligantur Canonici Principes ad officia aliqua Canonicorum, tantumque jurant protectionem & conservationem jurium Ecclesiæ, ubi Canonici censentur, superstitesque honorarias præbendas vicariis conferunt suis.

Qualitates ad obtinendos canonicatus.

§. XVII. Jam in cooptandis Canonicis multæ requiruntur qualitates. In primis (I) qui recipiuntur eo ordine debent esse donati, aut saltem anni spatio initiari, quem officium singulis præbendis adnexum exigit (*d*), quin etiam solius tonsuræ Clerici Canonici esse possunt, modo iis incumbens officium non supponat certum ordinem. Sed in inferioribus ordinibus constituti Canonici, quousque saltem hypodiaconatu initientur, jure suffragii in capitulo non utuntur, quod ad impellendos Canonicos ad sacros ordines recipiendos Clemens V. constituit (*e*), & inde Tridentini Patres (*f*) confirmarunt. Certa quoque ætas (II) necessaria est in Canonicis, eaque generatim talis est, quæ officio & ordini præbendæ adnexo parem faciat. Itaque in meris canonicatibus nullo certo ordine donatis XIV. ætatis anni sufficiunt (*g*): in dignitatibus vero, quibus annexa est cura animarum, anni XXV. incepti, in aliis tali cura vacantibus anni XXII. impleti requiruntur (*h*). Scientia (III) quoque theologiæ & sacrorum Canonum præditi sint oportet in Ecclesiis cathedralibus & insignioribus collegiatis dignitates omnes, & pro dimidia saltem parte Canonici (*i*). Cooperatores enim Canonici, saltem cathedrales, Episcopo sunt in regimine animarum, & Ecclesiæ efformant senatum. Theologia vero, qua initiati esse debent Canonici, est scientia de Deo rebusque divinis ex lumine ratio-

(*a*) Beatil. historia di Bari.
(*b*) Eginbardus ap. Duchesnium tom. 2.
(*c*) Mutius lib. 14 chron. Germaa.
(*d*) Trid. ses. XXI. de ref. cap. 4.
(*e*) Clement. II. de ætat. & qual. præfic.
(*f*) Loc. cit.
(*g*) Espen. part. II. tit. 19 cap. I. n. 13.
(*h*) Cap. VII. ex. de elect., Trid. ses. XXIV. de ref. cap. 12.
(*i*) Trid. cit. cap. 12.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tionis, & scripturis sanctis & traditionibus hausta; Canones vero regulæ morum & disciplinæ a sanctis Patribus spiritu Dei conditæ, non tricæ forensis. In quibusdam porro capitulis (IV) necessaria est in Canonicis generis nobilitas: quod, modo pietas & eruditio adsit, juvat potius, quam aggravat Ecclesias (*a*). Hoc institutum in Germania & hanc rationem habet, quod ex Canonicis eliguntur Episcopi & Archiepiscopi, Principes & Imperii Electores, in quibus decus natalium primum occupat locum.

Solemnitates in capitulis servandæ.

§. XVIII. Negotia ad Canonicos pertinentia in *capitulo*, hoc est in unum coactis Canonicis sunt expedienda. Sunt autem capitula vel *legitima*, vel *indicta*; quorum illa statis certisque diebus habentur, hæc vero pro re nata indicuntur. Pro negotiis capitularibus decanus, aut quicunque alius est capituli caput, indicit capitulum consueto campanæ signo (*b*), modo absentes vocandi non sint, quos vel literis, vel nuncio oportet advocare (*c*). Suffragium autem in capitulis de jure tantum habent veri Canonici, modo sacris ordinibus sint initiati (*d*). Unde Episcopi in capitulis per decanum, aliudve capituli caput, indictis tum demum suffragium ferent, si Canonici simul sint (*e*). Quicunque vero jus suffragii habent, in actibus saltem majoris momenti, etiam absentes in eadem provincia vocari debent: adeo ut unus ex suffragatoribus sive præsens, sive absens non vocatus, capitularem actum impugnans, nullum reddat (*f*). Absentes autem ex legitima causa vices suas uni, aut pluribus Canonicis in solidum committere possunt, quorum primi occupantis potior erit conditio, & si omnes simul concurrant, unus tantum a capitulo electus, aut, capitulo non concordante, primus in scriptura nominatus suffragium feret (*g*). Omnibus autem suffragatoribus congregatis negotium expediendum proponitur, habitoque de more tractatu, feruntur suffragia, quibus omnibus simul collatis ex *majori & saniori parte capituli* concluditur (*h*): in quo distant a capitulis aliæ societates, ubi major numerus tabellarum exprimit totius corporis consensum. Sed receptis moribus pars tantum major attenditur, nisi speciali lege, vel fundatione aliud caveatur.

Capitulum cathedrale est Ecclesiæ senatus.

§. XIX. Inter collegia Canonicorum eminent potissimum capitulum

(*a*) Molanus lib. 2. de Canonic. cap. 29.
(*b*) Cap. XXX ex. de elect.
(*c*) Passerin. de elect. Canon. cap. II. n. 49.
(*d*) Clement. II de ætat & qualit. & ordin. præfic.
(*e*) Cap. XXXI. ex de elect.
(*f*) Cap. XXXVIII. ex. de elect.
(*g*) Cap. XLII. ex. de elect. cap. 46. eod. in 6.
(*h*) Cap. I. & IV. ex. de his, quæ fiunt a majori parte capituli.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

lum Ecclesiæ cathedralis, quod in nova disciplina senatum constituit ecclesiasticum. Per plura sæcula Presbyteri & Diaconi urbis presbyterium, in quo, presidente Episcopo, negotia ecclesiastica tractabantur, efformarunt (*a*). At inde instituta Clericorum communi vita Canonici monasterii episcopalis strictus Episcopo, quocum in communem vitam coalescebant, adhæserunt: unde totius parœciæ corpus illustrius efformarunt, eosque in regenda Ecclesia Episcopi adhibuerunt in consilium (*b*). Semel quæsitam Presbyterii prærogativam abjecta inde communi vita Canonici cathedrales retinuerunt, in tanta præsertim bonorum copia & potentia, quibus supra cæteros urbis Clericos eminebant. Ita factum, ut unum corpus excluso reliquo clero, soli Canonici cathedrales una cum Episcopo formarent, cujus Episcopus caput esset, membra Canonici, novique hujus senatus consilio negotia ecclesiastica tractarentur. *Novit plenius tuæ discretionis prudentia*, sunt verba Alexandri III. ad Patriarcham Hierosolymitanum (*c*), *qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probentur. Unde non decet, te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti; quum id non sit dubium & honestati tuæ & SS. Patrum constitutionibus contraire.*

Dissociata unitas inter Episcopum & capitulum.

§. XX. Sancta isthæc inter Episcopum & Canonicos cathedrales unitas Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est, efformabat. Verum inde membra a capite dissociata sunt, & senatus ecclesiastici integra fere concidit auctoritas. A capite membrorum separationem promovit mensa canonicalis ab Episcopi mensa sejuncta, auxerunt divitiæ & insolentia Canonicorum, perfecerunt vero confirmaruntque exemptiones capitulorum ab episcopali potestate, quas inde usque a sæculo XIII. malo monachorum exemplo a sede apostolica permulta capitula, præsertim extra Italiam, impetrarunt. Ita capitula cathedralia propria corpora, in quibus Episcopi partem non haberent, cœperunt constituere. Inde Canonicorum in Episcopos crevit contumacia, Ecclesiæ honor imminutus, magis magisque lapsa Canonicorum disciplina; factumque ut Episcopi non ut Episcopi, sed ut meri Canonici aliquibus capitulis interessent (*d*). Quin virgæ episcopali subinde canonicatum adnecti necesse fuit, ut Episcopi superesse capitulis possent (*e*): quod non bene convenit cum sacerdotii plenitudine, quam continet episcopatus.

Pres-

(*a*) V. super cap. 16. § 4.
(*b*) Tomass. part. I. lib. 3. cap. 9. n. 12.
(*c*) Cap. IV. ex. de his, quæ fiunt. a prælato sine consensu capit.
(*d*) Cap. XV. ex. de concess. præb.
(*e*) Thomass. part. I. lib. 3. cap. 10. n. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Presbyterii auctoritas imminuta.

§. XXI. Porro dissociata capitulum inter Episcopum confœderatione, quod erat consequens, integra fere Presbyteri concidit auctoritas. Sæculo XII. cœperunt judicia ecclesiastica ad formam civilium agitari, adsumptique sunt ab Episcopis novi officiales, qui episcopalem explicarent jurisdictionem. Unde capituli potestas admodum imminuta, deinceps semper decrevit impetratis a plerisque capitulis exemptionibus. Omnino tamen antiqua disciplina non potuit abrogari, solicitis præsertim canonicis *in summo* ad sua jura tuenda. Et hinc invaluit, ut pleraque negotia a solo tantum pendeant Episcopo, alia vero aut consensum, aut consilium capituli requirant. Quæ consilium requirunt capituli, eo posthabito nulla non censentur, idque quod consilium non importat necessitatem (*a*): quæ vero de adsensu capituli fieri debent, eo posthabito nulla sunt. Vix autem est, ut pro omnibus Ecclesiis certa regula statui possit, quæ definiat negotia omnia, quæ recentioribus moribus aut consensum, aut consilium capituli requirunt. Passim vero requirunt capituli consensum in omnibus causis, in quibus vertitur capituli interesse (*b*), in alienandis rebus non parvi pretii ad Ecclesiam pertinentibus (*c*), & in uniendis Ecclesiis & beneficiis (*d*).

Decreta Tridentina de capitulis cathedralibus.

§. XXII. Quæcumque vero fuerit membrorum a capite dissociatio, nunquam tamen capitulum cathedrale Ecclesiæ senatum esse dessit. Unde Tridentini Patres optarunt certe pristinam presbyterii instaurare auctoritatem; at adeo constabilitis exemptionibus si rem omnino non perfecere, ex parte tamen mutuam inter Episcopum & capitulum renovarunt confœderationem. Salvis ergo capitulorum exemptionibus, & si qua iis competeret, jurisdictione, statuerunt loci sedisque semper deberi Episcopo prærogativam, eumque ad res ecclesiasticas tractandas pro arbitrio indicere capitulum posse, modo suæ utilitatis res non sit, quam tractandam proponit, præcipuamque in omnibus rebus Episcopi esse auctoritatem (*e*). Ut vero capitulum cathedrale primigeniam senatus ecclesiastici formam omnino referret, voluerunt, ut Episcopi de consilio capituli singulis canonicatibus Ecclesiarum cathedralium aliquem sacrum ordinem adnecterent, modo tamen saltem dimidia pars Canonicorum Presbyteri sint, cæteri Diaconi & hypodiaconi, nisi plures aut om-

(*a*) Cap. VII. ex. de arbitr.
(*b*) Cap. fin. ex de his, quæ fiunt. a præl. sine cons. capit.
(*c*) Cap. I. VIII. & IX. ex. eod.
(*d*) Clement. ult. de reb. eccles. non alien., V. Piasecium in praxi Episcopor. part. II cap. 2.
(*e*) Trid. ses. XXV. de ref. cap 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

omnes Presbyteros laudabilior invexerit consuetudo (*a*). Non semel quoque mandarunt Episcopis, ut ad instituendum de novo Canonicum cui lectio scripturæ mandetur, ad officia chori regenda, ad seminarii reditus ordinandos consilio capituli uterentur. Potestatem porro iidem Tridentini Patres Episcopis fecerunt visitandi & corrigendi capitula exempta Canonicosque omnes, quoties opus fuerit, *etiam auctoritate apostolica* (*b*); extra visitationem vero pœnas sumendi de Canonicis criminosis cum consilio & adsensu duorum Canonicorum, quos ad id capitulum anni cujusque exordio designavit, nisi agatur de magnis criminibus, ubi de fuga timetur, in quibus ad summariam informationem & necessariam detentionem initio solus Episcopus procedet, deinceps duorum Canonicorum consilium adhibiturus (*c*).

Auctoritas capituli sede vacante.

§. XXIII. Jam vero capituli cathedralis potestas Ecclesia vacante etiam moribus hodiernis summa est. Vacat Ecclesia, vel quum omnino Episcopo destituitur, quod contingit Episcopo mortuo, translato, deposito, eodemque episcopatui renunciante, vel quum habet quidem Episcopum, sed impeditum, aut omnino ineptum ad Ecclesiæ gubernationem. Ita vacare dicebatur Ecclesia Carthaginensis, quo tempore Cyprianus persecutionem evitaturus aufugerat. Antiquissima est Ecclesiæ disciplina, quæ fert, ut vacantes Ecclesiæ per presbyterium administrentur. Naturale omnino erat, ut qui vivente Episcopo ad regimen Ecclesiæ concurrebant, sede vacante in eodem regimine perseverarent. Certe ob persecutionem Decianam absente Cypriano Clerus Carthaginensis regimen Ecclesiæ suscepit: eademque persecutione extincto Fabiano, Clerici Romani Ecclesiam interim administrarunt, eoque nomine se *præpositos* dixerunt (*d*). Sed inde institutis in occidente *interventoribus*, qui Episcopi erant ad Ecclesias vacantes a metropolitano missi, ut maturam novi Episcopi electionem promoverent, easque interim regerent (*e*), potestas presbyterii sede vacante oblanguit, nec, nisi abolitis interventoribus, & ad solos Canonicos cathedrales Episcopi electione devoluta, restituta est.

Jure proprio capitulum vacantem regit Ecclesiam.

§. XXIV. Senatus autem ecclesiasticus in regimine Ecclesiæ vacantis non alienas vices sustinet, quo non recte multi adfirmant, sed jus proprium exercet. Ex Canonum enim dispositione, non alieno mandato vacante sede capitulum habet jurisdictionem, & antiqua potius potestas presbyterii reviviscit, quam aliqua de novo ac-

(*a*) Trid. ses. XXV. de ref. cap. 12.
(*b*) Ses. VI. de ref. cap. 4
(*c*) Ses. XXV. de ref. cap. 6.
(*d*) Epist. III. al. VIII. ad Cler. Carthag. inter Cyprian.
(*e*) Can. XIX. D. 6., Can. XVI. D. 71.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

accedit: quod ipse vidit Cardinalis de Luca (*a*), qui scribit non ex privilegio, vel delegatione Ecclesiæ vacantis ad capitulum devolvi administrationem, sed *ex jure non decrescendi*, hoc est ex jure primigenio, quo simul cum Episcopo regebat Ecclesiam. Unde universa Episcopi ordinaria potestas in capitulum devolvitur, quatenus tamen devolvi potest, nec innovationem, aut diminutionem jurium episcopalium continet: qua generali regula continentur omnia, quæ vacante sede facere potest capitulum, minusque recte Fermosinus (*b*) capituli potestatem ad ea, quæ jurisdictionis contentiosæ & necessitatis sunt, restringit; nec minus recte alii contendunt, capitulum in ea succedere, quæ in jure expressa reperiuntur. Sane senatus ecclesiasticus non ex privilegio, vel delegatione, sed ratione juris non decrescendi sede vacante regit Ecclesiam, ut pro. inde consequens sit, universam, cujus capax est, explicare posse episcopalem potestatem, prout interregni patitur natura.

Quæ sede vacante capitulum non facit.

§. XVI. Itaque multa sunt, quæ dum vacat Ecclesia, capitulum non facit, vel quod non habet, vel quod Canones ejus limitant potestatem. Non facit (I) quæ sunt ordinis episcopalis (*c*), & quæ ex mera Pontificis delegatione Episcopo competunt, quamvis ad explicanda pontificalia recte exteros advocet Episcopos. Nihil (II) quoque sede vacante capitulum potest innovare, nec de juribus episcopalibus diminuere (*d*): quod ex interregni natura dimanat, in quo nihil innovant, nihil diminuunt, qui gubernant, sed tantum ea sibi sumunt, quæ sine damno non differuntur. Ita tempore sedis vacantis aliquid alienare, beneficia unire, aut distrahere capitulum prohibetur. Porro (III) contra antiquam praxim novo Tridentini jure (*e*) quo primo anno sedes vacat, capitulum arctatos tantum beneficio jam indepto, vel mox adepturo, post annum vero omnes ad ordines suscipiendos dimittit. Apud nos vero pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium olim Regem nostrum adhuc limitata est capituli potestas in dandis ad ordines dimissoriis, nam post annum vicarius capitularis de sacræ congregationis Concilii expressa venia tantum dimittit ad ordines, infra annum de adsensu pleni capituli secretis suffragiis expresso concedit tantum dimissorias ad tonsuram laicis beneficio mox recipiendo coactis, & Clericis ad beneficium actu certum ordinem requirens præsentatis, modo utrique ab Episcopo defuncto ab ordinibus rejecti non sint (*f*). Demum (IV) quousque durat sedis vacantia, non confert capitulum beneficia, quorum li-

(*a*) Discurs. XXXI. in Conc. Tr.
(*b*) De capit. sede vacante tract. 1.
(*c*) Cap. un. de sede vacante in 6.
(*d*) Trid. decretal. ne sede vacante aliquid innovetur.
(*e*) Sess. VII. de ref. cap. 10.
(*f*) Concord. cap. 4. n. 9.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

libera collatio ad solum pertinet Episcopum (*a*), idque potius ea ratione inductum videtur, quod collatio beneficiorum moram admittat, & beneficiarii summo Episcopi & Ecclesiæ judicio sint eligendi, quam quod beneficiorum collatio inter fructus reputetur, & ita jurium episcopalium inferret deminutionem, ut vulgo sentiunt canonistæ, quos jure meritoque castigat Espenius (*b*).

Vicarius capitularis & œconomus a capitulo eligendi.

§. XXVI. Jam Ecclesiæ vacantis administratio natura sua ad universum spectat capitulum, texitque olim Clerus Romanus, mortuo Pontifice Fabiano, in solidum Ecclesiam: quæ communis administratio & deinceps ut plurimum obtinuit. Verum quum experientia ipsa constet, quam segniter, ubi commune bonum paucos admodum tangit, administrent commissa negotia plures, vicaria alterius opera Ecclesiam vacantem capitulum regat oportet. Statuerunt namque Tridentini Patres, ut capitulum, ubi cura temporalium ad ipsum pertinet, unum aut duos decernat œconomos, qui interim mensam procurent episcopalem: & ad explicandam jurisdictionem intra octo dies vicarium seu officialem constituat, aut existentem confirmet, qui sit juris canonici peritus, vel *licentiatus*, vel alias quantum fieri potest idoneus, alias capitulo negligente metropolita, vel senior Coepiscopus, si Ecclesia vacans sit metropolitana, vel exempta, œconomum & vicarium constituet (*c*). Constituto autem vicario adhuc capitulum remanet supremus Ecclesiæ rector, tantumque exercitium jurisdictionis in vicarium devolvitur (*d*). Unde jure suo de suspecto vicario cognoscit, sibi aliqua reservat, & cum causa potest vicarium amovere, quamvis recentioribus sacræ congregationis Concilii decretis nec limitari vicarii potestas, nec revocari vicarius unquam possit. Constituturi autem vicarius & œconomus regiminis & procurationis suæ Episcopo poscenti rationem reddent, quamvis a capitulo absoluti & liberati sint. (*e*).

CAPUT XX.

De irregularitatibus.

Definitio irregularitatis.

§. I. Hactenus de singulis Clericis eorumque propriis officiis diseruimus; de iisdem modo tractationem instituere oportet generalem, quæ

(*a*) Cap. II. ex. ne sede vacante, & cap. un. eod. in 6.
(*b*) Part. II. tit. 21. cap. 1. num. 26. seq.
(*c*) Trident. sess. XXIV. de ref. cap. 16.
(*d*) Espen. part. 1. tit. 9. cap. 4.
(*e*) Trident. loc. cit.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

quæ omnibus communia complectatur. Exordiemur ab *irregularitate.* Qui in clerum cooptantur ex optimis christianorum seligendi, & sancti semel cooptati vivere debent. Unde inde usque ab initio christianismi regulæ constitui cœperunt, quæ qualitates & virtutes ordinandorum præscriberent, præciperentque quatenus ordinati esse deberent. Præscriptis qualitatibus destituti olim *a Canone alieni* dicebantur (*a*), inde vero nova & barbara voce *irregulares* audierunt, observantque viri eruditi inter Pontifices primum Innocentium III. *irregularitatis* vocem usurpasse (*b*). Itaque irregularitatis nomine veniunt canonica omnia impedimenta personalia, quæ vetant quominus quis ordinetur, vel in suscepto ordine ministret. Antiqua disciplina simplici & generali regula, quæ *irreprehensibiles* esse jubet Ecclesiæ ministros, irregularitatem omnem metita videtur, at lapsu temporis novis inductis irregularitatis causis, & veteri ministrorum sanctitate multum deminuta, tandem invaluit, in casibus tantum in jure expressis contrahi irregularitatem (*c*): quodque statuit Clemens III. (*d*) in dubio irregularitatem contractam præsumi, locum tantum habet in casu, quo constat eam jure decretam, sed dubitetur, an factum admissum ad speciem illam pertineat, ut recte Franciscus de Roye (*e*). Satis quidem ampla est hæc irregularitatis materia, sed nos hic ejus præcipuas causas aperiemus, respectu præsertim habito ad ordinandos.

Irregularitas ex crimine.

§. II. Jam qualitates, quarum defectus a Canone facit alienos, vel sunt animi, vel corporis, vel externæ in mundo conditionis. Ratione vitiorum animi habentur irregulares quotquot crimen aliquod admiserunt. Præcepit Apostolus, Episcopos & Diaconos irreprehensibiles esse & sine crimine, quod sane decet christianum sacerdotium. *Criminis* autem nomine non quævis peccata, sed tantum graviora tum ecclesiastica, tum civilia intellexit Ecclesia, qualia idololatria, apostasia, hæresis, simonia, baptismi iteratio, homicidium, nedum voluntarium, sed in sui etiam & patriæ defensionem admissum, adulterium, fornicatio, furtum, fraus, sacrilegium & similia. Et generatim ea omnia crimina, quæ publicæ subjiciebant pœnitentiæ, a Canone alienos videntur reddidisse (*f*); minusque perfecta Gregorii M. regula videtur, crimina omnia per legem Mosis morte vindicata a sacro arcere ministerio (*g*). Etenim fornicatio, perjurium & id genus alia in lege Mosis non sunt capitalia, & tamen faciunt irregulares. Quin aliena crimina, quorum turpitudo in alios redundabat, a clerica-

(*a*) Can. IX. Conc. Nicæn.
(*b*) Gonzal. ad cap. 4. ex. de Clericis excomm. ministr.
(*c*) Cap. XVIII. de sent. excomm. in 6.
(*d*) Cap. XII. ex. de homicid.
(*e*) Lib. III. instit. jur. can. tit. 16.
(*f*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 56.
(*g*) Greg. M. lib. 12. epist. 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

catu removebant, vel dejiciebant. Certe Neocæsarenses (*a*) Canones, Laicos & Clericos adulterii convictas uxores non abjicientes, & apostolici (*b*) viduæ, ejectæ meretricis, ancillæ & scenicæ maritos a Canone statuunt alienos. Sufficiebat crimen esse admissum : parumque referebat, num publicum an occultum esset. Criminosi cum vitæ sanctitate simul omnino amittebant jus ad clericatum, & perpetuum a receptis gradibus cadebant (*c*) : adeo ut nec acta de crimine pœnitentia idoneum ad ordines reddebat (*d*), nec amissum unquam restituebat sacerdotium (*e*). Delet quidem publica pœnitentia maculas omnes, at notam quandam simul relinquit, quæ pristinorum criminum refricat memoriam. Post inductas solemnes pœnitentium stationes, quæ ad humilem abjectamque conditionem redigebant, videtur pœnitentia ab altari removisse.

Clinici & *in hæresi baptizati irregulares.*

§. III. Itaque in Clerum cooptandi ab eo tempore, quo in Christo renati erant, sceleris puri omnino esse debebant. Ante baptismum admissa scelera, etiam in catechumenatu, aqua salutari prorsus tollebantur, nec ulla supererat macula, quæ ordinibus erat impedimento. Et hinc eos, qui ante baptismum sacrificaverant, Patres Ancyrani ad ordines admittunt (*f*). Verum si in ipso baptismo aliquid regulis Ecclesiæ contrarium admissum sit, ejusmodi crimen baptizatum ab ordine rejicit. Ita *clinici*, hoc est, qui in lecto salutari unda tingi flagitant, quum mors faucibus urget, a Canone sunt alieni, nisi in hominum raritate eorum sit virtus eximia (*g*). Clinicorum fides mos est ex instituto, sed ex necessitate, primorumque sæculorum non fuit, eos in clerum cooptare, qui Christi nomine audito ejus religionem statim admisissent (*h*). Porro qui apud hæreticos baptizati sunt ordinarie ad Clerum non admittuntur, quæ antiqua regula est ab Innocentio Papa I. confirmata (*i*). Quin moribus præsentibus a sacro ministerio etiam abiguntur, quorum pater avusque hæretici fuere, etsi ipsi catholicæ Ecclesiæ semper adhæserint.

Hodie fere soli publici criminosi irregulares.

§. IV. Per decem & amplius sæcula stetit disciplina, quæ criminosos, etiam occultos, rejicit a Canone. Sed inde paulatim fere criminibus publicis, non item occultis irregularitas adhæsit. Sæculis sep-

(*a*) Conc. Neocæs. Can. VIII.
(*b*) Can. XVIII
(*c*) Conc. Nicæn. Can. IX. Concil. Tolet. XIII. Can. X., Gregor. M. lib. 4. epist. 9., Thomas. loc. cit. cap. 57 seq.
(*d*) Conc. Carthag. IV. Can. LXIV., Siricius Papa epist. 1.
(*e*) Cap. I. IX. XXV. D. 50. Espen de iustit. Canon. part. 2. cap. 2.
(*f*) Con. Ancyr. Can. XII.
(*g*) Conc. Neocæsar. Can. XII.
(*h*) Clemens Roman. ep. 1. ad Corinth. num. 42.
(*i*) Innoc. I. epist. XXII.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

septimo & octavo magna erat Clericorum peccantium multitudo, ut disciplinæ rigor molliendus videretur. Ergo tres confinxit epistolas Pseudo Isidorus, quibus sub nomine Callixti I. ad Episcopos Galliarum, Gregorii M. ad Secundinum & Isidori Hispalensis ad Messanum (*a*), contra generalem Canonum sententiam inculcatur, lapsos post pœnitentiam ordinibus restituendos esse suis. In tanta Canonum & falsarum Decretalium varietate ad eorum concordiam primi Hincmarus Rhemensis & Rabbanus Maurus distinctione usi dixerunt, publicis, non occultis criminibus affigi irregularitatem, Canones ita ad sola publica crimina, Decretales ad occulta referentes. Nova doctrina tum recepta non fuit, cœperuntque tandem XI. sæculo Episcopi, optimis quibusque, in primis Petro Damiano (*b*), reclamantibus, occultos criminosos peracta clam pœnitentia suis ordinibus restituere. Vix tamen erat, ut illibatus staret rigor disciplinæ, adeo nempe multi erant Clerici infecti simonia, & luto hærentes incontinentiæ. Ergo Urbanus II. (*c*) & reliqui Pontifices per indulgentiam variisque adhibitis modificationibus concedere cœperunt, ut occulti criminosi ordinibus restituerentur suis. In dies cum occultis criminosis auctis dispensationibus, & præeunte Gratiano, qui ad discordes Canones de more conciliandos inter publica & occulta crimina ante excogitatam admisit distinctionem (*d*), nova tandem doctrina, quas ferme criminibus publicis tribuit irregularitatem, canonistarum auctoritate in Ecclesiæ latinæ quodammodo convaluit disciplinam (*e*). Non tamen per omnia antiqui mores obliterati, nam tum publicæ cujuscunque peccati pœnitentiæ, tum homicidio etiam occulto (*f*) alligata mansit irregularitas: tantumque hodie in sui defensionem occidentes a Canon. non censentur alieni, quod Clemens V. primus statuit (*g*).

Irregularitas ex defectu lenitatis.

§. V. Immites quoque, qui judicia capitalia unquam exercuerint, aut militiæ cingulum susceperint, sunt irregulares. Probat quidem & judicia capitalia & militiam Evangelium (*h*), quibus dum nocentibus non parcitur, innocentibus consulitur, impune alioquin trucidandis; at certo non patitur christianum Sacerdotium, ut agni immaculati caines milites & justitiæ criminum ultricis administri contrectent. Primorum christianorum ingenium adeo mitte & a fundendo sanguine alienum fuit, ut nefas ducerent vel ipsas cruentas exsecutiones inspectare. Abstinebant a spectaculis, in quibus in crudeli damnatorum ad bestias laniena oculos Romani pascebant, ne eorum feri-

(*a*) Can. XIV. XVI. XXVIII. D. 50.
(*b*) Gomorrhian cap. 3. seq.
(*c*) Epist. ad Episc. Constantiensem.
(*d*) Ad Can. XXIII. q. 5.
(*e*) Espen. part 2. tit. 10. cap 6.
(*f*) Trident. sess. XIV. de ref. cap. 7.
(*g*) Clement. un. de homicid.
(*h*) Grotius lib. 1. de I. B. ac P. cap. 2.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

ritati communicarent (*a*). Multo magis ergo humanitatis & mansuetudinis laudi nitere oportet christianos sacerdotes, quibus etiam ab his est abstinendum, quæ apud homines licita reputantur, ut ita summum Sacerdotem Christum referant, cujus summa humilitas & mansuetudo fuit. Puras a sanguine esse debere Sacerdotum manus & ipsi gentiles viderunt, scimusque ex Suetonio, Titum Imperatorem pontificatum maximum adsumpsisse, ut puras servaret manus, nec auctor deinceps, nec conscius alicujus mortis esset. Unde jampridem a Canone alienos fecit Ecclesia milites, judices criminales, carnifices, accusatores, testes, scribas in causa sanguinis, & generatim quotquot in cruentas exsecutiones influunt & concurrunt. Vetiti etiam sunt Clerici per se truncationes membrorum facere, aut inferendas judicare (*b*). Quin adeo mite est ingenium Ecclesiæ, ut non permittat, Clericos in loco, ubi judicium sanguinis exercetur, interesse (*c*). Nescio quid inhumanitatis contrahunt quotquot cruentas exsecutiones inspectant. Ut vero justitiæ in causis sanguinis administri sint irregulares, passim requirunt, ut reipsa sanguis effundatur, quod non videtur secundum Canones admittendum. Certe Patres Concilii Toletani I. (*d*) a diaconatu excludunt confectis stipendiis militem, *etiamsi graviora non admiserit*, hoc est licet reapse sanguinem non fudisset.

Hodie non omnes immites sunt irregulares.

§. IV. Verum recentibus moribus disciplina, quæ immites a Canone fecit alienos, in multis laxata est. Et primum quidem (I) Episcopi Clericique jurisdictionem obtinentes criminalem, judicibus suis causas sanguinis judicandas impune committunt, quod Bonifacius VIII. primus constituit (*e*) contra morem vetustatis, qui sic ferebat, ut Episcopi potius apud judices pro reis deprecatores accederent, quam eos ad justitiæ exsecutionem impellerent. Feuda mero mistoque Imperio donata, & per Ecclesiam adquisita disciplinæ induxerunt mutationem. Etenim vel regalia erant abjicienda, vel iis retentis, Clericis permittendæ causarum criminalium delegationes: satiusque visum Bonifacio nubem inferre disciplinæ, quam dominia abjicere temporalia (*f*). Irregulares quoque (II) non censentur Clerici, qui sibi illatas injurias persequentes, reos etiam criminum capitalium apud judices deferunt, modo expresse edicant, quod eos pœna sanguinis affici nolint, quod etiam Bonifacius VIII. constituit, ne alias Clerici passim cæderentur, & compilarentur (*g*). Nequitia pessi-

(*a*) Tertullian. de spectacul., Athenagor. in legat. pro Christ., Lactant. lib. 4. cap. 20.
(*b*) Conc. Tolet. XI. Can. 5., cap. 5. ex. ne Clerici vel Monachi.
(*c*) Cap. IX. ex. eod.
(*d*) Concil. Tolet. 1. Can. VIII.
(*e*) Cap. fin. ne Clerici vel Monachi in 6.
(*f*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 76. nnm. 4.
(*g*) Cap. 2. ex. de homic. in 6.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

simorum hominum tempore Bonifacii in Clericos eorumque bona valde creverat. Unde necessitas veluti postulavit, exasperari Ecclesiæ mansuetudinem, ita tamen ut Clerici in sanguinis pœnam, proposita protestatione, non viderentur assentiri. Sine metu quoque (III) irregularitatis Episcopi tradunt Clericos degradatos curiæ sæculari puniendos, efficaci tamen facta intercessione, ut citra mortis periculum sententia moderetur, quod ab antiqua dubia decidenda Innocentius III. decrevit (*a*). A jurisdictione criminali judicum laicorum Clericis olim non exemptis, evenire non poterat, ut sponte sua Episcopi Clericos magistratibus traderent puniendos. Quin confugientes ad Ecclesiam reos petentibus magistratibus fere non tradebant, nisi saltem de vita condonanda promissionem extorsissent. At inde inducta Clericorum fere in criminibus omnibus a potestate magistratuum exemptione, necessitas ipsa, ne delicta remanerent impunita, & ne quidquam de immunitate ecclesiastica decederet, Episcopos adegit, degradatos reos puniendos magistratibus objicere, creditumque fuit evitari irregularitatem efficaci interposita intercessione, ut ad sanguinem usque non procedatur. Porro (IV) in quibusdam Ecclesiis irregulares non censentur testes & scribæ in causa sanguinis, quia remote tantum ad mortem concurrunt (*b*): quin moribus hodiernis passim in locis, ubi exercetur sanguinis vindicta, intersunt Clerici, nec tamen quidquam metuum de irregularitate.

Irregularitas digamiæ.

§. VII. Nec tantum immites, verum etiam *digami*, hoc est plurium uxorum mariti, ab altaris arcentur ministerio. Præcepit Apostolus Episcopum & Diaconum unius uxoris esse virum (*c*) Forte hac regula Apostolus tantum polygamos & divortientes, quorum copia ea ætate magna erat, non etiam eos, qui post mortem primæ secundam duxerant uxorem, christiano prohibuit dedicari sacerdotio; quod multi veterum, in primis Chrysostomus (*d*) & Theodoretus (*e*) tenuerunt, & Apostoli verba ad tempus ordinationis relata cum libertate christianis ab Apostolis facta secundas nuptias contrahendi, non obscure subindicant. At inde studio continentiæ magis magisque aucto inter christianos, hactenus ut secundas nuptias ægre ferrent, Apostoli verba plenius fere omnis accepit Ecclesia, quasi etiam digamos succedaneos arcerent a sacerdotio. Quo jure testibus Origine (*f*) & Tertulliano (*g*) ipso secundo sæculo Ecclesia passim ute-

(*a*) Cap. XXVII. ex. de V. S.
(*b*) Natal. Alexandr. theol. dogm. & mor. de Sacram. ordin. cap. 4. art. 9.
(*c*) 1. ad Tim. III. 2. & 12.
(*d*) Hom. X. in 1. ad Timoth. III. 2.
(*e*) Theod. in 1. ad Timoth. III. 2., & epist. 110. ad Domnum.
(*f*) Hom. XVII. in Luc.
(*g*) De exhortat. castit. cap. 7.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

utebatur. Una vero fere primis quatuor sæculis fuit ratio, qua præeunte Apostolo, digamos a Canone alienos Patres judicabant, macula nempe incontinentiæ, quam præ se ferebant secundæ nuptiæ (*a*). Sed inde Græcis Patribus, quibus accessit Hieronymus, in incontinentiæ suspitione permanentibus, latini, in primis Augustinus (*b*), mysticam excogitarunt rationem, quod digami pluribus acceptis uxoribus Sacramentum unionis Christum inter & Ecclesiam non exprimerent. Unde Græci cum Hieronymo (*c*) a sacerdotio eos non excluserunt, qui duas quidem uxores, sed ambas ante, vel unam ante, alteram post baptismum duxerant, quod lavacro salutari maculæ abstergerentur omnes; contra latini dicebant irregulares, quod licet maculis omnibus essent purgati, tamen Christi & Ecclesiæ unionis Sacramentum non exprimerent. *In baptismo*, inquit Innocentius I. (*d*), *peccata remittuntur, non acceptarum uxorem numerus aboletur*, seu, ut loquitur Augustinus, *de Sacramento agitur, non de peccato, nam in baptismo peccata omnia dimittuntur*. Posthabitis solidissimis Hieronymi rationibus universa tandem latina Ecclesia veluti causam irregularitatis digamorum defectum Sacramenti ab Augustino inculcatum admisit, & inde universam digamorum doctrinam metita est. Ita Pontifices viduarum meritos, quos olim ratione incontinentiæ uxorum in maritos redundantis Canones a clero arcebant (*e*), tanquam digamos judicarunt irregulares, veluti qui perfectam unionem Christum inter & Ecclesiam non exprimerent (*f*): ut e contrario eos, qui ab aliis ductas mulieres, sed non cognitas sibi copularunt uxores, negarunt esse irregulares, quod non tam animorum consensus, quam commixtio carnis in plures divisa unionis abolet Sacramentum (*g*).

Digami ab interpretatione & similitudine.

§. VIII. Sed ubi nihil minus, quam digamia deprehenditur, eam interpretati sunt, aut propter similitudinem excogitarunt decretalistæ. Per interpretationem digamos dicunt, qui sacris ordinibus initiati aut secundas nuptias, aut cum vidua matrimonium attentant. Hos quidem irregulares Innocentius III. pronunciat (*h*), sed non ob defectum Sacramenti, qui, nullis existentibus nuptiis, nullus est, sed ob scelus attentatum, & quantum in ipsis fuit, etiam consummatum; at nostri hisce Pontificis permoti verbis, *cum hujusmodi Clericis, tanquam digamis, non licere dispensari*, digamos *interpretativos* dicere maluerunt. Similiter dicunt digamos *interpretativos*, qui cum uni-

(*a*) Thomass. part. II. lib. 1. cap. 58. num. 8.
(*b*) De bono conjug. cap. 18.
(*c*) Can. I. D. 26., Can. I. cap. 28. q. 3.
(*d*) Epist. ad Victric. Rothomag.
(*e*) Can. XVIII. Apost.
(*f*) Cap. I. & V. ex. de bigam. non ordinand.
(*g*) Cap. V. ex. eod.
(*h*) Cap. IV. & VI. eod.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

unica, sed ab alio corrupta, veluti meretrice, nuptias contrahunt. Excluseruut quidem meritos meretricum ab altaris ministerio olim Canones (*a*), sed ratione turpis anteactæ vitæ mulieris in maritum redundantis; at Decretalium interpretes, lapsa ecclesiastica disciplina, eam rationem non intelligentes, ad digamiam retulerunt, quod ex infamia consequebatur. Per similitudinem digamos dicunt, qui aut virgines dicunt Deo dicatas, aut qui ipsi voto castitatis adstricti virgines ducunt, ducta nempe a carnali ad spirituale matrimonium similitudine. Fraudi ad excogitandos digamos similitudine interpretibus forsan fuit male acceptus Canon XVIII. Ancyranus ex versione Isidori, ubi statuitur, ut qui a pollicita virginitate cadunt, *digamorum definitionem impleant*, hoc est pœnitentiam digamis decretam; at glossa aliorsum verba accepit, talesque ab ordinibus repelli scripsit tanquam digamos (*b*).

Illiterati irregulares.

§. IX. Porro arcentur a Canone *inscii literarum* (*c*). Qui enim fieri potest, ut in cathedra doctrinæ sedeant, & doceant, qui ipsi antea non didicerint? Scientia autem, quam habere debent ad clerum promovendi præcipue est sacrarum Scripturarum & Canonum, unde sacræ doctrinæ & ecclesiasticæ disciplinæ hauritur cognitio. Non tamen in omnibus Clericis eadem requiritur scientia, sed cuique gradui conveniens. Episcoporum & Presbyterorum omnium debet esse eminentissima, mediocris toleratur, modo ea inopia virtutum cumulo pensetur (*d*). Minoribus ordinibus initiandi latine scire debent, & ad primam tonsuram sufficit legendi & scribendi peritia. Semel vero recepto clericatu paullatim Clerici assuescant oportet studiis Scripturarum & Canonum, ut ita demum eorum pectus fiat Christi bibliotheca. Sed proh dolor! plerique Clerici etiam majores, posthabitis Scripturarum & Canonum studiis, volutantur in cæno casuistarum.

Et neophyti.

§. X. Demum animi vitio non tam præsenti, quam futuro sunt irregulares *neophyti*, hoc est nuper per baptismum in Christo geniti. Jubet certe Apostolus, Episcopum non esse neophytum; ne *in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli* (*e*). Pro humana conditione fit, ut de novo in aliquam societatem adsciti intumescant, si statim ad summas ejus evadant dignitates. Ita non generatim ab omnibus ordinibus excluduntur neophyti, sed tantum a majoribus (*f*): mi-

(*a*) Can. Apost. XVIII.
(*b*) Espen. part. II. tit. 10. cap. 2.
(*c*) Conc. Tolet. IV. Can. XIX.
(*d*) Cap. X. ex. de renunc.
(*e*) 1. ad Timoth. III. 5.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. II., Conc. Sard. Can. X.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

minores enim ordines statim ab illuminatione recte conferuntur (*a*). Quod si neophytorum aliquem gratia uberior illustret, ad ipsum etiam promovetur episcopatum, exemploque esse possunt Ambrosius & Nectarius. Inde a multis sæculis a cunis receptus baptismus neophytorum irregularitatem fecit rariorem. Jure neophytorum modo censentur laici, qui quamvis dudum baptizati, ab ipso tamen clericatu ad summas festinant in Ecclesia dignitates (*b*). Debet ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat (*c*): ignoratque momentaneus Sacerdos humilitatem, inciduntque in arrogantiam, qui in puncto horæ nedum discipuli, jam magistri sunt (*d*).

Irregulares ex vitio corporis.

§. XI. Vitia quoque corporis inducunt irregularitatem, sed quæ sacro ministerio obeundo impares faciunt, vel horrori sunt adspicientibus. Veteris testamenti lex fuit, quæ omnino corpore integros & sine macula jubebat esse Sacerdotes & Levitas (*e*). At Christi Ecclesia primis sæculis animi virtutes tantum contemplata etiam corporis damna perpessos sacerdotio dedicavit, modo tale non esset vitium, quod sacro ministerio erat impedimento, quod ex Canonibus & constitutionibus vulgo dictis apostolicis, Innocentio I. aliisque constat (*f*). Tantum a Canone erant alieni, qui sine necessitate sponte sua sibi aliquod membrum incidissent, quod suimet erant homicida (*g*), etiamsi prætextu pietatis, aut vitandæ fornicationis, quod Origenes & Leontius fecerunt, seipsos exsecuissent (*h*). Sæculo V. Concilium Romanum sub Hilario, & Gelasius Papa (*i*) ad mores Judaicos accesserunt, generaliter statuentes, corporum damna perpessos ab ordinibus arceri, & in susceptis non posse ministrare. Sed demum recentiorum Pontificum Decretalibus pristinæ regulæ videntur restitutæ, nam vitia corporis sine culpa patientis passa tum demum ex rescriptis Pontificum inducunt irregularitatem, quum ordinis impediunt functiones, vel offensioni & horrori ob deformitatem sunt adspicientibus (*k*). Vitio quoque corporis irregulares habentur dementes, energumeni & epipleptici (*l*). Verum si quis jam Clericus epilepsia cœperit laborare, non semper usu ordinis debet prohiberi, quod perspicue tradit Jueninus (*m*).

Le-

(*a*) Can. III. D. 77.
(*b*) Gregor. M. lib. 4. epist. 50.
(*c*) Cælest. Papa epist. 1.
(*d*) Hieronym. epist. ad ocean.
(*e*) Levit. cap. 21. 18. & seqq.
(*f*) Can. Apost. LXXVI. seq., Const. apost. lib. 7. cap. 23., Innocen. 1. epist. ad Felicem Nucerian.
(*g*) Can. Apost. XXI.
(*h*) Conc. Arelat. II. Can. VII.
(*i*) Can. III. & XIII. D. 55.
(*k*) Can. I. & fin. ex. de corp. vitiat., cap. 2. ex. de Cleric. ægrot.
(*l*) Conc. Tolet. XI. Can. XIII.
(*m*) Diss. de censur. quæst. 6. cap. 1.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Legitima ætas ordinandorum.

§. XII. Inter corporis vitia, quæ alienos faciunt a Canone censeri potest ætas immatura. Generatim in clerum cooptandi ea ætate esse debent, quæ par sit obeundis sacris ministeriis. Et olim quidem admodum matura fuit, inde in tanto ambitu dignitatum ecclesiasticarum paullatim decrevit. In oriente Synodus Neocæsareensis (*a*) Presbyteros trecesimo ætatis anno voluit ordinari, quia Christus ea ætate baptizatus est, & docere cœpit. Sed in occidente ex decretis Siricii Papæ Episcopi anno quadragesimoquinto, Presbyteri tricesimoquinto, Diaconi tricesimo ordinabantur, lectores vero adsumpti statim ab illuminatione, etiamsi essent impuberes (*b*). Ab his statutis vero Justinianus recessit, quia ad episcopatum & presbyteratum trigintaquinque, ad diaconatum vigintiquinque, ad hypodiaconatum & lectoratum octodecim præscripsit annos (*c*). Porro decretis Concilii Agathensis & Aurelianensis IV. ad episcopatum & presbyteratum triginta, at diaconatum vigintiquinque anni requisiti, stetitque inde semper immota ætas triginta annorum in Episcopis, sed temporis lapsu Presbyteri anno vicesimoquinto cœperunt ordinari, quæ disciplina sæculo XII. servabatur (*d*). Sæculo XIV. Synodus Viennensis receptum confirmavit morem de Hypodiaconis anno decimoctavo, de Diaconis vicesimo, Presbyteris vero vicesimoquinto ordinandis (*e*). Sed jure novissimo Concilii Tridentini in Hypodiaconis anni vigintiduo, in Diaconis viginitres, in Presbyteris vigintiquinque incœpti requiruntur (*f*): receptisque moribus pro prima tonsura & ordinibus minoribus sufficit septennium impletum. Lapsis enim minorun ordinum officiis, non mirum si etiam a teneris annis dari possint. Sed recte faciunt Episcopi si eos per intervalla inter primam tonsuram & hypodiaconatum distribuant. Ut quis ante impletam ætatem ordinari possit, opus habet dispensatione, qua non præmissa usque ad legitimam ætatem ab usu suscepti ordinis suspenditur (*g*). Apud nos tamen jure novissimo nemo prima tonsura initiatur, nisi post decimum ætatis annum in aliquo seminario aut alio convictu ecclesiastico per triennium commoretur, aut, ubi id fieri non potest, integro triennio in clericali habitu de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviat, extra quam si ratione beneficii ecclesiastici mox obtinendi adigatur, quo casu ante tredecim annorum ætatem potest attonderi. Sed beneficium saltem dimidium sacri patrimonii reditum debet ex-

(*a*) Conc. Neocæs. Can. XII.
(*b*) Can. III. D. 77.
(*c*) Novel. CXXIII. cap. 13.
(*d*) Can. VII. ex. de elect.
(*e*) Clement. III. de ætat. & qualit. ord.
(*f*) Ses. XXII. de ref. cap. 12.
(*g*) Cap. XIV. ex. de tempor. ordin.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

exæquare. (*Concord. cap. III. n. 2.*)

Servi irregulares.

§. XIII. Externa demum in mundo conditio & exercita munera multos a Canone faciunt alienos. Scilicet sunt quædam vitæ genera, quorum officia cum oficiis Clericorum non possunt sociari, ac proinde jure meritoque hujusmodi vivendi generibus implicati a sacris removentur. Et primum quidem inde usque a tempore Apostolorum servi inhabiles facti ad ordines (*a*), non quidem ob conditionis vilitatem, quum in Christo nullum servos inter & liberos discrimen intercedat, sed ob vinculum, quo perpetuum dominis adstringuntur, cujus ratione beatam alteram clericatus servitutem admittere non possunt. Nec Ecclesia potest servitutem abrumpere & jura dominorum intervertere. Unde consentientibus dominis servi, alias idonei, recte ad ordines admittuntur. Inconsultis omnino dominis servi ordinati, si intra annum repetantur a dominis, revocantur in servitutem, quod Justinianus statuit (*b*); at secundum Canones Gallicanos manent quidem in diaconatu vel presbyteratu, sed domino in damni reparationem vel ab Episcopo, qui sciens ordinavit, vel ab iis, qui testimonium inscienti Episcopo præbuerunt, duo alii servi dari debent (*c*).

Item curiales *& corporati.*

§. XIV. Propter speciem nobilioris servitutis ad ordines inhabiles erant *curiales*. Erat *curia* senatus civitatum inferiorum; *curiales* vero qui honoribus quidem curiæ fruebantur, sed una cum posteritate & substantia sua ejus oneribus & expensis perpetuum erant obnoxii, suæ cujusque reipublicæ quodammodo servi. Unde curialis conditio cum clericatu non poterat sociari, quod diversa & perpetua erant utriusque conditionis officia. Initio Imperii sui ab omnibus publicis muneribus Constantinus M. Clericos exemit (*d*); & hinc multi ex curialibus Clerici facti ad curiæ onera declinanda. Ergo ipse Constantinus constituit (*e*), curiales & facultatibus idoneis ad munera publica sustinenda instructos Clericos non ordinari, ordinatos vero curiæ restitui. Facultates idoneæ ad munera publica ad trecentos solidos adscendebant (*f*). In usum lex deducta, revocatique ad curiam etiam post triginta & innumeros annos ex curialibus in Presbyteros & Diaconos adsumpti, quod Ambrosius testatur (*g*). Huic calamitati Ecclesia occurrens etiam decre-

(*a*) Epist. ad Philemonem, Can. LXXXII.
(*b*) Novel. CXXIII. cap. 17.
(*c*) Conc. Aurelian. I. Can. X., Can. XIX. D. 54.
(*d*) Epist. ad Anulin. ap. Euseb. lib. 10. cap. 7.
(*e*) L. III. cod. Th. de episc.
(*f*) Novel. XXXVIII. Theodosii junioris ad calc. cod. Th.
(*g*) Epist. XXIX.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

crevit, decuriones non ordinari, tum quod a curiis repetantur, tum etiam quod sæpe post baptismum magistratus patriæ gerentes coronati de more Flaminum gentilium ludos & spectacula populo exhibuerint (*a*). Simili cum curialibus conditione erant quotquot alicui corpori, puta opificum, navicullariorum, erant adscripti; adstringebantur enim oneribus collegii, nec poterant admittere Clericatum (*b*). Una ratio tantum erat, qua curiales & corporati ad ordines evadebant idonei, si nempe curiæ vel corporis liberarentur servitute, id quod ex legibus ab Imperatoribus post Constantinum latis contingebat bonis vel eorum parte in curiam vel corpus translatis, vel vicarii substitutione. Sed tandem mutata reipublicæ administratione curiales & esse desierunt, legesque de iis antiquas Leo philosophus abrogavit (*c*). Unde majori, quam antea numero cœperunt divites christiano dedicari sacerdotio.

Et rationibus reddendis adstricti.

§. XV. Nec tantum qui ratione patrimonii sui muneribus publicis adstringebantur, sed etiam qui officia publica reddendis rationibus obnoxia exercent, facti sunt irregulares. Tales sunt tutores & actores pupillorum, quos ante redditas rationes ordinari Patres Carthaginenses vetuerunt (*d*), & Pontifices confirmarunt (*e*). Sane hujusmodi homines potius ad invertendas rationes, quam ad Dei servitium admittunt clericatum: quo spectarunt Patres Carthaginenses, qui *ne Ecclesia infamaretur*, tutorum & curatorum ante redditas rationes prohibuerunt ordinationes. Similiter omnes alii, qui publicis administrationibus vel Principum, vel reipublicæ sunt implicati ab omnibus arcentur, quod Mauritius Imperator cavit, Gregorius vero M. laudavit, confirmavitque, eo tamen temperamento ut post redditas rationes in clerum admittantur, sed tarde & circumspecte, quod sæculum potius mutare, quam relinquere videri possint (*f*).

Peregrinorum vetitæ ordinationes.

§. XVI. Sunt alii, qui etiam ratione externæ in mundo conditionis a Canone censentur alieni, quamvis munera clericatui adversa non exercuerint. Tales in primis sunt peregrini, qui a Canone ejus Ecclesiæ, ad quam non pertinebant, arcebantur: quæ regula cum ipsa Ecclesia veluti nata eo spectavit, ut eo melius vita ordinandorum innotesceret, quod docent Patres Illiberitani (*g*). Pas-

(*a*) Innoc I epist. 4., & 23.
(*b*) L. XI. cod. Th. de pistor., & lib. 8. cod. Th. de suariis.
(*c*) Novel. XLVIII.
(*d*) Conc. Carthag. I. Can. VIII.
(*e*) Cap. I. ex. de oblig. ad ratioc.
(*f*) Greg. M. lib 2. epist. 62., & lib. 7. epist. 2.
(*g*) Conc Iliber. Can. XXIV.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

Passim Romani Pontifices damnarunt peregrinorum ordinationes (*a*): extatque etiam lex quædam Honorii Imperatoris (*b*), qua vetatur, ne Clerici *ex aliena possessione vel vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur*. Et Carolus M. & Ludovicus Pius canonicas restituentes electiones, voluerunt, ut Episcopi *de propria diœcesi eligantur* (*c*). Quod si ex speciali Dei revelatione externus aliquis in Sacerdotem demonstraretur, aut summa essent merita peregrinorum, aut nullus ex gremio propriæ Ecclesiæ dignus esset sacerdotio, tum adsumebantur peregrini (*d*). Sed inde electionibus Episcoporum in Pontificem cum reservationibus beneficiorum translatis, fere peregrini non sine Ecclesiæ incommodo episcopatibus & beneficiis donati sunt, cui incommodo passim christiani Principis obviarunt, & apud nos Carolus VI. rescripsit, universis Ecclesiis regni tantum præfici regnicolas: quo decreto pactis conventis inter Carolum Borbonium olim Regem nostrum & Benedictum XIV. etiam confirmato (*e*) reipublicæ consultum, sed non restituta antiqua Ecclesiæ disciplina.

Illegitimi irregulares.

§. XVII. Porro ratione simplicis in mundo conditionis extra nuptias quæsiti a Canone sunt alieni. Et olim quidem illegitimos, modo alias digni essent, ab altari Ecclesia non rejecit: quod Patrum dictis Gratianus probat (*f*). Sed lapsu temporis Ecclesia latina eos fecit irregulares. Idque non tam culpa ipsorum illegitimorum, quam ad avertenda mala ex similibus ordinationibus pullulantia. Passim decimo & sequentibus sæculis Presbyteri filios ex concubinis, quas alebant, susceptos sacris admovebant altaribus, mortuisque parentibus filii in paterna succedebant beneficia; ipsique comites & sæculi duces ex suis ancillis procreatos bastardos vi in sacras intrudebant dignitates. Ut ergo parentum comprimeretur incontinentia, ab Ecclesia tollerentur successiones, nec amplius vi Ecclesiis obtruderentur Sacerdotes, Synodus Bituricensis an. CIↃXXXI. tantum filios Presbyterorum, & inde Synodus Pictaviensis (*g*) & Urbanus II. (*h*) generatim illegitimos omnes fecerunt irregulares, quamvis inde usque a sæculo IX. alicubi allegitimi ordinibus remoti essent (*i*). Et hinc forsan non bene Gratianus (*k*) tum demum filios Presbyterorum dixit irregulares, si parentum imitentur incon-

ti-

(*a*) Cælestin. epist. 2. ad Episc. Narbon., Leo M. epist. 84. ad Anast.
(*b*) Lib. XXXIII. cod. Th. de episc.
(*c*) Lib. I. capitul. cap. 18.
(*d*) Can. XIII. & Can. XVI. D. 61.
(*e*) Concord. cap. 8. art. 1.
(*f*) Dist. LVI.
(*g*) Cap. I. ex. de filiis presbyter.
(*h*) Can. I. D. 56.
(*i*) Can. XVII. cap. 1. q. 7.
(*k*) Ad Can. I. D. 56.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

tinentiam, nisi hoc addiderit, ut antiquos Canones de more in concordiam revocaret. Sed si illegitimi *aut monachi fiant, aut in conversione canonica regulariter* vivant pro sacris ordinibus, non vero prælaturis, cessat impedimentum (*a*).

Qua ratione desinunt irregularitates.

§. XVIII. Quocunque tandem modo nascantur irregularitates, fere tolli possunt vel ipso jure, vel dispensatione. Quæ ex temporario & extrinseco vitio sunt, quales ex defectu ætatis, scientiæ, libertatis, sublato vitio statim evanescunt. Ita qui sunt ætate immatura, illiterati, servi, accedente ætate, scientia, domini consensu ad ordines habiles fiunt. Similiter qui minus legitimos natales patiuntur, per subsequens patris & matris matrimonium vitio purgantur, nisi tempore conceptionis inter parentes dirimens intercedebat impedimentum (*b*). Sed irregularitates, quæ ex perpetuo, aut perseveranti vitio exortæ sunt, sola dispensatione auferri possunt. Auctoritas dispensandi cum irregularibus olim generatim erat apud Episcopos & provinciæ Synodos; at ex nova disciplina ad Pontifices translata est, nec nisi in casibus jure novo expressis, Episcopi Canones de irregularibus relaxant. Ita dispensant Episcopi cum illegitimis, sed tantum ad minores ordines & simplicia beneficia (*c*), & in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ est ex homicidio voluntario, exceptisque aliis apud judicem deductis (*d*). Interim quicumque sit, qui dispensat, id facere debet Ecclesiæ utilitate, aut necessitate postulante, vitio sufficienter purgato, & vero etiam in tali statu existente ipso irregulari, quo ordini suo adnexa possit explicare ministeria. In admittendis ad Canonem irregularibus summam olim prudentiam Ecclesia adhibuit, in iis tantum casibus Canones relaxans, ubi relaxatio in bonum Ecclesiæ redundabat. Certe ad fidei & unitatis ecclesiasticæ reparationem indulserunt olim Nicæni Patres, Novatianos ad fidem reversos in suis ordinibus suscipi (*e*), & Patres Africani obtulerunt Donatistis, si redirent ad Ecclesiæ unitatem, fore, ut episcopatus retinerent suos (*f*). Ordinatio tamen Synesii, quo tempore doctrinam de resurrectione aliaque nostræ fidei capita pernegabat, a Teophilo Alexandrino facta, præter regulas videtur fuisse (*g*). At temporis lapsu non tanta cautione in admittendis, vel restituendis ad clerum irregularibus usi sunt Ecclesiæ moderatores, veniamque Canonum passim indulserunt magis in propriam & ipsorum irregularium,

(*a*) Cap. I. ex. de filiis presbyter.
(*b*) Cap. VI. ex. qui filii sint legitimi.
(*c*) Cap. I. de filiis presbyter. in 6.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 6.
(*e*) Conc. Nic. Can. VIII.
(*f*) Collat. Carthag. die 1. cap. 16.
(*g*) Bingh. lib. 4. orig. eccles. cap. 3. §. 3.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia

rium, quam Ecclesiæ utilitatem. Quin adeo eversi sunt Canones qualitates ordinandorum præscribentes, ut impuberes adolescentes ad summas promoti sint in Ecclesia dignitates, læti magis quod virgas evaserant, quam quod Ecclesiæ præsiderent (*a*). Tristis certe est cuique cordato viro recordatio Pontificum Joannis XI. & Joannis XII. & Benedicti IX., quorum primus annos natus viginti quatuor, alter octodecim nondum impletis annis, & tertius ferme decennis turbulentis electionibus Petri cathedram occuparunt.

(*a*) B. Bernardus epist. 42.

FINIS TOMI I.

(c) Biblioteca Digital Educativa de la Región de Murcia